IHS

Cornelii Curtii Amphiteatrum Am



AMPHITHEATRVM AMORVM

A

R. P. M.

CHRISTOPHORO FONSECA

EREMITA AVGVSTINIANO

Hispanice compositum.

A

Fratre

CORNELIO CVRTIO

eiusdem instituti Religioso

Latio donatum.

Opus Vtile & lectu iucundum: in materias, pro totius anni Dominicis & Festis ad Vsum Ecclesiastarum distinctum.

INGOLSTADII

Typis VVilhelmi Ederi, 1623.



Nobilissimo
ac
Strenuo Viro, Domino,

D. SEBASTIANO FYLL

A Windach, Eresing, Gruenerzhouen,
Camerberg, & Pifliz,

Comitatus Schwabeckh & Khuerezho-
uen Domino Hypothecario,

S. C. MAIESTATIS, ET
SEREN.mi MAXÆMYLIANI
S.R.I. Archidapiferi, & Electoris, Comitis
Palatini Rheni, & Vtriusque Bauariæ
Ducis Consiliario digniss-
simo,

Mecænati suo Optimo, Maximo,

se suaque omnia

æterno Sacramento, æternum
dicat, vouetque æternum,

F. CORNELIVS CVRTIVS
Augustinianus.

AMORIS tam potens atque latum imperium est, Nobilissime ac Strenue Domine, vt frustra sit, qui clatris etiam adamantinis coërcere, & fixis eum limitibus claudere voluerit.

Natum per omnes, scilicet terras vagum
Deus relegat. Ille per Cælum volans
Trisulca tenera tela molitur manu,
Regnumq; tantum minimus in Superos habet.

Quis stringat eum, quis cohibeat, cui nihil durum, nihil inuium est? Tumida, suasque iras sorbentia maria obijce: percurret Amor velocius, quam conglaciata flumina ferratis baxeis calceatus Belga. Ostende ignes: Salamandra erit, & ardebit sine damno suo. Oppone Schytarum agmen, hastis pilisque horridum: in hastas & pila sese spontaneus indu-

et,

et, & per ſanguinem veluti per flumina adnauigabit deſiderato antè portui. Summatim dicam omnia. Tellus vniuerſa dehiſcat, & quam magnus vaſtuſque eſt, infernum aperiat: ſi amato aliter potiri non dabitur, contemnet ignes quaſi pictam in pariete nebulam, aut in papyro tabulaúe, graphide vel penicillo expreſſas flammas. Penetrabit omnia, perrumpet omnia. Non poterit cum infelice Theſeo ad ſaxum, aut ad Caucaſum cum Prometheo damnari æternum. Totis ſeptem iugeribus, ipſaque Aetna ſepeliatur cum Terræ filijs: molem excutiet. Includatur labyrintho: euadet cum Dædalo, & inueniet viam per liquidum elementum. Quare cum iam-pridem Reuerendus admodum Pater CHRISTOPHORVS FONSECA Amorem apud Hiſpanos ſuos linguæ patriæ retinaculo vincire, & Py-

renæis montibus claudere videretur; volui ego laboranti pusioni occurrere, & ex arena Circi Iberici in apertum Latij campum exerrare desideranti manum dare: vt Romano in Amphitheatro cum Mundi Amoribus in coram omnium concurreret, & quos iam-diu & nō semel profligauerat, vltima tandem clade funditus excideret, triumphumque duceret publica acclamatione. Spectatores voco Europam vniuersam: Te Vir Strenue deligo agonis diribitorem. Te, inquam, cui Diuini Amoris vis perspecta est, non ignota fraus atque impotentia reliquorum. Quis mihi hic Deus materiæ parem dictionem? Loquentur pro me Indigetes, quorum sacra lipsana exportasti ex Latio, vt Boiariæ templa diuitares. Testis veniet ædes nostra Monachij, in qua pluria Amoris diuini monumenta æter-

nitati consecrasti. Clamabit templum Eresinganum Tuo in fundo Tuis exædificatum sumptibus, & qui propter illud scaturit, tuamque aliquando pietatem celebrem reddet miraculorum frequentia, fons salutaris. Non tacebunt denique Bolensanæ ad D. Francisci aræ ornatissimę: & multiplaria hinc inde per Boiariam sparsa, solida testimonia Religionis. Quam porro Tibi explorata sit Amorum reliquorum inanitas, patet ex nulla fide, quam eis dedisti. Diuitias Tibi quasi per Iouis aureum imbrem in tecta Cælum depluit: Tu dispergis & das inopiosis. Honores maiori studio Tibi offeruntur, quam alij ambiunt: & acceptas non alia pæne fronte, quam iniurias alij. Voluptatibus reliquis negas hospitium, nisi quas dispensat honestas, & concessa omnibus relaxandi animi oblectatio fere exigit.

Hæc ſunt quæ apud Principes Viros eam Tibi gratiam conciliant, eam fidem faciunt, vt ſua Te lingua loqui apud exteros, Reipublicæ ſuę ardua negotia tranſigere voluerint. Sed heus! prolixior non ero, vt ne foras ea efferam, quæ non omnes ſcire conuenit. Neque animus mihi eſt reliqua virtutum Tuarum lenocinanti verborum purpura obueſtire: non enim deſideras alieni calami ornamentum, Tuo contentus. Et quis non rideat affectatam infantiæ meæ bardiloquenciam, ſi ieiuna verborum viciſſitudine id proſequor, quod nulla vnquam dictione aſſequi potero. Meliusque hoc ſtadium currere differam in robuſtiorem ætatem. Viue & Vale diu Vir Nobiliſſime, mentemque meam & manum ad altiora enitentem patrocinio Tuo adiuua, & habe-

bis purum putumque animum, & syncere Belgicum in omnem posteritatem Tibi æternum pigneratum. Ingolstadij ex Cœnobio Augustiniano pridie Kalendas Iunias cIↃ. IↃ. CXXIII.

PROOEMIVM AVTORIS.

Nonnulli autores in librorum suorum proœmijs, explicant argumentum, quod tractandum susceperunt: alij adducunt rationes, quibus ad scribendũ animũ appulerunt: alij excusare conantur næuos seu veros seu verosimiles, qui aduerti possunt (quod nihil aliud est quã dormitantibus somnum excutere.) alij in zoilos inuehuntur, & maledicas in se linguas magis exacuunt: laudant alij literarum studium, vt suos labores commendent: reprehendunt alij otium, vt negligenter vagos aliorum animos reuocent ad exercitium virtutis: alij caussas reddunt, cur idiomate vernaculo scripserint, aut cur per capita, paragraphosue distinxerint: denique alij hæc simul omnia ita fuse tractant, vt iam non longum proœmium, sed librum suo li-

bro præmittant. Ego proposui non fatigare me in illis. Argumentum libri facit Amor in communi, deinde in particulari Amores omnes. Rationes, quæ me ad scribendum impulerunt, neque Lectori scire opus est, neque operæ pretium mihi dicere. Sed neque excusare volo errorem aliquem. quem vti nullum esse impossibile est: ita si forte nullus esset, impossibile est non fore ita nullum ingenium subtile, vt non aliquem inueniret. Ob idipsum neq; in zoilos opus est satyram scribere, præterquam enim quod lucubratio cõmunis sit scribentium, plerique imprudenter damnant literarum studium, & lectionem librorum quaqua gentium celebratorum vituperant, sugillantque commoditatem vernaculæ scriptionis. Cuius caussas satis multas dederunt doctissimus Pater Magister, Ludouicus di Leon, *Ordinis Eremitarum S. Augustini in Prouincia Hispaniæ vlterioris Vicarius Generalis, & sacræ scripturæ in Academia Salamanticensi Professor celeberrimus, in li-*

bris

bris, quos de Christi nomine inscripsit, & Pater Magister Petrus Malon, in tractatu suo de Magdalena: verum quia in eadem Religione commilitones mei sunt, nolo in mea caussa eorum niti autoritate. Huius vnius Lectorem certiorem facio: si labor & liber hic meus gratus acceptusque fuerit, recipio in me, si mihi annos & valetudinem Deus concesserit, plura in lucem emittere. Quod tanto audentius cum Cæli fauore promitto, quanto facilius citiusque hoc opusculum absolui. Si vero non gratum esse librum hunc meum accepero, alio mentem manumque conuertam, doleboque hoc à me in lucem exijsse, quod tenebris commendari poterat, petámque veniam temeritatis meæ, vti & nunc peto.

Lectorem Beneuolum
Interpres saluere iubet.

FATEOR, alio stilo non indigna erat materies huius operis, non indiga tamen, si finem scriptionis cõsideremus. Nõ enim omnes qui amant, Cicerones sunt; aut Lipsij omnes, qui ex cathedra populum amare docent, dedocentúe. Vt ergo κοινὸς ὁ Ἑρμῆς esset, communi ore loqui volui. Erit aliquando, cum Amoribus hisce faciem nouam dabo, & vestem. Huic interim labori meo Lector faue, industriam foue. Menda Typographica, quæ non pauca operarum incuria & indiligentia correctoris irrepserunt, emenda, & non amplius Argos nasci aut homines totos oculeos, cogita: ac Vale.

Syllabus Capitum.

se

De
AMORE TRACTATVS.

CAPVT I.

Amor duplex. ab Ethnicis summè cultus.

DIVINVS Plato in Amoris sympoſio diſſerentem introducit Socratem; An Orator encomiaſtes legibus Rhetoricis ita religiosè obſtringa- ur ad veritatis regulas, vt interdum ei nõ ceat ad commenta Poëtica deflectere, & udes fabulosâ dictione adauctare? Di- ɔutationi huic anſam dederat Agathon, ıi æui Rhetor diſertiſſimus, qui pro A- ıore locupletem facundamque oratio- em habuerat, omnibus auditu quidem cundam, elegantemque, ſed fictionum lendidarum pleniſſimam. Maximo igi- ır opere ſtupefactus planeque attonitus

Socrates, quòd videret tam benè conuenire cum figmento elegantijs, timuit in pulpitum, quod tantâ cum dignitate magniloquus Agathon impleuerat, conſcendere; & jam foro cedere, ac ab ea quam dicere ex munere tenebatur, oratione omnino abſtinere in animum induxerat: donec precibus tandem amicorum & rationum vi ſuperatus, ſui quoque periculum facere decreuiſſet. priùs tamen ſeuero edicto cauit, vt ne latam ſtipulam à veri vſquam terminis deuiaret. Videbatur Socrati fieri non poſſe, vt poſt virum tam eloquentem, tot figmentis luxuriantem, tot pigmentis adulantem Oratorem, cum laude quiſquam dicturus eſſet: Agathon verò exiſtimabat non poſſe orationem vllam diuitem ſatis aut copioſam eſſe, ſi à libero apertoque fabularum campo excluderetur. Ego autem ſentio, & hunc & iſtum inſignitam facere iniuriam Amori: hunc quia ad fictiones confugiendum eſſe autumauit; illum quia tanto opere eas admiratus eſt. Nam in ſubiecto tam vbere, tam ferace, in adeò largifluâ fœtaque fodinâ quis inopiã timeat? niſi illam ipſam, quam reperit Poëta in gazâ opulentiſſimâ, cùm dixit:

Inopem me copia fecit.

i enim, in hoc terrarum orbe, quantus-quantus est, res vlla tanta est, cuius amplitudinem eximiasque laudes satis exprimere hominum linguæ tametsi facundissimæ non possint, illa profectò Amor est.

Aggredior igitur opus hoc, onus viribus meis longè impar: in quo non promitto, quod Amori debitum est; sed id vnum in me recipio, quod sola mea potest ignorantia; putà, vt dilucidè per omnia distincteque procedam.

Amoris duæ species sunt. metaphoricus ...rnus est: sub quo continentur appetitus omnes à naturâ nobis ingeniti, & propensiones omnibus omninò rebus connatæ; quibus amant singulæ fines suos atque officia, & quod sibi conueniens est, amplectuntur. Lapis amore quodam deorsum rapitur ad centrum suum, detentusque cōtra naturam in sublimiori aliquo loco, impetuosiore vi delabitur. Superba quoque magnorum ædificiorum fastigia non ...mquam firma consistunt, donec suis reulsa culminibus, in terram, veluti à naturâ sibi ad quietem adsignatum thorum, se deiecerint. Ignis per infumibuli viam euolat ad regionem suam. Aër in hypogæis terræque latebris collectus, & intra eius viscera quasi claustra quædam cohibitus, non repertâ viâ, quà exeat, vt suâ *Amor duplex.*

fruatur ſphærâ, carceres iſtos ſuos cõfringere ac conuellere nititur, cauſſatque terribiles illos motus ac tremores telluris. Flumina, torrenteſque perenni curſu fluunt, donec in maris gremium ſeſe exonerauerint. Cælum denique ac ſidera vniuerſa, animantes quoque & plantæ omnes tendunt in finem ſuum, nulloque loco quietæ aut tempore, amant naturæ debita exercitia, & gradum aliquem perfectionis.

Protenditur quoque hic Amor ad ordinem ita varium, pugnantemque, quem inter ſe habent res omnes: qui nihil aliud eſt, quàm vis quædam, & catena vinculumque occultum, quo vincitur, concatenaturque, quàm vaſtum eſt hoc vniuerſum; principia cum medijs, media cum extremis: tam validè, vt ſi difflueret hæc vnio, peſſum quoque iret mundi compages, & tota Cælorum machina ſolueretur. Hæc abdita latenſque naturæ qualitas, cui Amoris hîc nomen imponimus, à Pythagora monas ſeu vnitas vocata eſt: quæ, vt ille ait, omnibus rebus eſſe ſuum tribuit, cum binio mortis autor ſit & internecionis. Cuius hæc ratio eſt, quod res omnes tamdiu exiſtant, quàm diu vnæ ſunt, vnitæque per Amorem. Quod ipſum rapuit in ſtuporem Philoſophos Parmenidem & Meliſſum, qui cum mundi rerumque pænè infini-

Monas Pythagora.

fini-

...nitatem multitudinem tam arctè sibi inuicem connexam innexamque conspicerent, omnia vnum esse pronunciarunt. tametsi enim pluria in se & diuersa sint, Amore tamen vnum sunt. Diebus omnibus, quibus rerũ Creator pulchrũ hunc mundum condidit, dicunt libri sacri; *Vidit Deus, quod esset bonum*: Secundo tamen die, quo Cælorum orbes creati sunt, nihil tale additur. Origenes hîc in varias abit obscurasq; sententias, quarum vna hæc est: quòd rerum omnis perfectio in vnitate sita sit: & quia dies alter diuisioni initium fecerat, veluti vnitatis & pacis labefactatori, autoríque discordiæ non benedixit Deus. Elementa, quæ quotidiano inter se bello hostiliter dissident, ad auri, gemmarumque & mineralium progenerationem amicissimâ vnione conueniunt. Valetudo constat ex æquâ qualitatum primarum moderatione: & vocum diuersarum consonante harmoniâ Musica. Illud ipsum natura demonstrauit in lapide Tireo, qui aquis supernatat integer, diuisus subsidit.

Veteres tres Mundos distinxerunt. supremum Philosophi intellectualem, Angelicum Theologi nuncupant: in quo Angelorum nouem chori numerantur. alter Cælestis dicitur, & Cælorum sphæras cõplectitur. tertio comprehenditur, quid- *Arist. l. de nat. anim. 2. c. 106. & l. 30 c. 17. Plin. lib. 2. c. 06. Aug. 4. de Ciuit.*

quid infra Lunam est, & Elementaris nominatur. Moyses tabernaculum, quod *Exod.cap.* 25. & 26. fabricauit, in tres partes distribuit, quibus, vt Hebræi volunt interpretes, triplicis Mundi differentias indicauit. Prima erat nuda, apertaque, & fluminibus flaminibusq́; exposita, quam cum hominibus bruta pariter animalia inambulare poterant: quæ istum, in quo degimus, Mundum significat. In secunda posuit ἑπτάλυχνον, seu candelabrum, quod septem ramis lucernisque distinctum totidem lumina dabat: & hîc Mundus Cælestis designabatur, in quo septem errantium astrorum ignes relucent. Tertia habuit arcam fœderis & Cherubinos, quibus intimatur id, quod in Mundò Intellectuali reperitur, putà Angeli & Deus. Qui Mundi διὰ πασῶν distare videntur. Noster caliginosus: Angelicus plenus lucis; Cælestis partim tenebricosus, partim illustris est. Præterea res tam diuersas continent, vt contrarij esse quasi debeant, quantum quidem attinet ad primum rudemque intuitum: nam reuerà concordem habent & dependentem à se inuicem necessitudinẽ; vt quemadmodum in Mundo sublunari virtutem quandam arcanam cõstituimus, quam Amorem indigitauimus, quæ res tam differentes consociat, adunitque: ita

fate-

fateri debemus eundem Amorem Mundos tam difformes conformare, & inextricabili vnionis fœdere conjugare. Quare Aristoteles in Meteoris dixit æquum esse, vt sphæræ elementares cælestibus innexæ atque implexæ sint; terraque aquæ, aqua aëris, aër ignis, ignis cælorum sibi proximè incubantium auxilio opus habeat. Porrò à primo cælo ad primum vsque mobile ascendi potest, cuius impetu ceteri omnes cæli rapiuntur: & ab illo ad Deum vnus reliquus saltus est. Atque hæc amica, mirandumque in modum elegans connexio adeò necessaria est, vt si sphæra altera alteri aduersari inciperet, & se suamque inclinationem non commodè moderaretur, derepentè nutaret, immò rueret, & in nihilum aut certè pristinum chaos abiret Vniuersum. Eapropter creaturæ, maximæ, minimeq;, proximæ & remotę, omnes sibi mutuò diligentissimè intentæ, quasi in vigilijs stant, promptæ paratæque succurrere, sicubi fortasse defectus aliquis internasceretur. Hic aptus optimusque rerum ordo illustrat intellectum hoc modo Mundi benè digestam molem speculantem, aperitque caussas, ob quas Protoplastes dixit videns cuncta quæ fecerat; quod essent valde bona. Siquidem, vt bona essent, satis erat à manu omnipotenti fluxisse: non ta-

men valde bona dici merebantur, nisi isto amabili connexionis vinculo ligata comprehēderentur. Verùm, vt illuc, vnde abij, redeam; Platonicæ scholæ communis sententia est, omnē quod in tribus simul Mundis reperitur, idem esse in singulis; & quidquid in singulis, in tribus simul Mundis reperiri: tametsi secundum gradus suos, modo magis minusque perfecto. Hæc contemplatio grandis sublimisque est, quę latissimum mihi ad digressionē campum aperit, sed quia pleraque ab instituto meo aliena sunt, satis mihi erit adduxisse, quod propositæ materiæ conducere videbitur. In Mundo infimo ignis Elementaris, in medioximo Solaris, in summo Seraphicus est: ita tamen, vt noster adurat, viuificet Cælestis, Angelicus amet. Sicque de alijs omnibus, quæ sub adspectum nostrum cadunt, longâ parecbasi philosophari possumus, & consequenter disputare de ijs, quæ nostros oculos fugiunt: Verùm satis esto, docere nos rerum magistram experientiam, esse in hoc Mundo vinculum, quod intimo res tam multiplares tam diuersas nexu colligat, ipsumque esse ac vitam donat, cui Amoris nomen imposuimus: vt sic fateri oporteat in alijs Mundis eundem esse Amorem, qui vitam atque esse omnibus elargitur.

Ex

Ex quibus colligitur, quàm aptè Philosophus quidam Amorem animam Vniuersi appellauerit; vtpote, qui, sicut anima dat esse, vitamque corpori, ita Amor esse vitamque omnibus. Sicut anima elegantijs infinitis dotat ditatque corpus; ita Mundum Amor: vt ideò non immeritò alius quidam Philosophus Patrem eum elegantiarum diuitiarumque nuncupauerit. Et sicut anima tota est in toto corpore, & tota in qualibet eius parte, vt nullum tam exiguum membrum adsignari queat, in quo non aliquis animæ effectus eluceat: ita nullo in angulo Mundi tam abiecta creatura delitescit, quam non Amor attingat, quod subsequentibus versibus Poëta cecinit.

Amor anima Vniuersi.

Principio cælum ac terras, camposq; liquentes,
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; astra,
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Nomen quoque Amoris vsurpari solet pro actu voluntatis: qui quia Deo, Angelisque & hominibus propriè tribuitur, ita in illis solis reperitur. & quod alijs in rebus pondus, inclinatio, aut propensio dicitur, idem in ijs quæ intellectu prædita sunt, Amor vocatur. quare S. Augustinus: *Amor*

Altera Amoris species.

meus, pondus meum, illò feror, quocunq; feror. Denique vti oculorum actus est videre, audire aurium, intelligere intellectûs: ita voluntatis exercitium est Amare.

Ad venerationem Amoris Ethnicos permouerunt duæ potissimùm caussæ; antiquitas atque vtilitas. Antiquitatem commendauit Hesiodus, qui chaos quidem præmittit creatis omnibus, primum tamen quod Mundo fabrefacto apparuit, ait fuisse terram atque Amorem. Parmenides vult Amorem esse rerum omnium principium & caussam, ideoque ante omnia à Deo genitum.

Ante Deos omnes primum generauit Amorem.

Idem sensit Propertius, ideoque alas ei adpingi scribit, vt ad Deum, velut ad suum principium, volatu adscendat.

Idem non frustrà ventosas addidit alas,
Fecit & humano corde volare Deum.

Amorem Ethnici piè coluerunt. Demùm adeò annosus, adeò grandæuus est, vt nos eius natalis lateat; qui si vmquam cognitus fuisset, non minus celebris fuisset, quam vigesimus Aprilis ólim Quiritibus, quo prima vrbi Romæ fundamina jacta sunt. Et tamen, hic, quem elementis priorem origine cõstituimus, nouus quotidie gignitur: nam & nobis indies connascitur, sensuum nostrorum filius atque

incre-

incrementum. Hesiodus terram & chaos Amori parentes adsignat: Simonides & Cicero Martem atque Venerem. Archesilaus matrem Noctem, patrem Planetarum aliquem ponit. Alcæus credit à Lite & Zephyro genitum: Sappho à Cælo & Venere. Seneca verò illi progenitores dat Venerem atque Vulcanum. Refert Plato, Veneris natalem diem splendidissimo olim epulo celebratum fuisse, ad quod totus Deorum cœtus conuenit. Inter eos Copiæ Deus Porus, Cōsilij filius erat, & Penia Dea egestatis, quæ victum anxiè quæritabat. Porus plusculùm se inuitauerat, Deorumque ambrosiâ ebrius in Iouis hortū secessit, vbi crapulam edormiret. Dum in quæstione huc illuc vaga errat Penia, in eundem fortè locum penetrat, & somno atque nectare sepultum Porum agnoscens, ad latus se eius molliter applicat, vt ex Abundantiæ Deo concipiat. id enim cupidè impotenterque ambiebat. Concepit ergò, & eo ipso Veneris natali die peperit filium Amorem. Fabella hæc indicina Veritatis est, quam adfirmat Aristoteles, scilicet desiderium atq; cupidinem ab inopia & necessitate originem trahere, sine quibus nullus appetitus aut cupiditas est. Hinc Amor ille, qui à desiderio pronascitur, Cupido à Poëtis nominatur. Ouidius duos

Cic. lib. 5. de natura Deorum.

Amo-

...amores ...arij.

Amores distinguit: honestum vnum vocat, Ioue natum & Venere, inhonestum, alterum atq; impurum nocte atque Erebo procreatũ. Alijs triplex Amor est. primus Mercurio Sapientiæ Deo, & Deâ Continentiæ Dianâ genitus; alter eodem Mercurio & libidinum præside Venere prognatus: tertius Marte cretus ac Venere, qui Antheos dicitur. Claudianus Amorum pænè exercitum fingit, omnes Nympharum filios: vnicumque Veneris natum ait esse, qui non nisi in Cæli Deos, terrarumque Dominos arcum suum tendere dignatur. Philostratus innumeros Amores esse vult, vti caussæ quoque sine numero sunt, quæ mentem hominum excitant ad amandum: Cælestem verò esse vnum, qui cælo terraque rerum diuinarum opifex cluet. Pluria sunt eiuscemodi, quæ Poëtæ Autoresq; alij de Amore dixerunt, quæ si hîc recensere velim, tempus me viresque deficient.

...moris v...

...litas.

Quod ad vtilitatem attinet: dicit in Musicâ sua Orpheus, Amorem omnium rerum clauem tenere, qua cogitationum secreta aperiat, patefaciatque quod imis sensuum latebris absconditum delitescit. Empedocles Pythagoricus Amorẽ Mundi clauum tenere asseruit, moderari omnia & suo in statu sarta tecta conseruare. alius

Amo-

Amorem Solem Rectoremque vniuersi; alius Patrem Plastemque omnium, alius denique Mundi animam appellat. Postremò, vt demonstrarent, quàm commodus fructuosusque sit, fana, delubra, arasque Amori excitarunt. Colchi amœnissimum montium, Idalium; Hellesponti accolæ celebratissima loca, quæ illis Eroditia dicebantur, consecrarunt. alibi quoque terrarum alia sumptuosissima magnificentissimaque templa Amori deuota fuerunt, prænuncia tropæorum triumphorumque, quos à domito & sub jugum suum misso Mundo reportaturus erat.

Caput II.

Amor variè describitur.

RES, quæ eximiæ immensæque sunt, aut vt minimùm tales videntur, sub definitionem non facilè veniunt. Cùm enim definitio totam rei essentiam comprehendat, res verò multo maxima à minutulo ingenio nostro capi non possit, non poterit quoque rectè definiri. Sed, qui est mos solennis & in scholis receptus, vsitatum est rem talem periphrasi circumscribere aliquâ, & vbi tota essentia explicari aptè non potest, adferre quiddam, vnde essentiæ aliqua particula quasi per nebulam intelligatur.

tur.

tur. Talis porrò noſter Amor eſt, quem priſci & noſtri ſæculi autores, variato ingenij ſui penicillo, & multiplicatis ænigmatum, hieroglyphicorum, emblematumque figuris delinearunt; vt vel ex eo ſolo appareat illius amplitudo, cuius nemo ſubſtantiam attigerit, aut principium cauſſaſque inuenerit. Amor, ait quidam, *eſt neſcio quid, feriens neſcio quo pacto, adurens neſcio quo modo.* S. Gregorius vocat Amorem *ignem cor inflammantem.* cui illud Chri-
Luc. 12. ſti conſonat: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur?* Indubium verò eſt Amorem hîc intelligi, quem Deus à mundo condito inhabitare voluit jugiter in cordibus humanis. Et Paracletus, Amor & Amoris Deus, in diſcipulos ſub forma ignis delapſus eſt, vt doceret ignem
Leuit. 9. Amorem eſſe. Ille ipſe eſt, qui *egreſſus à Domino deuorauit holocauſtum & adipes, qui erant ſuper altare Aaronis.* in quem locum Nicolaus de Lyra: *Hic ignis*, inquit, *abſque extinctione fuit conſeruatus à tempore quo datus fuit, ſcilicet anno ſecundo egreſſionis de Aegypto vſque ad captiuitatem Babylonicam.* Huc
Iſa. 31. acclamat Iſaias: *Cuius,* (Domini) *ignis eſt in Sion & caminus eius in Hieruſalem.* vbi ſymbolum Amoris exprimitur, quem Deus inextinctum eſſe vult, & continuò flagrare in animæ noſtræ templo. Dei præceptũ

tale

tale est in Leuitico: *Si autem obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus torrebis igni.* S. P. Augustinus *de substantia dilectionis*, ait, Amorem esse *delectationem quandam & motum cordis.* & in eodem libro: *vita cordis*, inquit, *Amor est; & idcirco omnino impossibile est, vt sine Amore sit cor, quod viuere cupit.* & lib. de Trinitate: *Quid est ergò Amor nisi quædam vita duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem, scilicet, & quod amatur?* Dionysius *de diuinis nominibus* dicit Amorem esse *virtutem vnitiuam & coniunctiuam, & indifferenter concretiuam.* Philosophus vocat passionem: quæ juxta Doctorem Angelicum est *quædam complacentia appetibilis, ex qua sequitur motus ad appetibile.* & alibi ex D. Aug. *de Ciu. Dei* adstruit *omnes passiones ex Amore caussari*, cui velut suo fundamento innituntur, & ex quo velut radice aut propagine pullulascunt. Quæ passionũ origo perfacilè probari potest. Amor enim, vt ait D. Thomas, *consistit in quadam conuenientiâ amantis ad amatum: odium verò in repugnantiâ.* Amor in bonum; odium verò in malum tendit vnde nihil odio habetur, nisi quatenus bono aduersatur. & sicuti ex Amore boni absentis nascitur gaudium quod est boni præsentis: ita ex odio mali absentis prodit mœstitia, quæ est mali præsentis.

Leuit. 2.

Cap. 2. & cap. 6.

Cap. 10.

Cap. 4.

Ethic. 18. c. 5.

1. 2. q. 26. a. 1. in corp.

1. 2. q. 29. a. 2.

ſentis. atque hæ paſſiones, Amor, Odium, Deſiderium, Timor, Gaudium, Triſtitia, à Philoſophis animæ pars concupiſcibilis nominantur. Porrò ex deſiderio boni abſentis, quod vt facile aut δύνατον apprehenditur, gignitur Spes: ex eodem vero, quod vt difficile aut ἀδύνατον nobis videtur, Diffidentia aut Deſperatio creatur. Si verò deſiderium immodicum eſt, ſurgit Audacia, quæ *aggreditur periculum imminens propter victoriam ſui ſupra ipſum periculum.* Quod ſi aduerſitatum procellæ ingruunt, & vel eripiunt quod iam manibus quaſi tenebatur, vel amoliuntur quod præ foribus erat, proſilit Ira, vindex iniuriarum, quæ armato pectore, ſtrictoque ſemper enſe parata eſt cõcupiſcibilem appetitum à quocumque hoſte defenſare. S. Baſilius in quodam tractatu de Ira, cani pecuario eam aſſimilat, quem vnum Paſtor non rarò maioris æſtimat, quàm multas oues. tametſi enim ab illo neq; lanitium, neque lac expectandum ſit: latratu tamen ſuo lanigerum gregem à periculis dentibuſque luporum tuetur. Non aliter concupiſcibilis potentia quodcumque ſibi competere judicat, ad ſe attrahit: iraſcibilis autem, vt votorum ſumma attingat, quidquid occurrere poteſt aduerſum, potenter auertit. Hæ velut duæ alæ ſunt, quibus ſubnixa advolatum

Th. 1.2. q. 45. a. 1.

Cap. 1.

ani-

anima præparatur; sunt flabra duo, quibus respirat: quæ si retuleris, nauem remigio, pennis auem nudaueris. Quare Philosophus quidam corpus carrum vocabat, quem duo equi traherent Odium atque Amor, sed equi infrenes atque indomiti: quibus ideò Deus aurigam prudentissimum addidisset, Rationem. Seneca ex opinione Stoicorum dixit nutrices esse hominum, non quod sagaces prouidæque per omnia sint, sed quia sollicitæ, accuratæque. S. Augustinus humanarum actionum omnium tam prauarum quam bonarum Amorem vult esse auctorem, qui voluntatis nostræ clauem possideat, & adfectiones motionesque nostras, quò libet, impellat. vult esse fontem, qui naturali scatebrâ saliat iugiter, irrigetque seu plenum immunditiæ fimetum, seu suauefragrantia cælestium deliciarum tempe. ita vt feriari voluntas nostra nesciat, verùm assiduò moueatur aut sui aut aliûs Amore. S. Dionysius asserit, *propter Amorem bonos omnia agere, quæcunque agunt*: vt Amor initium, progressus, exitusque vitæ nostræ sit, & omnium actionum. Hinc de Sponso suo Sponsa: *Ordinauit in me charitatem.* non dixit, produxit, generauit, sed *ordinauit*: quia Amare homini arbitrarium est, sed Deo proprium, Amorem ordinare.

De diuinis nomin. c. 4.

Can. 2.

Amor Græcis Ἔρως est, cuius vocis originatio ad effecta respicit: de quibus alibi erit oportunior dicendi locus. Inter Amorem & desiderium hoc discrimen adferunt Scholastici, quod huius obiectum sit bonum absens; illius vtrumque, tam absens, quàm præsens. Desiderium frigescit, deperit, & cum gaudio fructuque boni omnino extinguitur: Amor verò magis magisque exaugescit. Si obieceris, motum omnem cessare, dum finem assequitur, ita quoque sistere Amorem, cùm sit motus voluntatis: Breuiter respondeo validum esse hoc axioma in motionibus merè naturalibus, in liberis non item. Quin adeò res adamata, & de illius præsentia natum gaudium, pro assulis fomiteque Amori seruiunt, flammasque nouas excitant, nedum vt primum ignem extinguant. nec magno opere mirandũ, si ardeat absens, quod præsens comburit. Alij quidem Amores sunt, qui cum fine suo finiunt, immò & in fastidia, odiaque acerba commutantur. Quocirca (vt bene adnotauit Seneca) Amor æternus est, est & mortalis. alius infans est, adolescens alius, alius senex & iam decrepitus. Vt in compendium multa conferam: Amor Chamæleon est colore non longùm duraturo. Ibi hemerobius est, hîc biduum vi-

Amoris & desiderij differentia.

uit.

uit ibi momento nascitur, adolescit, & vires sumit: hîc supra pueritiam nunquam sapit, nunquam primis rectè pedibus insistit. alibi senescit subitò, & vix natus canum glabrumque caput ostendit: alibi post multa lustra primitias adhuc veris seruat & florem ætatis, vt nulla dies fluxisse, aut certè nulla ei iniuria obiecta fuisse videatur. Aristoteles in Ethicis, D. Thomas in summâ, quatuor numerant vocabula, *ad idem quodammodo pertinentia*, vt sunt, Amor, dilectio, charitas & amicitia. Differunt tamen in hoc, quod amicitia sit quasi habitus: Amor autem & dilectio significantur per modũ actus vel passionis: charitas autem vtroque modo accipi potest. differenter tamen significantur actus per ista tria. Amor enim inter ea quid communius est: nam dilectio addit supra Amorem electionem præcedentem, vt ipsum nomen sonat. vnde dilectio non est in concupiscibili, sed in voluntate tantùm; & est in sola rationabili naturâ. charitas autem addit supra Amorem perfectionem quandam Amoris, in quantum id quod amatur magni pretij æstimatur, vt ipsum nomen designat.

1.2.q.26. a.3.

CAPVT III.

Amor fortis, audax, animosus.

SED jam retinacula soluimus, lõgeque à portu & terrâ prouecti, Amoris altum mare sulcare aggredimur. Primum iter per effectus erit, quorum princeps est intrepidus fortisque animus, à quo celeberrima illius facinora maximè innotescunt. Amor Graijs Ἔρως dicitur. etymon à fortitudine desumptum est, quod hæc potissimùm in Amore inueniatur. *Quia fortis est* (canit Sapiens) *vt mors, dilectio.* vires enim pares & Mortis & Amoris. Testem habemus experientiam, vt fati legibus omnia substernantur. Non est Monarches, aut Dominus quantumuis potens, à cuius censu tributoque non vnus alterúe subditi absoluti sint: Sed quis est, qui ad Mortis telonium non vocetur? Diademata, sceptra, mitræ, byrrhi, fasces, omnia ei subjacent.

Can. 8.

Mors sceptra ligonibus æquat.

Parum illi curæ est quo vincat modo. Vagientem in cunis puerum sæua interimit, inglorio mehercle telo, cùm eum cunabula habeant, non defendant castra. Adolescens gaudium patris, matris solatium, spes posteritatis vnica, crudelem ta-

men

men eius falcem non poteſt effugere. Venerandam canitiem, collectam multâ ætate, multis periculis ſapientiam, ludos habet. Non horret aſpides, non timet leones. Catenas ridet, prouocationes non audit, non accipit munera, formam contemnit. Et iſta quemque fateri neceſſe eſt: ſed meliùs vim mortis explicabunt retroacta ſæcula. Pyramides ſuas Memphis producat; in medium prodeant tot Poëtarum verſibus celebrata mundi miracula. Putruerunt cedri Libani; Cades palmas ſuas perdidit; Hierichuntinæ roſæ vltimam hiemem paſſæ ſunt; ſiluæ, prata, horti, deliciæ terrarum floribus frondibuſque nuda ſunt: vnicum cor noſtrum durat, perennatque in ſuo vigore. Verùm vti mortis, ita Amoris eſt jus commune in omnes: neque quidquam eſt quod in huius flammas non incidat. Incendium paſſus eſt Rex & Prophetes. Filijs Heli non profuit grauitas ſacerdotalis. Non ſeruauerunt procos Suſannę cani venerandi. Diuina Salomonis ſapientia hoc igni extincta eſt; vires pluſquam humanæ Sampſonis ſolutę ſunt hoc æſtu. Filias Loth non excuſauit pietas patri debita: non obſeruantia nouercæ Abſalonem: nõ Amnonem ſimplex inter fratres quæri ſolita amicitia. Nempe poteſtas Amoris vniuerſalis eſt: nemo homo eſt, qui non Amori ſubdi-

 tum

tum vectigalemque sese fateatur. præterea vngues adeò tenaces habet, vt meritò illi nomen Sagaristionis Plautini dari possit:

'laut. in 'ersa.

Quod semel arripides, numquam posteà eripides.

Quare Sapiens inferno sepulcroque Amorem comparat. tumulus inexorabilis est: quod semel busto terra recondit; minacias terroresq; ingemina, non vnquam restituet. Quis vectes inferorum confregit, vt è barathro illo in mundum emergeret iterùm? Certè non infirmiores Amoris amplexus sunt.

Sed operæpretium est notare, quòd Sapiens, quando morti Amorem æquiparat, nihil potentius inuenerit, cui Amorem compararet. ita Matthæus in transfiguratione Christi; *resplenduit*, inquit, *facies eius sicut Sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* Non quia corpus Domini nostri non multo splendidius lucidiusúe fuerit, sed quia nihil candidius niue, nihil Sole clarius inuenitur. Ita ego quoque aio, morte ipsâ fortiorem esse Amorem: nihil tamen esse fortius, & consequenter neque cui accommodatius possit Amor comparari. Quæret aliquis, vt quid Sapiens non dixerit, *fortior morte dilectio?* Respondeo, ita quidem dici potuisse; sed comparationum vsus apud Hebræos non est, verùm

'ap. 17.

loco

loco earum certas quaſdam literas conſti-
tuunt, quibus reſpondent Latinorum par-
ticulæ huiuſcemodi; *ab, præ, amplius, vt, &c.* quæ comparationis ſæpe vicem & vim
obtinent. Reliquum eſt, vt probemus A-
morem ipsâ morte fortiorem eſſe. Quod
ſanè nō difficile nobis erit, ſi mortis Amo-
riſq; facinora præclariora recenſuerimus:
ex his enim vtriuſq; potentia optimè pro-
babitur. Victoriarum mortis ſumma hæc
eſt: Regibus, ſapientibus, fortibus, iuueni-
bus vitam abſtulit, & nemo eſt, qui ferrum
eius euaſit. Sed quis, obſecro, hic trium-
phus eſt? quæ ſolida inde gloria enaſci po-
teſt? Ab eodem figulo, ex eodem luto
facti fictique ſumus omnes. Reges, Pon-
tificeſque non minùs ex carne corruptibi-
li conſtant, quàm ruſticorum famuli qui-
que abiectiſſimi. Si dicatis; Verbum Æter-
num adgredi non timuit. idem eſt, ac ſi quis
narraret iſthoc modo: Pater meus cum
robuſtiſſimis gladiatoribus ſeptem in are-
nam deſcendit, & occubuit. Nunquam
aduerſus Chriſtum caput mors extulit;
aut, vt eam peſſumdaret, vllis technis ſute-
liſue Dei filius opus habuit. Frequenter
illum laceſſere deſtinauerat, ſed retroceſſit
frequenter, non aliter quàm catellus viſâ
ferâ. vix à Matre-Virgine in lucem huma-
no more prodierat, continuò inter faſcias

atque incunabula eum mors adoriri tentabat, adeo impetuosè, vt infantiũ strages maxima ederetur, pòst quando lapidum imbrem, quando præcipitium minabatur, insultus omnes catuli erant, solo ejus adspectu mors stitit, atq; terga vertit. Quem ergo statum situmúe dabimus, vt ne trepidet, sed audenter generoseque in Christum insiliat? Ecce ligno Crucis impositus est, transfixus clauis manus atque pedes: ecquis adeò meticulosus, qui hoc modo aduersarium extimeat? Hoc illud est stratagema, quod Patriarcha Iacob præuiderat: *Catulus Leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt Leo.* Egressus es ad venationem, in mortem exilijsti, exilijsti in Crucem, & quieuisti instar Leonis dormientis. Sed ex dissimulatione facti, non potest eius virtus non manifestari. Audaciam certè mors concepit, Crucemque conscendens apprehendit eum, dicens: Hora hæc mea est. Quid faceret Christus? manus pedesque fixus erat, non potuit cum morte nisi solis dentibus confligere. Quod potuit ergò, inclinato capite certamen inijt. Fugam mors parabat, sed frustrà. vbi ergò se in discrimen vltimum adductam vidit, de Crucifixi languoribus vires sibi colligere statuit, vt Vitæ mortem inferret. Exanguis erat Leo, non

Gen. 49.

tamen edentulus; morsum illi inflixit igitur, ex quo in mortem derepentè mors corruit, sicut olim jurejurando promiserat: *Ero mors tua ô mors: morsũ tuus ero inferne.* Dicit S Petrus quòd mortem deglutiuerit; S. Paulus, quòd absorbuerit: *Absorpta est mors in victoriâ.* Et quid tam facile, quã manducare? Hinc videre licet, quã malè habita mors fuerit, quã parùm decorè ceciderit in hoc duello. potius illi vtiliusque fuisset non descendisse cum Deo in certamen. Amor verò Cælos omnes penetrauit, & Deum in pugnam exciuit: non aggressus est decumbentem in ligno Crucis, sed in augustissimo diuinæ maiestatis suæ throno sedentem adortus est, tamque acriter diuque mouit, vt & Cælo Deum & vitâ deturbauerit. Percurrite initium Euangelij quod Ioannes totum de filij Dei interminâ magnitudine, incomprehensaque majestate velut ad catalogũ pertexuit. *In principio erat Verbum*, dicit eum æternum, quia si in principio temporis; ante ipsum tempus quid fuit? æternitas. *Verbum erat apud Deum*, indicat locum in quo fuit, putà mentem diuinam. Sedes rei, substantiæ sedes est, ergo Verbi locus, cor Dei. Sequitur cum Patre æqualitas, *Deus erat Verbum.* Omnipotentia; *Omnia per ipsum facta sunt.*

Ozee. 13.
Epist. 1 c. 3 deglutiens mortem.
1. Cor. 15.

& sexcentæ aliæ proprietates & Dei magnifica attributa, vt tandem concludat, *Verbum Caro factum est.* Cuius hæc facinora tam heroica, tam singularia? Amoris. Adfirmauit Nicodemo illud ipsum Christus, & mille in locis Apostolus. Recitentur omnia mortis gesta, quæ simul congesta ad vnum hunc Amoris actum sordebunt vniuersa. Putatisné contentum hoc stratagemate? Quod in extremâ pauperie natus, laboribus ærumnisque fatigatus, sublatus in Crucem, in mortem denique datus sit, Amoris hæc tropæa sunt: tantumque de Deo & ipsâ morte triumphum egit, quantum vllus vnquam à mundo cōdito aut egit aut posthac acturus est.

Psalmi quidam triumphales titulum victoriæ præferunt, adeoque innuunt Amori sese dicatos sacrosque esse. Amor nullo vnquam tempore herbam porrexit, vbique inuictus, vbique superior. Victoria verò maximè gloriosa ea est, quam de Deo tam in vitâ quàm in morte reportauit. Adeò mirabilia Amoris effecta referunt Sacræ literæ, vt jam in desertum ad pœnitentiæ opera Deum ablegauerit, jam peregrinari ad prædicandum jusserit: mox in mare altum prouexerit, mox remiserit ad terram: nunc jejunia, nunc vigilias iniunxerit; denique eò deduxerit, vt cere-

brum

brum illi firmum plerique negarent. In morte non minùs admirabilis Amor fuit. Ad pedes Piscatoris immundos Dei filium deflexit, abluere, detergere, exosculari imperauit; ire, redire, ambulare, redambulare, quiescere. populo eum ludos publicos fecit; denudauit, percussit, ligno adfixit, turpi demum morte damnauit. Ecce Amoris præclara tropæa: ad quæ Gentilium sapientia ita obstupuit, vt à sano parum aut nihil distare Deum arbitraretur. O potentem, ô Victorem, ô Cæli triumphatorem Amorem! quis se tibi non emancipet? Quando Romam quatuor albis inuectus equis Imperator triumphans ingrediebatur, rapiebatur tota vrbs in stuporem: erigebantur in Victoriæ signum columnæ, statuæ, colossi, arcus. Præferebantur deuictarum regionum imagines: præibant captiui Reges, Duces catenati. Sequebatur victor exercitus laureatus, Ita Zenobia Asiæ Regina carro imposita, aureis vincta catenis, populi Romani serua in vrbem trahebatur. Generosior Cleopatra, vt ne in hanc infamiam incideret, admotis sibi viperis mori maluit. At nunc considerate iter Christi ad mortem. videbitis, vt per vias Solymæ publicas ducatur cum infami inconditoque populi strepore. videbitis gloriosum memorabilemque Amoris

Mar. 3. Quoniam in furorem versus est.

trium-

triumphum, fatebiminique neque inter diuos potuisse neque inter homines tam nobile facinus perpetrari ab alio, quàm Amore. Quare Amor fortior omnium, cui ipsam quoque mortẽ cedere necesse est. Altera ratio quæ clarissimè arguit morte fortiorem esse Amorem, hæc est: Quia is qui verè amat, priùs moritur, quàm vincitur. Testes luculenti sunt in vtraque lege Martyres, ipsos Tyrannos, Reges, Præsidesque exsibilantes, illudentes tribunalibus, supplicijs, carceribus; mundum, & ea quæ mundi sunt, ne hili quidem æstimantes. Res digna stupore est, latrones magnanimos, truculentos, impauidos in omni vitæ discrimine, raptos ad pœnam perdere tandem seipsos, & Quæsitori plura fateri scelera quàm admiserint; Contrà tenellum sexum, puellos puellasque medijs in tormentis, in tormentis non vsitatis, non auditis, robur sumere, & quasi à plagis reddi fortiores. Amoris hæc virtus est, qui ex infirmitate vires colligit, & teneritudinem puellarum masculat', animatque ad contemptum mortis. Immò illam ipsam D. Paulus prouocare ausus est, tantumque aduersus eam ab Amore robur obtinuit, quanto infirmior timidiorq; est, qui hunc Amorem nondum concepit. Heus Beate Paulle, viden' vt te satellites Stygij inuadant?

Morte fortior Amor.

Rom. 8.

dant? Tota Dæmoniorum agmina Infernus euomat. Hui, quàm valida machinamenta adducunt, vt te euertant? famem, infamiam, carceres, numellas, pedicas, bojas? Omnia aduehant tormenta damnatorum. Caue, ne te pessumdent. Immò illi ipsi succumbent. An non expauescis ad hostem tam potentem, tam armatum? Qui amat, *foras pellit timorem.* Præter illà mors quidem vincit, sed victos jam atque vinctos, debiles, inualidos, effœtos, vltima iudicis sententia damnatos: Amor vero plenos sanguinis & virium, robustos, animosos, liberos subiugat, atque vinculis suis innodat, & quod mirum maximè, sine omni violentiâ. Argumentationem nostram concludet Patriarcha Iacob, qui ad vitæ terminum propinquans ætate magnâ atque longâ inualetudine ducibus, luce iam vtraque orbus, & alterum pedem habens in tumulo, cùm accepisset, quòd filius eius Ioseph (quem tenerrimè adamabat) viueret, *quasi de graui somno euigilans, ait, Vadam & videbo illum antequam moriar, profectusq; venit in Aegyptum.* Ad primum nuncium, tantum roboris illi subministrauit Amor, vt nemine opitulante se erigeret, & grabato relicto ad filiũ properaret. Tanta est vis Amoris, vt ea quæ sunt in vngulis Mortis, eripiat, roburq; & vitam reddat. *Gen. 45.*

Hacte-

Hactenus Amoris atque Mortis antithesin dedimus, nunc audacia fortitudoque illius confirmanda est, vt ad potissimum huius capitis argumentum veniamus. Si ad prophanas literas secedimus, occurrent nobis hyperbolici & planè incredibiles Amoris effectus. Indicium primum esto Paridis Troiani judicium, cui à socijs pastoribus id nominis datum, quod par, seu æquus esset in eorum litibus dirimendis. Qui licet Priamo Rege oriundus esset, quòd tamen ex matris Hecubæ somnio & oraculo Apollinis intelligeret pater, eum futurum aliquando facem, quâ Ilion conflagraret, natum exponi iussit. Mater verò, & naturali pietate, & formâ pueri ad commiseratione͂ permota, mortem eius simulari & clam in monte Ida educari mandauit. A pastore ergò nutritio ad pecua pascenda cum alijs dimissus, cùm acri ingenio præditus nata inter socios dissidia iudicaret æquissimè, indito Paridis nomine, vnanimi omnium calculo in Iudicem Pastorum electus est. Porrò de illo talis apud Poëtas fabula est. Inter Palladem, Venerem, & Iunonem lis nata est super excellentia. quæsitus arbiter; Dearum communi suffragio assumptus Paris, qui discordes iudicio suo conciliaret. at ille formâ Veneris captus, pro hac stetit, dua-

bus-

busque, Palladi quæ Sapientiæ, & Iunoni quæ Diuitiarum Dea est, Amoris matrem antetulit, & tanquam potentiori ac præstantiori, pomum, quod discordiarum vocabatur, adjudicauit. Fingunt quoque in complexum Panis (per quem tota natura significatur) venisse Cupidinem, quod Amor exsuperet omnia & suppeditet. Et quid mirum, si naturam ille subiugat, qui Cæli Deos incendit? vt ait Seneca. Iupiter se amburi queritur, Mars iacula eius nimis ignita dolet, Vulcanus magis sentit vnam Amoris scintillam, quam fornaces omnes Liparæas. Tam miserè pusio ille noster Deos exercet, vt abire iubeat in equos, tauros, lupos, canes, cygnos, serpentes, montes, pluuiã, sexcentasq; alias figuras. Eò adurget, vt suæ dignitatis, diuinitatisque immemores infra homines vilissimè abijciat. Lactantius Firmianus ex antiquo Poëta Cupidinis triumphum graphicè delineat, & postquàm Deorum omnium amores numerauit, ante currum triumphantis vincta premittit Numina, mancipia Amori deuota. Idem suauissimus Poëtarum Petrarcha cecinit. Eustachius autor Græcus scribens Ismeniæ atque Eratisthenis amorem, depingit carrum & in carro iuuenem, inuestem, formosissimum, alterâ manu arcum, alterâ ignem tenentem, ad humeros

pennis, ad latus gladio accinctum: cui pedes quidem addit humanos, sed alatos vndique. Sub throno gentem innumeram, diuersæ ætatis & conditionis omnes, omnes reuerenti vultu, & capite cernuo tanquam mancipi datos. Ad carrum vincti erant Iapetus & Saturnus, vterque decrepitâ iam ætate & grauitate venerabiles; sed candidus alter, qui splendore suo pænè Solis radios præstingueret, alter contra, supra quàm dici potest furuus atque ater. Circum carrum volucres diuersicolores, quibus licet alæ essent liberæ, nulla tamen se mouebat. Erat & squamigerum pecus, & aliorum animalium copia infinita. Tum ad Ismeniam Eratisthenes: Tu, ait, ex me quæris, quid Amor sit, ipsa jam videas licet ex figurâ eius atq; insignibus. Ignē aduersus feminas, aduersus viros gladiū stringit. in feras arcum tendit, alas in aues explicat: nudus verò est contra pisces. Omnis ætas illi obtemperat. Puelli imaginem habet, quia prudentiæ & maturæ rationis vsum tollit. His coloribus ergò Amoris dominium adumbratur. Phædrus in Euripide indignatur Achiuos, aliasque nationes Ioui, Apollini, ceterisque Diuis facere; quòd vanum illi videretur offerre alij, præter eum, penes quem rerum summa potestas est. Plato Amori epithetum Dei Magni

dedit,

dedit, quod factorum magnitudine mundo admirabilis, immò terribilis esset. Idem Apuleius, idem Orpheus nomen ei attribuunt. Toxili apud Comicum verba hæc sunt.

Cum Leone, & cum excetrâ, cum ceruo, cum apro Aetolico,
Cum auibus Stymphalicis, cum Antæo deluctari mauelim
Quàm cum Amore.

Apud Herodotum Iupiter excusat Ixionem, quod Iunonis amore captus esset: nihil arbitrans nouum, si mortalis cælesti & non antè visâ formâ delectetur. Homerus verò introducit Deorum grandem numerum Veneri supplicantium. Quæ omnia argumenta manifesta sunt Amorem supra alios Deos omnes in pretio habitum. Sunt aliqui, fateor, qui ab Amoris iugo se exempto; conantur ostendere, & satyris acerbissimis in Amorem inuehuntur, quibus tamen vsu venit, quod habet in suâ mythologiâ Æsopus. Leo fugientem insequebatur ceruam, quæ (vt omnibus animalibus minus fortibus agilitas connata est) multis parazangis Leonem præcurrebat, & se in opacum nemus condebat. Sedentem in triuio pastorem rogabat Leo, numquid ceruam vidisset: ille digito indice quidem monstrabat latibulum, sed so-

nanti voce addebat: Non vidi. Ita multis obtingit, vt nutibus, oculis, varijsque signis se Amoris seruos profiteantur, verbis tamen, quantum pote est, inficias eant. Physici scriptores adserunt Amoris principatum exire ad plantas vsque minutissimas, & inueniri inter eas marem atque feminam, neque satis adolescere, aut progerminare nisi vicino in loco conserantur; vt & hæ quoque Amorem præsentiscere videantur. Cypressus testis est, testis hedera, palma, amygdalis, & arbores huiuscemodi. Quod si quis harum alterutram speciem separauerit, vix caput attollent, frondebuntque modicè, paucosque vel omnino insipidos fructus dabunt. Suffragio suo nos juuat Philostratus, qui mutuum inter oliuam & vitem Amorem agnoscit: Columella etiam inter vitem & ficum. Amorem autem animalibus dominari tam certum est, quàm quod certissimum. patet etiam in illis, quæ species distinguit. Psittacus turturi, merulæ turdus, pauus gallo amicus est; & Aristoteles obseruauit. Ælianus multa narrat de delphine, qui puerum; de elephante qui delphinem; de ansere, qui fidicinem, de cornice quæ adolescentem adamauit. De humanâ verò amicitiâ hîc loqui superuacaneum puto, cùm rarissimorum exem-

plorum

plorum plenæ sint omnes historiæ. Postremò Amor ius dicit in Cælo, terrâ, mari, & in omnibus abyssis. Inter alias hanc quoque picturam veteres celebrarunt, quæ Amori vnâ in manu picem, in alterâ ramum viridem dabat, & sic in totum mundum imperium significabant. Cùm neque hyperboreo axi suppositi, cum toto suo glaciali æquore calorem eius pellere queant, neque cum omnibus aquis Naiades, neque qui sole meridiano torrentur, neque supra ipsam sphæram ignis viuunt, hunc ignem effugiant. Omnes tributum pendunt Amori. Immò & maiores nostri crediderunt in medijs inferis regnare Amorem. Narrat Philostratus in vitâ Apollonij, matrem quandam à sapientibus efflagitasse remedium filio suo annos sedecim nato, quem auernalis genius efflictim deperibat, vt nusquam eum desereret, duceretque, aut raptaret per campos, siluas, tesqua, sed illæsum. rogatus verò Daemon, caussam tam inusitati amoris, respondit adamasse se primùm militis in bello interempti viduam, sed quia iam ad secundas nuptias transierat, feminas odisse grauiter, & adfectum suum in puerum illum transtulisse. Refert Aristoteles famam deriuasse Homeri originem ex dæmonio & muliere. Huc spectant figmenta antiquis-

ſima de Phrygibus, Arcadibus, Herodoto, Endymione; præterea narrationes aniles de Faunis, Incubis, Succubis (qui & in dubium ab Auguſtino reuocantur) Nymphis, Dryadibus, Hamadryadibus, Satyris: & quæ ſcribuntur de P. Scipione, cuius patrem inter Deos collocant, de Alexandro Magno, Romulo Urbis conditore. Pro-nuper de Incuborum amoribus rara mihi relata ſunt, quæ non pro meris figmentis aut mendacijs habeo: non tamen ideo veterem probo opinionem, quam diu ſepultam nouitius quidam Doctor reſuſcitare conatus eſt: qui ſi tantũ ſacræ ſapientiæ, quantum inanis tumidæque philoſophiæ habuiſſet, nunquam tali ſomnio credulum animum addixiſſet. Interpretabatur ergò locum illum Geneſeos: *Videntes filij Dei filias hominum quod eſſent pulchræ*; & filios Dei volebat fuiſſe Dæmones, qui filiarum Cain amoribus capti, eas in coniuges aſſumpſiſſent, ex quo deinde thoro gigantes enati eſſent. Et eorum qui ita ſentiunt, vnus in partes ſuas trahit Auguſtinum, quaſi & ille idem opinatus eſſet. Sed pace illius dixerim, falſus eſt, longè enim ab iſto errore eſt Auguſtinus. tametſi enim Dæmones incubos admittat, non ideò tamen Dei filios, de quibus eo in loco ſcriptura loquitur, Dæmo-

nes

nes fuisse credidit. immò planissimis verbis in *Ciuit. Dei* scribit filios Dei hic fuisse homines, asseueratque tam clarè id ex ipsis literis sacris deduci, vt nulli de eo ambigere liceat. & pòst legisse se ait in libris apocryphis, gigantes hos ex testimonio Enoch non fuisse hominum filios; sed vt pro falso id quoque habemus, ita negandum id vnquam ab Enoch adfirmatum. Quando ergò graues aliqui & sancti scriptores in hanc sententiam inclinant, humano more locuti sunt, ita vt nemini Christiano & docto fas sit hanc opinionem amplecti: vti probant Ioannes Chrysost. Cassianus eius discipulus, Philastrius, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus & alij. vt in viam redeamus, hæc omnia probant supremum Amoris imperium. Adhæc Amor nullis præceptis aut legibus tenetur: legislatores, suos impetus habet. Agnatos ludit, negat stemmata aut negligit, sacra thalami vincula despicatur, famæ & honoris nullam aut valde exiguam rationem seruat, studia honestaque exercitia interturbat, totam denique naturam immutat. Dicit Plato Amorem excitare in prælia timidas infirmasque animantes aduersus validas ac magnanimas. Cerua Taurum induit, Leonem gallina, quando accipiter in pullos impetum facit. Nunquam Leo-

Lib. 2. c. 15.

Chrys. l. 20.
Cass. l. 11. c. 8.
Philast. c. 108.
Hier. l. 15. c. 17.
Cyril. l. 2.

nes, vrſi, vri, equi ferociores ſunt, quàm dum amant. quo lupato frænari poterit quadrupes, cui Amor calcar addiderit? quibus montibus aut ſiluis Leo cohibebitur, vbi ſacro iſto igni incaluerit? Hinc Amor rectè furor dictus eſt, quòd nullus eo furor magis furialis. vt patet in Turno Virgilij, in Senecæ Medea. Iuſtinianus Imperator in codice dicit Amore nihil eſſe impetuoſius, quare Commentator hos verſus annotauit:

Non frater frater, cum furor ille venit.
Igneus ille furor neſcit habere modum.

Alciatus in aëre volantem depinxit radium, quem pennatus Cupido ſubſequitur, & emiſſo è pharetrâ iaculo ignito extinguit; innuere volens omni alio ignem Amoris eſſe potentiorem. In quodam Pſalmo Dauid de tonitru loquens dicit nullo terriculamento magis intremiſcere homines, quàm vbi Cælo Deus tempeſtuoſus intonuit. horribile enim eſt videre per medium diffiſſas cedros, quercus eradicatas, robora ambuſta, fulmine tactas oues, boues oppreſſas. At Amor noſter tonitruanti ſe Cælo opponit, & totus licet orbis illabatur, per medias ibit ruinas, vt amato potiatur. Hinc Phædra:

Ipſa

Ipſa comes veniam, neq; me ſalebroſa mouebunt
Saxa, nec obliquo dente timendus aper.

Quapropter appoſitè illi datum nomen ignis, vt inter cetera elementa maximè agentis & valentis. Aduerſus aërem atque aquam obices faciles atque multi ſunt: ſed igni reſiſtendo non ſufficiunt muri, turres, montes, ferrum aut aliud quoduis metallum; omnia enim ignis conſumit. Ita nullum contra Amorem vallum ſatis validum fingi poteſt. Amoris quidem remedia ſunt cum negotijs longæ abſentiæ: præſentia enim atque otium magis hunc ignem accendunt. Sed neque hæc poſſunt quidquam in magno Amore. Vnde ſponſa bene cecinit: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me: poſuerunt me cuſtodem in vineis.* Fratres mei non potentes æquo animo ferre adfectum, quem erga ſponſum meum gero, vt alieniorem redderent, ablegarunt me, & vineæ ſuæ atque meæ curam impoſuerunt. Ah quæ dementia amanti rem ſuam committere? tentare inter amantes diſſidium? quid enim hoc aliud eſt, quàm incenſum pectus inflammare penitùs? *Vineam meam non cuſtodi-* **Can. 1.**

ui. feris demoliendam reliqui. *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam:* neque enim mihi vlla vineæ, sed tui sola cura est. Multa maximeque aduersa habuit sponsæ Amor, sed

Cant. 1.

Omnia vincit Amor, quid enim non vinceret ille?

Per noctem quæsiuit, circuiuit ciuitatem, per vicos & plateas quærens quem diligebat anima illius, nihil vigiles, nihil tenebras veritam. Minus malum, quod timere potuit, fuit expilari & iniquè indigneque tractari. Nunc verò vrgent fratres, vt in siluis erret, ardentem solem patiatur, sed hoc est solum velle Amorem pellere. Magdalenæ non dissimile euenit, quæ multis turbata periculis, petita varijs hostium insidijs, Amoris tamen præsidio stetit interrita, superiorque euasit. Pharisæus peccatricem, perditricem illam discipulus vocabat: eunti ad sepulchrum spectra atque phantasmata mille occursabant, horror nocturnæ caliginis, supplicij locus, custodes tumuli, Iudices, petra grauior, quam quæ femineis manibus moueri posset. Amor tamen impauidus omnium victor

Luc. 7. Marc. 14. & 15. & Ioan. 20.

fuit.

fuit. Quo festinas Domina? non horres hoc noctis obambulare per sepulchreta & cœmiteria? Nescit Amor timere. Si Pontifices inaudierint, non mirum si te captiuauerint pro lamia, quasi ad effodiendum cadauera veneris. Non didicit pauere Amor. Saltem vigiles cauere oportet inuerecundos & scelerum ministros. Non metuit Amor. Quid putas dicturi sunt, qui te hac tempestate viderint, nisi te explorari & fraudem struere? Intrepidus est Amor. Hinc cæcus pingi solet, quod in oculis timoris verecundiæque plurimum sedere videatur, in cuius tamen vitta in hanc sententiam scripserunt: *Nec pudor, nec timor.* Tria suadere audaciam docuit Ouidius:

Nox & Amor, Vinumq; nihil moderabile suadent,
Illa pudore vacat, Liber Amorque metu.

Ductor quidam exercitatissimum habuit militem sub signis holosericis, Ordinesque Amantium vocabat, qui stratagematis victoriarumque gloriâ clarissimus erat. Lacedæmoniorum mos fuit ante prælium Amori sacra facere, quod eum victorijs præsidere crederent. Ab eodem fluxit illa, quam retulit Dauid

de immani gigante, qui in Valle-terebinthi maledicebat & exprobrabat agminibus Israël. Tametsi enim Dei instinctu excitus, fauoreque eius armatus in pugnam exiret; vt diceret: *Tu venis ad me cum gladio & hastâ & clypeo; ego autem venio ad*
1. Reg. c. 17. *te in nomine Domini exercituum, & dabit te Dominus in manu meâ, & percutiam te, & auferam caput tuum à te; & dabo cadauera castrorum Philistijm hodie volatilibus cæli, & bestijs terræ: vt sciat omnis terra quia est Deus in Israël.* Tamen Amor illi subiecit stimulos; *ait* enim *ad viros, qui stabant secum, dicens: Quid dabitur viro qui percusserit Philisthæum hunc, & tulerit opprobrium de Israël? Referebat autem ei populus; Rex filiam suam dabit ei.* Michol verò iam Dauidi non ignota erat, & illa psalterium eius decachordum, musicumque melos audierat, quando ætate junior Regis psaltes fuerat. nam dubio procul, vt ex sacro textu liquet, ante pugnam citharisten egerat: licet cum à cæde gigantea reuertentem Saul non agnouerit. huic enim errori, vt cum S. Augustino Lyranus indicat, caussam dedit oris immutatio, quæ subita maximaque in iuuenibus ex primâ barbæ lanugine nascitur. Pastor itaque ille filiam Regis non ignorabat & fortasse cum lubentiâ: quam-

uis in filias regias pastorum oculi figi non soleant, quando tamen pectus honestum generosusq; animus est, nihil obstat cento pastoralis. Hac igitur spe plenus, amantibusque cogitationibus excitatus decurrit in campum, fretusque Deo adiutore patrauit facinus nullis Poëtarum fabulosis narrationibus secundum. Memorandum quoque factum Iacobi Patriarchæ. hic cùm abiret Mesopotamiam cupidus sociare sibi, & in vxorem ducere aliquam ex filialibus Laban auunculi sui, *Gen. 29.* venit ad puteum, *& vidit tres greges ouium accubantes iuxta eum: nam ex illo adaquabantur pecora, & os eius grandi lapide claudebatur. Morisque erat, vt cunctis ouibus congregatis deuoluerent lapidem, & refectis gregibus rursum super os putei ponerent. Dixitque ad pastores: Nunquid nostis Laban filium Nachor? Dixerunt: Nouimus. Dixitque Iacob: adhuc multum diei superest, date potum ouibus, & sic eas ad pastum reducite. Qui responderunt: Non possumus, donec omnia pecora congregentur, & amoueamus lapidem de ore putei, vt adaquemus greges. Adhuc loquebantur, & ecce Rachel veniebat cum ouibus patris sui, nam gregem ipsa pascebat. Quam cum vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, amouit lapidem quo puteus claudebatur.* Ecce incredibilem vim Amoris,

quo plenus Iacob ſolus amouit lapidem, quem paſtores centum leuare conſueuerant. *Tres juuenes corporis cuſtodes, qui cuſtodiebant corpus Regis* Darij, mouerunt quęſtionem, quæ res in mundo eſſet fortiſſima. *Vnus ſcripſit: Forte eſt vinum. Alius ſcripſit: Fortior eſt Rex. Tertius ſcripſit: Fortiores ſunt mulieres, ſuper omnia autem vincit veritas.* Veritatem commodiùs alibi examinabimus: certum exploratumque eſt, plus ceteris mulierem poſſe, quæ Adamum, Sampſonem, Salomonem ſubſtrauit. Sed notandum hos effectus non tam eſſe mulieris, quàm Amoris. ſine hoc enim mulier quid poſſit? Eſto, Sybillas ſapientiâ, caſtitatę Lucretiam, Venerem venuſtate exuperet: *pretium ſcorti vix eſt vnius panis*, inquit Sapiens. Sed quemadmodum res viliores ab Amore æſtimantur, vt *vidua vna pauper* quæ *miſit duo minuta, quod eſt quadrans, plus omnibus diuitibus miſerit in gazophycacium* qui *multa iactabant*; & puſillanima excitet, ſolidetque infirma: ita & citra Amorem, mulier nihili eſt, cum Amore mundum vertit, inuertitque vniuerſum. Tranſeamus nunc ſponſam, quæ ad primum adſpectum, ſponſo dixit: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* ſignum aut mentis abſentis aut verecundiæ; aut ab audaci Amore ja-

3. Eſd. 3.

Prou. 6.

Marc. 12.

Cant. 1.

cta

cta confidentissima verba. Vt omittamus quoque alia eius facinora; non potest vllâ in re aliâ veritas hæc patere clariùs, quàm in conuersatione hominis cum Deo. Si enim, quid homo sit, indagare libet, non possumus miserias eius omnes eloqui. Amor tamen in Amicis Dei nimium quantum præsumpsit. Considerate Deum in veteri lege implacabilem, & supra modum seuerum. legem hanc tulit inuiolabilem: *Non videbit me homo, & viuet.* Exod. 33. Moyses tamen in Amore tantum ausus fuit, vt diceret: *Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.* Non existimabat Propheta Amori vllam legem positam esse. Et nunquid hæc suprema audacia est, dicere: *Si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti?* Exod. 32. Inter Duces Iudicesque populi tui scripsisti nomen meum: expunge nunc. quasi diceret: Nolo sub tuo vexillo merere, ductor esse nolo, si militibus meis tam grauis esse pergis. Deinde Elias vnus confisus titulo Amicitiæ, mortem sibi immitti optauit. ecce Amoris audaciam. Ne dicam, quod quinquagenario Principi nomine sui Regis imperanti, vt de montis vertice descenderet, responderit: *Si homo Dei sum, descendat ignis de Cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Descenditq́ ignis de Cælo, & deuorauit* 4. Reg. 1.

eum, & quinquaginta, qui cum eo erant. Et plenum periculi opus fuit quinquaginta prophetas Baal occidere, vnde & iram Regis & Reginæ in se concitauit. Et quæ confidentia Deo quasi imperare & dicere: Veniat fames super terram; non pluat donec ego iussero? Magnum quoque illud Iosue in Solem & Lunam imperium, quo edixit Lunæ, ne se moueret, Soli vt statim staret. Legem Cæli ab orbe condito immutasse Deum nusquam legimus: & tu quæris vnde ista nouitas? à fiducia Amoris. Ex toto Apostolorum collegio nemo interrogare ausus est, quis Domini traditor foret, præter vnum Ioannem dilectum Christo discipulum. Præpositi sunt canis capillis rufi; & cum Deus præceperit vt in conuentu seniorum juuenis taceat, & homo qui curiosè multa indagat, incurrat in fastidium; ausus est tamen Ioannes interrogare Dominum, & de proditore inquirere. Ex eodem fonte nata est pro sedibus supplicatio. Et quàm parum est Deum modo familiari accedere? audite paradoxon; robur suum jactare, & cum Deo congredi, & non inferior aut infirmior videri desiderat. Dicit Deus: Propter te Cælum deserui. dicit homo: ego terram, quæ est cælum meum. Reliqui angelos. ego Fratres meos.

3. Reg. c. 17. & 18.

Iosu. 12.

Matth. 20.

Et

Et patrem, *quia exiui patre & veni in mundum.* ego patrem & matrem & omnem mundi ſubſtantiam: vitam, honores, intellectum, memoriam, voluntatem, ſenſus omnes. Faciam ergò aliquid, quod æmulari neque tu, neque tui poterunt. Tui cauſsâ in Crucem adſcendam. Potens ſanè Amor, qui in ſubiecto adeò debili Deum ita propè ſubſequitur. Sed dices: Amor delicatus ex naturâ ſuâ, & mollicellus eſt, vt eius quoque dolores ſuaues atque amabiles ſponſa vocet: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia Amore langueo.* Ægra, ex floribus & amœnis hortorum malo ſuo medicinam quęrere videtur: quomodo ergò fortis ſit, qui adeò tenellus? Pro nobis reſpondebit Antiquitas, quæ Amorem filium Veneris atque Martis commenta eſt. A matre hæreditat blandimenta, delicias, ſuauitatem, amœnitatem, elegantias: à patre fortis eſt, potens, impauidus, crudelis. vnde D. Bernardus dicit Amore nihil eſſe violentius, eodem nihil mollius. Non eſt à ſæculo audita fortitudinis tam admirandæ ſpecies tam peregrina, vt qui manibus truncus ſit ineptusque ad vim inferendam, violentiſſimus ſit ad obtinendam victoriam. hoc ex communi opinione ſupremæ illius potentiæ accidit, quod o-

Ioan. 16.

Cant. 2.

eum, & quinquaginta, qui cum eo erant. Et plenum periculi opus fuit quinquaginta prophetas Baal occidere, vnde & iram Regis & Reginæ in se concitauit. Et quæ confidentia Deo quasi imperare & dicere? Veniat fames super terram; non pluat donec ego iussero? Magnum quoque illud Iosue in Solem & Lunam imperium, quo edixit Lunæ, ne se moueret, Soli vt statim staret. Legem Cæli ab orbe condito immutasse Deum nusquam legimus: & tu quæris vnde ista nouitas? à fiducia Amoris. Ex toto Apostolorum collegio nemo interrogare ausus est, quis Domini traditor foret; præter vnum Ioannem dilectum Christo discipulum. Præpositi sunt canis capillis rufi; & cum Deus præceperit vt in conuentu seniorum iuuenis taceat, & homo qui curiosè multa indagat, incurrat in fastidium; ausus est tamen Ioannes interrogare Dominum, & de proditore inquirere. Ex eodem fonte nata est pro sedibus supplicatio. Et quàm parum est Deum modo familiari accedere? audite paradoxon; robur suum iactare, & cum Deo congredi, & non inferior aut infirmior videri desiderat. Dicit Deus: Propter te Cælum deserui. dicit homo: ego terram, quæ est cælum meum. Reliqui angelos. ego Fratres meos.

3. Reg. c. 17. & 18.

Iosue 10.

Matth. 20.

Et

Et patrem, *quia exiui patre & veni in mundum.* ego patrem & matrem & omnem mundi substantiam: vitam, honores, intellectum, memoriam, voluntatem, sensus omnes. Faciam ergò aliquid, quod æmulari neque tu, neque tui poterunt. Tui caussâ in Crucem adscendam. Potens sanè Amor, qui in subiecto adeò debili Deum ita propè subsequitur. Sed dices: Amor delicatus ex naturâ suâ, & mollicellus est, vt eius quoque dolores suaues atque amabiles sponsa vocet: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia Amore langueo.* Ægra, ex floribus & amœnis hortorum malo suo medicinam quęrere videtur: quomodo ergò fortis sit, qui adeò tenellus? Pro nobis respondebit Antiquitas, quæ Amorem filium Veneris atque Martis commenta est. A matre hæreditat blandimenta, delicias, suauitatem, amœnitatem, elegantias: à patre fortis est, potens, impauidus, crudelis. vnde D. Bernardus dicit Amore nihil esse violentius, eodem nihil mollius. Non est à sæculo audita fortitudinis tam admirandæ species tam peregrina, vt qui manibus truncus sit ineptusque ad vim inferendam, violentissimus sit ad obtinendam victoriam. hoc ex communi opinione supremæ illius potentiæ accidit, quod omnes

Ioan. 16.

Cant. 2.

mnes delectet se illi dedere captiuos atque seruos.

Obseruandum postremò ex hac Amoris fortitudine generari in Amante securitatem, vt pericula aut non videat, aut contemnat. Filij Iacob cum Principe Hemor & filio eius Sichem fœdus pepigerunt: *In hoc valebimus fœderari, si volueritis esse similes nostri, & circumcidatur in vobis omnis masculini sexûs.* Gen. 34. *Tunc dabimus & accipiemus mutuo filias vestras ac nostras. Placuit oblatio eorum Hemor & Sichem filio eius. Nec distulit adolescens, quin statim quod petebatur expleret: amabat enim valde.* Non metuit dolum vllum aut insidias: periculi omnis securum reddit Amantem Amor. Dauid *dilexit Michol filiam Saul. Porrò Saul cogitabat tradere Dauid in manus Philistinorum: & mandauit* 1. Reg. 18. *seruis suis; Loquimini Dauid clam me dicentes: Ecce places Regi, & omnes serui eius diligunt te; nunc ergo esto gener Regis. Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philistinorum* Oderant enim pessimè circumcisionem Philistæi, atque ita eis Dauidem exosum reddere volebat, vt quacumque viâ illi posteà vitam tollere conarentur. At nihil discriminis subesse credidit Amans Dauid. *Placuit* igitur *sermo in oculis* eius, *vt fieret gener Regis. Et*

paucos

post paucos dies surgens David abijt cum viris qui sub eo erant, & percussit ex Philistiim ducentos viros, & attulit eorum præputia & annumerauit ea Regi, vt esset gener eius. Deniq; non satis librorũ est, vt omnia perscribãtur pericula, in quæ se spõte suâ quotidie immittunt, qui verè amant, securitatem pollicente Amore. *Qui plura super hac materiâ volet, consulat Tostatũ tom. 2. in principium lib. 1. Reg. in Genes. Deut. Matth. &c.*

CAPVT IV.

Amor verborum parcus, opere efficax.

CVm sacris literis docet nos quotidiana experientia, & oculis testibus fidelissimis videmus verum Amatorem minimum loqui de suo Amore: vti parum quoque de virtutibus suis pij sanctiq; homines, parum de viribus suis generosi viri sermocinantur, sed potius in aliud tempus differunt, ipso opere melius demonstranda. Et probatissimus quisque gloriari de nummis insanum putat, & prudens de sapientiâ suâ præsumere: ita qui amat, vanum judicat multa de Amore fabulari. Et quamuis cor hominis adeò abditum sit, vt judicare de eo humana astutia difficilè queat, signa tamen sunt manifestissima veri falsique A-

Amoris veri falsique differentia.

moris. Manus enim sine linguâ verus Amor, falsus sine manibus linguam habe Amor personatus multiloquus est, se claudus, mancus, piger: syncerus ver elinguis, at solicitus, promptus, impige licet interdum æstuante pectore in os ex undet, vti parua olla luculentiori igni sub structo: ita tamẽ verba sua castigat, vt no appareat quid dicatur, sed quid agatur Quare sic quoq; Amorẽ pinxerunt, vt di gitũ ori insereret, alteraq; manu teneret lo culos magnos atq; apertos. Et videtur A mor ornatus esse cõditionibus boni, quo pro obiecto suo habet. vti enim boni pro prietas est, sui esse diffusiuũ: ita Amoris es liberalẽ. Plutarchus inuentorẽ manticę a que mendicitatis Amorem facit. qui enin in Cupidinis hospitium diuortit, filij pro digi vitam viuit. Adamum protoplastum in xenodochium perduxit Amor Euæ quam ne contristaret, inquit S. Augusti nus, perdidit profuditque momento tem poris totius orbis ditissimum potentissi mumque imperium. Martyres, homolo getæ, virgines deseruerunt opulentissima patrimonia veluti Amoris grauia turba mina. Si quando calida nobis febris in cubuit, carbasina quoque & byssina in tegumenta nimium onerosa sunt: ita A mori, qui ardentissimus ignis est, quidui

mole.

molestum est. quæ caussa fuit, vt Bartholomæus pellem sibi detrahi libenter passus sit. Quin immò si Deus ad egestatem vllo pacto redigi potuisset, eum omnium qui viuunt, pauperrimum jamdiu Amor fecisset. tantum enim nobis tamque prodigè elargitus est, vt si semper de ijs quæ donat decederet aliquid, nunc extremam inopiam pateretur. Hesiodus tradidit Amorem natum esse ex terrâ & chao: Simonides & Cicero filium Veneris & Martis dixerunt: alij alios illi progenitores dederunt, ita vt veri eius parentes ignoti sint. Illi verò qui rem pensiculatiùs inspexerunt, Amorem paupertatis filium faciunt, vt infrà latiùs dicetur, & quia mater eum tollere non poterat, expositum sibi Venus supposuit, & pro suo educauit. Quo emblemate veteres indicare voluerunt Amorem tam largum esse debere, dum seipsum depauperet penitùs & exspoliet. quare & nudum pinxerunt, quòd nihil omnino haberet, & pennatum, quòd expeditus esset. In euangelio de Marthâ & Mariâ liquidò apparet pauperies Amoris. cùm enim sorores essent, diuitijsque & patrimonio pares, dicitur tamen Martha recepisse Christum in castellum suum magnifico cum apparatu; cui nihil simile de Mariâ legitur. nempe

qui, vt Maria, multum diligit, non habet domum, nihil reliqui habet, quod donet. Probare hoc voluit Christus, quando post resurrectionem discipulis suis ostendit manus & latus. quasi diceret: Hæ manus sunt talis pectoris, & hoc pectus talium manuum. talia opera talis Amoris, & talis Amor talium operum. Hoc est, quod Apostolus dicebat: *dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* vbi coniunctio (&) non est copulatiua, sed caussalis. vti in salutatione angelicâ, *benedicta tu & benedictus fructus ventris tui.* id est, tu benedicta es, quia benedictus est fructus ventris tui. Ita S. Paulus ait: Certus sum quod Deus meus me amet, quia pro me mortuus est. quod Amoris indicium est inquit Gregorius. Et Ioannes in sua Canonicâ: *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* vbi & paullo post hortatur discipulos suos his verbis: *Filioli mei, non diligamus verbo neque linguâ, sed opere & veritate.* quod idem Christus Petro indicauit, cum eadem illum quæstione ter repetitâ turbaret: *Simon*, inquit, *Ioannis diligis me? Petrus: Tu scis, quia amo te. Dicit ei Iesus pasce oues meas.* & cum tertiò rogaret: *Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me?* videbatur Petro Christus de Amore

Gal.2.

Hom.30.

.ep.c.3.

Ian.21.

dubita-

dubitare. Non dubitabat tamen, ſed volupe illi erat, Petrum videre ſollicitum, quaſi non certò ſatis reſpondiſſet: licet tum amplius dixerit, quam cum gloriabundus jactaret ſe velle mori cum Chriſto. Aliquem de vulgo hominem interrogate, num in Deum credat; extemplò reddet: Credo. quærite ex eodem, num amet: contrahet humeros, & plus geſtu iſto loquetur, quàm ſi verbis adfirmaret. ita Petrus contrahens humeros: Tu ſcis, inquit, Domine: & gaudebat Dominus videre hominem trepidantem. Præterea indicare voluit, quo modo illum Amorem demonſtrare oporteret: Auſculta Petre, non debes neſcire Amorem conſiſtere non in verbis hujuſcemodi; *etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* neque in hoc dicto, *Tu ſcis, quia amo te*: ſed in adimpletione præceptorum meorum. atque ita plus agere, quam loqui Petrus didicit. Chriſtus hanc conſecutionem fecit. Maria dilexit mutum, quia multum operata eſt. Abraham, vt habet ſacer textus, multum diligebat Iſaac, quia multum donauerat. Ita in lege antiquâ Deo placuit eligere amicos homines ſemimutos. Moyſes, cui ita prodigioſæ erant manus, vt Regis Ægyptij diadema ſibi ſubderent, manus ita inimicæ otio, vt in ſi-

Math. 26. *Luc. 7.* *Gen. 27.*

num immissæ lepram induerint; manus quæ bacillo totam naturam immutabant; manus adeò potentes, vt quacumque Pharaonẽ attingerent, quasi diuinæ producerent ranas, muscas, culices, bruchos, verterent aquas in sanguinem: hic inquam propheta, cui manus erant tam stupendæ, elinguis, aut certè balbus est. quomodo igitur ad Pharaonem obibit Dei legationem? aliusne pro illo verba faciet? Pro linguâ additus est ei Aaron. Et postquam *locutus esset Dominus ad Moysen,* Exod. 33. *facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*, vnde expeditior euadere potuisset, non minùs tamen quàm antea lingua hallucinatus est. Quia Dei amicitia non multiplicat verba, sed opera: quare Moyses quidem Magister fieri potuit, non tamen disertus. Elegit Deus Hieremiam in vtero, & priusquam exiret, sanctificauit eum, & *constituit eum super gen-* Hier c. 1. *tes & super regna, vt euellat & destruat, & disperdat & dissipet, & ædificet & plantet.* homo igitur cui tam validæ dantur manus, quantam linguæ potentiam adipiscetur? *Loqui*, inquit, *nescio nisi a, a, a, quia puer ego sum.* Ad Isaiam qui plus ce- [?]. 6. teris Prophetis eloquentiæ & politicæ conuersationis didicerat, *volauit vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem*

forcipe

forcipe tulerat de altari, *& tetigit os* eius, vt minus meliusque loqueretur. D. Paullus in epistolis suis incomprehensibilem Dei altitudinem scribendo attigit, si quis alius, & tamen fatetur sermonem suum vilem esse, & in *ep. ad Cor. 2. c. 10. quoniam*, inquit, *epistolæ graues sunt & fortes: sermo autem contemptibilis.* Clemens in *tract. de cultu & religione Christianâ* exponens illud Cant. *Fortis est vt mors dilectio*, dicit Amorem diuinum idem esse vitæ sensuali, quod mors vitæ naturali: nam vt mors oculos, qui videbant, occludit, linguam, quæ loquebatur, ligat: ita Amor iustum in hac vita cæcum reddit, & mutum. Animalia Ezechielis, quæ iusti symbola sunt, habebant alas pennasque & sub his plena erant manibus, neque vlla erat penna, quæ nō haberet digitum, motumque perennem atque irrequietum. Amor hîc rectissimè figuratur, qui nunquam potens stare otiosus igni eleganter comparatur, elemento maximè actiuo. Cap. 8.

Qui non vult fieri desidiosus, amet.

Abraham perditá vindice igni Sodomâ, tabernaculum suum ad semitam magis tritam communemq; transtulit, vbi ad eum peregrini plures, hospitesque diuerterent.

Hactenùs probauimus Amorem magis in opere quam sermone feruidum esse.

Nunc contrà hoc quoque mille experientijs compertum habemus, Amorem optimum esse pædagogum, qui rusticam crassitiem attenuet, & de medio agro suscitet facundum Rhetorem, sæpè & Poëtam. Da mihi, inquit Philippus Beroaldus, hominem, cui nulla in cerebro mica salis, nihil in pectore aceti est, qui totus elephantino corio tectus est, vt non sentiat plusquam lapis; Amori eum instruendum cõmittam, qui continuò hominem erudiet, poliet, excoletque ad Thaletis sapientiam. Amor agrestem animum subigit, domat barbarum, ab ignauiâ excitat, tollit lethargum. Hinc Plato in Sophistâ suo, dicit Amorem amantes Poëtas reddere; cuius hæc ratio esse potest, quia metrum opus phantasiæ est, quæ plurimum caloris requirit. Denique graphicè eum Plotinus depingit, & patrem elegantiarum, facetiarum, jocorumq; vocat, & qui hunc mundo tolleret, Solem tolleret, decusque vniuersi. Neque in hominibus tantum, sed in volucribus hunc effectum videre est. Aëdones dum amant, dulciùs canunt, & per amica noctis silentia amores suos celebrant amœnissimâ harmoniâ. Ceteræ quoque aues, quibus natura modulari dedit, linguam ab Amore accipiunt solutiorem atque subtiliorem. Alia denique ani-

malia

malia omnia agilius se mouent, & mutis gesticulationibus Amoris edunt mille signa. Denique Amor inter eas res locum habet, quæ tegi non possunt, quæ sunt, Nummi, Sapientia, & Amor. De pecuniâ loquuntur cruces, ad quas infelici laqueo excluserunt animam latrones, quia celare furta sua non potuerunt. quàm multi ad xenodochiũ diuertere coacti sunt, quàm multi ad cœmiterium deportati, qui loculos suos ostenderunt furibus, quos Amicos credebant? Neque mirum, si diuitias suas vulgus occultare nescit, hoc vitium quoque in aulis Regum habitat. Ezechias Babylonijs legatis ostendit *aurum & argentum, & pigmenta varia, vnguenta quoque & domum vasorum suorum, & omnia quæ habere poterat in thesauris suis.* Assuerus quoque *fecit grande conuiuium cunctis Principibus & pueris suis fortissimis Persarum & Medorum inclytis, & Præfectis prouinciarum coram se, vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem atq; iactantiam potentiæ suæ.* De Sapientiâ hæc Iob: *Conceptum & sermonem quis continere potest?* Ingenij sui fœtum quis Poëtarum celare poterit & premere, vt ne in lucem prodeat? Nihil mirum si mulier disrumpatur media, quæ subnatis vteri doloribus, dum hora pariendi vrget, violento & contra naturam impetu matu-

Amor non potest celari.

4. Reg. 20.

Est. 1.

Iob. 4.

rum pondus ventris ergastulo cohibuerit: ita moriuntur plurimi & crepant ex desiderio loquendi. Quare prouida Natura rectè mutos surdos quoque fecit: vt ne frangerentur doloribus, si voces accipere, reddere verò non possent. Cum amici Iob singuli loquendi officium suum impleuissent, Eliu Buzites, quòd iunior esset, veritus suam ante alios indicare sententiam, tandem in hæc verba erumpit. *Respondebo & ego partem meam, & ostendam scientiam meam. Plenus sum enim sermonibus, & coarctat me spiriritus vteri mei. En venter meus quasi mustum absq; spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit. Loquar & respirabo paullulum.* Nihil verò difficilius occultari potest, quàm Amor, quia non potest in sinu flamma abscondi:

Iob. 32.

Quoq; magis tegitur, tectus magis æstuat ignis.

Ouid 4. Metam.

vnde Medea:

----quis enim bene celat Amorem?
Eminet indicio prodita flamma suo.

Epist. 12.

Amor quidem in corde sedem fixit, sed egreditur per oculos, quos sui interpretes habet potiùs quàm linguam. Itaque os, oculi, aures, januæ fenestræque sunt Amoris, aut si libet dicere, caminus, per quem flammas suas cordis ardens fornax eructat. Sponsa sponsi sui oculos depingens

dicit: *Lampades eius lampades ignis atq; flammarũ*, quia flagrante pectore flamæ aſcendunt atq; accendunt oculos. Spõſus ex oculo vno, vnoq; intuitu ſuę Spõſæ plus intelligit, quàm ex multo longoq; ſermone. Capillus vnus loquitur illi verba, quæ cor animamque diſpungunt. *Vulneraſti*, inquit, *cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui*. Quare cùm multa Amori adfingunt pictores, tum eum quoque nudum exhibent, & apertum pectore, facie, capite: quaſi qui ſe vbique manifeſtet, & cor recluſum habeat. Quemadmodum, inquit Baſilius, commoto igni exiliunt implentque aërem ſcintillæ: ita Amor ſubitò plagas infligit, & patefacit ſubitò. Negari tamen non poteſt quandoque modicum ignem ſepeliri à paucis cineribus, ſed Amor qui tegi poteſt, non eſt Amor. Duos ergò hoc capite Amoris effectus probauimus. Oſtendimus primò ſemimutum eſſe, deinde loquacem. Neque mirum hîc tam varium eſſe Amorem, cum vbique ſibi contrarius ſit. Quare Plato magum eum vocauit, quod amanti mille paſſionum coloribus variegato veluti Chamæleontis pellem induat, ita vt modo pauidum trepidumque, modo confidentiſſimum reddat. nunc triſtiſſimâ melancholiâ eum

Cant. 8.

Amoris effectus duo & contrarij.

pæne

pænè strangulet, paulò post subitario gaudio propemodum enecet. mox zelo, mox securitate plenissimâ impleat. jam omnem illi animum tollat: jam spe confirmet atque audaciâ. modo ægritudine affligat & lecto adfigat, modo non opinatâ valetudine erigat ad præsentem salutem. Vin' exercitia Amoris cognoscere! mos illi, robustos effeminare. Ita Herculem stolâ muliebri induit, & extortâ clauâ colum in manum dedit. in consuetudinem induxit, sapientibus turbare cerebrum, & dementare. nunquid Catonem ciuem inter Quirites prudentissimum, quadragies populi voce accusauit & absoluit toties? Et quæ insania maior eâ, in quam Philosophorum Principes Plato atque Aristoteles prolapsi sunt? qui meretrices, quas adamabant, diuinis honoribus coli voluerunt. Quosdam hilares, mœstos quosdam facit. apud Terentium in Andria Pamphilus gaudio ebrius immortalitatem sibi partam clamat.

Sc. Prouiso quid agat.

Sc. Num, quis hic est.

Chærea in Eunucho insanus præ lætitiâ:

Iamne erumpere hoc licet mihi gaudium? prô Iupiter,
Nunc est profectò, interfici quum perpeti me possum,
Ne hoc gaudium contaminet vita ægritudine aliquâ.

Æschyno verò in Adelphis

Membra metu debilia sunt, animus timore
obstupuit,
Pectore consistere nihil consilij quit,

ita se affligit, animique discruciat. Plauti comœdiæ Amoris vim vbique ostendunt. Clarissime autem Cistellaria, in qua Alcesimarchi amantis verba hæc sunt.

Credo ego Amorem primum apud homines
carnificinam commentum;
Hanc ego de me coniecturam facio, ne foris
quæram,
Qui omnes homines supero atq; antideo cru-
ciabilitatibus animi;
Iactor, crucior, agitor, stimulor, versor in
Amoris rotâ miser,
Exanimor, feror, differor, distrahor, diri-
pior, ita nullam mentem
Animi habeo, &c.

Sc. Discru cior animi

Et qui laborare voluerit, vt ad certos canones varietatem hanc reducat, tandem ad dementiam sibi rectam sternet viam. Amoris enim miracula hæc sunt, vt loquitur Seneca, & quia mundo videbantur naturæ ordinem transcendere, statuit Amorem referre inter Deos, & solennes illi aras atque templa consecrare.

CAPVT V.

Amori parua omnia, atq; facilia.

EX tanta Amoris potentia audaciaq́ue nascitur vilis rerum omnium æstimatio. Amarum, difficile, adynaton, durum, insipidum, pro dulci, facili, dynato, molli, sapido habet. Dicit S. Augustinus *in Confessionibus* omnia hîc moueri velut in triremi: solum Amorem indefessum nullo vnquam tempore delassari, quia nihil ei arduum aut difficile. Quod alijs horrorem incutit, ille iucundum vocat: quod acerbum alijs, illi multò videtur suauissimum. Quod sequitur, habemus ex sacra historia. *Erat fames in terrâ, & filij Prophetarum habitabant coram* Elisæo; *dixitq́;* Elisæus *vni de pueris suis: Pone ollam grandem & coque pulmentum filijs Prophetarum. Et egressus est vnus in agrum, vt colligeret herbas agrestes, inuenitq́; quasi vitem siluestrem, & collegit ex eâ colocynthidas agri, & impleuit pallium suum, & reuersus concidit in ollam pulmenti: nesciebat enim quid esset. Infuderunt ergò socijs vt comederent. Cumq́; gustassent de coctione, clamauerunt dicentes: Mors in ollâ vir Dei* (acerbitudinem mortem vocabant, nihil enim morte acer-

4. Reg. 4.

Mors amara.

biius)

bius) *At ille: afferte, inquit, farinam. Cumq; tulissent, misit in ollam & ait: Infundite turbæ vt comedant. Et non fuit amplius quidquam amaritudinis in ollâ*: supra mel dulce pulmentum sanctus Vates reddiderat. Quod in pulmento hoc farina, hoc alijs in rebus amaris est Amor. Dicit Petrus Chrysolosologus, nunquam rem duram, grauem, asperamúe nobis Amorem imponere; quod ex ipso Christo discimus, dicente: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Sed quomodo suaue erit, si jugum? quomodo leue, si onus? Amoris hæc vis est, qui dulcorat omnia atq; alleuiat, vt onera eius nō tantùm nō aggrauent, sicut pennæ auium, sed etiam ad volandū magnum ferant adiumentum. Et alibi Dominus ait: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Sexcenta erant & tredecim veteris legis pręcepta, ducenta quadraginta octo affirmatiua, negatiua trecenta sexaginta quinque. Sed Amor eorum inuenit compendium, & vno sermone absoluit: & quem Moysi in tabulis lapideis decalogum perscripsit digitus Dei, reuocauit ad præceptum vnum, vt diligamus Deum ac proximum. Odio maxima videntur omnia, omnia Amori minima sunt. Qui amat, facit ex trabe festucam: ex festucâ facit trabem, qui non

Ioan. 14.

Exod. 31.

amat.

amat. Qui amat, in solitudine societatem habet, gaudium ex mœrore elicit: qui non amat, vbique solus est, & verba singula illi parent longissimæ homiliæ. *Qui non diligit me*, inquit Dominus, *sermones meos non seruat.* Amanti vnus sermo erat, non amanti plures non sufficiunt. Amor in vnum multa contrahit, odium in multa vnum dispertit. Sunt perspicilia, quæ res visas augent, maioresque repræsentant, sunt quæ imminuunt: idem faciunt Amor atque odium, immo quod voluntas appetit, intellectum illustrat, & quod auersatur, obtenebrat atque officit: tanta est voluntatis atque intellectus vicinitas. Iacob *seruiuit pro Rachel septem annis*, & cum euoluto temporis curriculo optatis sponsæ suæ complexibus frui speraret, per fraudem soceri data est illi in connubiũ filia altera Lia, oculis lippa. Sed tanto erga Rachel amore flagrabat, vt nouam seruitutem seruire inciperet, & septem alijs annis thorum eius demereri. & addit scriptura:
Gen. 29. *videbantur illi pauci dies præ Amoris magnitudine.* Quod venusto puellæ adspectu captus adolescens magnum opus susceperit, nihil mirandum: sed quod longa spe annorum quatuordecim non desperauerit, hoc opus, hic labor fuit dignus

admi-

admiratione. quod quatuordecim annis cæli injurias, æstum atque hiemem patientem non piguerit aut pœnituerit, magis mirandum est. quod socer eum ludos habitum non commouerit ad iram aut fugam, mirabilissima res. Sed omnem excedit admirationem, quod tantis in difficultatibus dies illi pauci visi fuerint. O Amorem stupendum, qui minuit, facilitat, mollit omnia, quia vincit omnia.

Quæ omnia patent clarissimè in Deo: nam quæ industriâ humanâ comprehendi possunt, parua sunt; & quid magnum erit, si ab Amore imminuuntur? Quæ verò ab ipso Deo fiunt maxima, ea redigere ad minima, vis extrema Amoris est. Factum Dei in hoc mundo maximo opere admirandum est, quod Deus cæsus, vulneratus, mortuus sit. quid enim maiorem stuporem excitet, quàm audire mortem filij Dei tam infamem, tam abominandam? hæc res maximè miranda est, tam ob animæ corporisque diuisionem, quâ crudeliorem nemo homo passus est, quàm quòd Deus, vitæ fons & principium sit, à quo mortem cogitatione quoque procul remouemus. Zaccharias introducit Deum cæsum, lacerumque manibus, & rogat: *Zacch.13.* Domine, *quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum*? Et respondet per μείωσιν: *His*

plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. Quasi diceret: Conciliare inter se dissidentes, & sequester esse volui, & hæc mihi vulnera fortè, non dedita malitia impressa sunt. Sed amabo te, optime Deus, cum Euangelistæ tui mortis atque passionis suppresso nomine excessum nominent, quòd omnium, quæ cogitari possunt, tormentorũ cruciamina transcenderint, cur tu ita parui æstimas? Amor certè tuus adeò ingens est, vt etiam magna nihili pendat. Euntibus in Emaus discipulis sub peregrini facie sese adiunxit Dominus & dixit: Sermonem procul dubio inter vos tristem habetis, qui rugis tam seueris vultum caperatis: colloquij me vestri participem facite. Illi velut attoniti respondere: Non credimus vel puerum vllum esse, qui fari possit, cui ignotus sit tragicus & sanguineis lachrymis deplorandus casus, quem nuperrimis diebus in monte velut theatro, spectatore vtroque mundo, collugentibus Angelis, Solyma exhibuit: & quî fieri potest te reperiri vnicum, ad cuius aures tam longè vulgatus rumor non aduolauerit?
c. 24. Rogauit Dominus: Quis? Mira est in hoc vocabulo emphasis, & cùm nihil dicat, plurima significat. Videtur autem Christus innuere, nihili se facere cruciatus omnes, quos nostri caussa pertulit. quasi di-

ceret:

eret: Hæc quæ tot gemitibus plangitis, ulnera mihi inflicta sunt. tantum vestis leanda est, vt videatis plagas impressas & ulnerum cicatrices, discatisque in caput neum cecidisse tempestatem, quam ploatis. Sed hæc omnia emolliuit Amor meus, atque alcedonia restituit. Quemadmodum si pro acceptis beneficijs Amico tuo gratias ageres, & ille tibi responderet. Nihil istuc est, præut alia sunt, quæ ad tuum ussum exhibere paratus sum: tam nulli officio nullæ gratiæ referendæ sunt. Eodem loquendi modo vtitur apud Ioannem, vocando passionem *modicum* & *horam* vnam & horas inferni quadraginta, item horam vnam. quia scilicet horæ Amanti sunt, cui tempora longa pro momento sunt. Quotidiana id nos experientia docet. Amator noctes perpetes, hibernumque Iouem frigidus rigidusque perpetitur, loricâ, casside, parmâ, gladio armatus, aquæ geluque expositus, & tamen imaginatur sibi horas currere, vnamque alteram protrudere, totum denique horologium, vt sic loquar, inebriatum esse; & quando eum non opinantem veluti per fraudem clarum mane occupat, malè auroræ, malè Soli dicit, iuratque deieratque non tantum eam non noctem, sed ne dimidiatam quidem noctẽ fuisse, venturamque expectat, & dies o- Ioan. 16.

mnis pro annó illi eſt, etiam media in bruma. Tempus Amori non currit, ſed volat. Quando igitur Dominus paſſionem ſuam *horam & modicum* vocat, de patre ſuo queri videtur, quod tempus paſſionis non produxerit. Concluſio optima deducetur ex culpis in Deum & homines cõmiſſis, quas Amoris oculi non vident, aut ſi viderint, excuſant, vt leuiores videantur, & non ſatis dignæ caſtigari. Quare cæcus pingitur, quia illatas ſibi iniurias nõ intuetur. Quod S. quóque Petrus dixit: *Eſtote itaq; prudentes & vigilate in orationibus. ante omnia autem mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes; quia charitas operit multitudinem peccatorum*, non tantũ amati, ſed ipſius quoque amantis. vnde neque oculi diuini quantumuis lyncei, vident crimina, quæ veló Amoris obteguntur. Hinc Dauid in quodam Pſalmo: *Miſerere mei, ſecundum iudicium diligentium nomen tuum*: quia amicos tuos excuſare ſoles, non accuſare. & in alio; beatos vocat, *quorum tecta ſunt peccata*. Cùm Deus præuaricatores primos homines ad pœnam depoſceret, Adamus in Euam culpam reiecit; *dixitq; Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno & comedi.* vbi adnotat S. Bernardus, patuiſſe ex hoc loco exiguum Adámi erga coniugem ſuam Amorem. Facile poterat, qui

1. Pet. 4.

Psal. 118.

Psal. 31.

eius caussâ peccauerat, excusare Amorem, & dicere: Domine ego sum qui peccaui, quia nō habet oculos Amor, quibus videat delicta eius cui bene vult. hinc nihil cæcius philautiâ, quod pręgrandis esse soleat, nemo enim vlli alij, quàm sibi melius vult. Sed hæc suo loco tractabimus.

CAPVT VI.

Amor à difficultate animos sumit, gloriam à tormentis.

OMNIBVS heroicis Amoris effectibus vnum hunc antestare arbitror. Gradus sunt in Amore, secundum quos maioris minorisque æstimantur effectus illius: inter omnes autem facilè præstantissimus videtur, qui voluptatem sentit in aduersis. Ad hunc gradum prophani Amatores nunquam adscenderunt, licet Poëtæ alijque de hoc genere lasciui scriptores multa rara & supra fidem exempla tradiderint. Nam sicuti eorum Amor breuis esse solet, miser, præceps, instabilis, varius, mendax, impatiens, pauidus, & cordis humani passionibus maximè obnoxius, ita fieri non potest, vt talis matris filius non tales effectus producat. Sed hanc in Amore diuino veritatem probant infinita pænè testimonia.

Act. 5.

Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. De innumeris Martyribus idem adfirmari potest, qui medijs in ignibus, in ipsis faucibus per crudelissima tormina minantis atque imminentis mortis, non modò patientes, sed lætos sese alacresque ostenderunt. Imber lapidum Stephano coronam ex auro, gemmisque, & purpura nexuit. Carbones, ardentesque prunæ substratæ Laurentio ex rosis violisque cubile præpararunt. Ignatio dulcius erat à leonibus deuorari, quàm cibum sumere. verba eius hæc sunt: *Vtinam fruar bestijs, quæ mihi sunt præparatæ: quas & oro mihi veloces esse ad interitum & ad supplicia, & allici ad comedendum me, ne sicut & aliorum Martyrum non audeant corpus attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me vrgebo, vt deuorer. Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus in cælesti mensâ inueniar.* S. Paullus, *gloriamur*, ait, *in tribulationibus.* quam connexionem gloriæ & tribulationum licet intellectus noster non capiat, tamen vera hæc Amoris Alchimia est, quã subsequentia indicant verba: *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris* Quotidiano vsu experimur, humanos illos Ioues, qui diui-

Hier. lib. de Scriptoribus Ecclesiast.

Rom. 5.

tijs delicijsque affluunt, noctisque & diei horas varijs libidinum suarum desiderijs metiuntur, immergi in profundum tristitiæ Oceanum, demergi in abyssum desperatissimæ melancholiæ. vti de Balthazare scribunt sacræ historiæ, qui medius inter Reges, Reginasque, circumsonantibus cytharœdis, alludentibus histrionibus, opiparis dapalibusque cibis gulam prouocantibus, ita mœstus abjectusque animo accubuit, vt solatio locum non daret. Contrà quædam in medio cruciatuum infernalium puella, adeò lætam, explicatamque, & quasi gaudio delibutam frontem exeruit, vt in pectore deliciarum paradisum gestare videretur. tormenta ciebant lachrymas ex oculis, è venis sanguinem; sed Amor gaudium risumque ex animâ: & in argumentum manifestum internæ consolationis prorumpebat vice sanguinis lac candidum ex pectore aperto fonte voluptatis. Amor hic in Christo, vti supremus & diuinus fuit, longè post se Amores alios relinquens, ita maximâ cum prærogatiuâ hunc effectum caussauit, vt nihil vnquam toto vitæ suæ decursu magis appetiuerit, quam passionis suæ horam. Sic enim ait discipulis suis: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum antequàm patiar*: non propter ciba-

Dan. 5.

Luc. 22.

ria quæ apponentur, ſed quia jam multo antè tempore præuidi ſub huius cœnæ exitum, initum eſſe tormentorum meorum. Et alio in loco cum hoc ſanguinis balneum ſolâ cogitatione intraret, adeò vehementi inæſtuauit deſiderio, vt jamjam ex venis omnibus vi maximâ ſanguis proruptutus videretur. Alibi vocat diem
Io.18. ſuum: *Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum, & vidit.* Alibi ho-
Luc.15. ram nuncupat. Quando quis videt horam illam appetere, quam maximis antè votis expectauerat, atque expetiuerat, dicit: Dimittite me, hæc mea hora eſt: ita Chriſtus hanc horam diu multumque de-
Io.13. ſideratam proximare videns, dixit: hæc mea hora eſt. Ergóne ô bone Ieſu horam illam tuam vocas, in qua te dira manent cruciamina? Rectè: tormentorum meorum hæc hora eſt; ſed ex tormentis Amor gaudium elicit, & juxta grauitatem dolorum eſt quoque voluptatis modus, vt ſi crudeliſſimæ ſint pœnæ, quæ inferuntur, excellentiſſima ſit etiam prognata inde lætitia. Ideò igitur vocat horam ſuam. Immò cùm à mundo creato eam maximè deſiderauerit, quid mirum ſi ſuam vocet? In quem ſenſum apud Ioannem Chriſtus dicitur *agnus, qui occiſus eſt*
Apoc.13. *ab origine mundi.* S. Petrus laborabat Chri-

ſti

ſti mentem ab illa hora auertere ac diſtrahere, ſed quia omne ſuum gaudium in illam defixerat Dominus, tam acerbo indignantique verbo reſpondit, vt minus ægrè ferre viſus ſit ipſam negationem. Nolebant Iudæi Chriſti mortem in die feſto contingere: Quid veſtra intereſt, inquit ille, cùm aliud à Paſchate feſtum non habeam? Ibat cruore madidus per ſemitas amaritudinum, & depurpurans ſanguine ſuo plateas Solymæas, tot expreſſit ſigna lætitiæ, quot demonſtrare poterat, ſi in aqua roſacea ſeſe abluiſſet. Hic jacta ſunt fundamenta opulentiæ & liberalitatis, manibus effuſiſſimis & verè fractis: Hæc hora jubilæi & pleniſſimæ indulgentiæ fuit, ex qua pondus accipiunt omnia gratiarum chariſmata. Hac hora tam felice accurrit latro quidam, cui poſt furta, gabalumque & mortem donatus eſt patentibus literis Paradiſus. Duos montes ſcriptura celebres memorat, gloriæ vnum, ignominiæ & tormentorum alterum. in illo vidimus Chriſtum transfiguratum, rubentes lapides, radiantem ſolem, ad-inſtar facis ardentem, ſtipatumque lucentibus vndique faculis. in hoc tinctas coccino petras, plenum tenebrarum aërem. Nunc vero, te rogo, vter Chriſtum magis Patris æterni filium,

magis potentem, magis liberalem declarauit? Certè mons Thabor, inquies. Certè falleris: majora enim diuinitatis testimonia Caluariæ mons dedit. In Thabor Patri, paucisque Amicis Christus agnitus fuit: In Caluaria illi etiam, qui Barabbam præposuerant, procumbunt in genua, & ducti pœnitudine percutiunt pectus suum, dicuntque: *Verè filius Dei erat iste.* In Thabor Petrus pauxillum demonstratæ gloriæ rogat, & repulsam patitur: In Caluaria latro postulat paradisum, atque impetrat. Quapropter magis filium Dei se demonstrauit in medijs cruciatibus, quam in gloriæ splendore: vnde Io-
Io. 1. annes: *vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*; scilicet in illa hora mortis, crucisque. tunc enim vnigenitus Dei apparuit, & hæres diuitiarum, & filio Dei respondentem gloriam demonstrauit. licet enim in monte quoque Thabor ostendisset, non tamen gloriam Dei filio debitam. quæ omnia nascuntur ex eo, quod ex pœnis tormentisque Christus gloriam eliciat. Hinc coronam ex acutissimis spinis plexam sibi imposuit, cruoreque madidauit, quæ res insolentissima visa est, & mundo antehac non audita. hoc fuit quare vulnerari voluit, & sic gloriari. Homines noui, qui rectè factorum clari-

tate

tate nomen celebre posteris fundant, iactant virtutes suas, extollunt præclara totius vitæ facinora, ex quorum vno maximè insigni & memorabili formant victuri nominis stirpisque suæ insignia; honorisque viam sternunt nepotibus post nasciturís. Hinc in armis gentilitijs tanta vbique varietas: Aquilæ, leones, tigrides, serpentes, arces, turres, reges captiui, labara, vexilla, aquæ, flammæ, soles, lunæ, stellæ: & ex summo cælo signa petuntur, quasi terra non sufficeret. Tanti faciunt homines tantillum honoris publici, vt stemmatis sui insignia collocent in foribus, fenestris, muris, atrijs, porticibus, columnis, fontibus, pateris, poculis; in sacellis, imaginibus, sacris tunicis, calicibus, & paullo post quoque erit qui in ferro ponet, quo hostiæ eucharisticæ formantur. Christus ergò cùm toto vitæ suæ curriculo multis generi humano auxiliaribus signis editis, & in morte ipsâ firmissimis argumentis Dei se filium probasset, non aliud insigne elegit, quàm Passionis; in qua tantum gloriæ positum esse voluit, vt hoc in cælo manifestum perpetuumque signum esse statuerit.

CAPVT VII.

Amoris metamorphosis.

Lib. de diu. nominibus.

DIcit præclarum Areopagi lumen Dionysius, hanc esse vim Amoris, vt vinculo plusquam conjugali, cæcoque nodo & strictissimo vniat cum amato amantem. Additque ex Aristophane Aristoteles, amantium vnicum esse studium, vt ex duobus vnum faciant. sed quia ad effectum hoc deduci non potest, nisi per dissolutionem, cædemque mutuam, procurant illam quæ fieri potest, vnitatem, quæ Amoris finis est. Huc spectat Platonis commentum. Olim Vulcanus, inquit, obuius fuit duobus conjunctissimè amicis, quibus cum plurima beneuolentiæ signa ostendisset, jussit eos rogare aliquid, præsertim quod in officina eis sua placere posset. Illi cum præsentem occasionem prehendere vellent, supplices rogarunt, vt cùm Faber Deorum esset, cui non difficile est artis suæ potentiâ, instrumentorumque vsu accommodo quiduis efficere, colliquaret eos, vnumque ex duobus redderet: atque ita consequerentur Amoris sui finem, qui est animæ corporisque vnitas. Hæc verò fit per metamorphosin seu transformationem

aman-

amantis, quæ nihil aliud est, quàm quidam à se abitus, transitusque, vitæque transmutatio in amatum, quasi de domo vnâ in aliam. Hæc autem naturaliter dari non potest, aut naturæ virtus radixue transplantari, nisi spiritualiter aut moraliter per motum voluntatis aliarumque potentiarum, quarum operationes migrare videntur ab eo in quo viuunt, ad illum in quo amant locum, conjunctisque desiderijs sociæ atque vnanimes simul habitant. Hinc cum Aristotele, Amicum alium ipsum & alterum ipsum. S. Augustinus vocat, & cum Horatio ac Platone animæ dimidium suæ. *Mirabar*, inquit, *ceteros mortales viuere, quia ille quem quasi non moriturum dilexeram, mortuus erat, & mè magis, quia ille alter eram, viuere illo mortuo mirabar. Bene quidam dixit de amico suo, dimidium animæ meæ. Nam ego sensi animam meam & animam illius vnam fuisse animam in duobus corporibus, & ideò fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaueram.* S. Bernardus dicit animam potius esse vbi amat, quàm vbi animat: nisi quis judicauerit magis præsentem esse, vbi per vim est, quam vbi per Amorem. Cùm Cicerone Dionysius, Amantem dicebat mortuum esse in suo, viuere autem in alieno corpore: quia ani-

Eth. l. 9. c. 4. & 9. & l. 2. magn. Moral. c. 15.
4. Conf. c. 6.
1. de legibus.
de prac. & dispo.

ma,

ma, quæ vitæ origo, Amoris pedissequa est. Idem indicauit Apostolus: *Mortui estis & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Mortui estis mundo & vobis: non enim anima rectè viuere dicitur, vbi non operatur; & cum animam vestram Amor transportauerit, & apud Christum deposuerit, mortui estis, sed in Christo viuitis. Unde sequitur, eum, qui amatur, & non amat, amantis animæ homicidam esse; vna enim in duobus corporibus viuere non potest, necessariumque est vt in amato viuat aut in proprio: Non viuit autem in proprio, in amatum enim ab Amore translata est: Sed neque in amato, quia non amatur. vnde quæ non amatur anima mortua est. Idem cum Platone & Catone senserunt Pythagoræi, qui μετεμψύχωσιν admittebant; dixerunt animam amici viuere in altero amico: in mundo mistum sequi naturam prædominantis elementi, petram descendere, quod terra præualeat, adsurgere flammam, quod in ea ignis potentior sit; ita operationes, cogitationes, desideria, affectiones, studia, curas, omnes denique animæ nostræ motus sectari Amorem, qui voluntatis Imperator est: voluntatis verò nutum omnes aliæ potentiæ obseruant. Quo respicit illud Augustini: *Amor meus pondus meum,*

Coloss. 3.

13. Conf. 28.

um, illò feror, quocumque feror. Trahit sua quamque rem indita à naturâ propensio: amor igitur meus mea propensio est, illius nutū sequor, ab illo vestitū coloremq; accipio eius quē amo, & totus in alium transeo. Et juxta hunc sensum bene dixit Sapiens: *fortis est vt mors dilectio.* etenim sicut omnia mors facit mortalia, & colore suo tristissimo induit, ita Amor. & sicut mors conuertit & transelementat amantem in elementum amati; videlicet, amantem terram, aquam, ignem, in terram, aquam, ignem: ita Amor; vt amantem nomine amati appellare possimus. Jta S. Augustinus ait: Si terram amaueris, fies terra: si dilexeris Cælum, Cælum eris; si Deum, audeo dicere, Deus quoque fies. Hoc est quod apud Ioannem dicere voluit Christus: *Pro eis rogo, vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.* quasi diceret: Amor diuinus à vilitate eos expurget, accendat, illustret, perficiatque, ad communionem vsque diuinitatis. Qui effectus licet ab humano Amore attingi non possit: manifestum tamen est Amorem, qui per Spiritum sanctum in corde iusti diffunditur, caussare tam magnos; excellentesque effectus, puta in Deos transformare homines, lutum nostrum

Joan. 17.

ſtrum puluerem que ſordidum in purum putũ aurum. Quemadmodum ſi per artẽ chimicam, terram in aurum verum ignis ſolus conuerteret, diceremus ignem verè viuere, penetrare, & inexplicabili virtute pollere: plus agit in iuſto Amor cæleſtis, per quem ad Deitatem attollitur, naturæ diuinæ particeps fit, à Deo nomen filij accipit, & eſt. Quapropter videmus quoſdam ita tranſijſſe in Deum, & Deum in ipſos, vt prudentibus rectiſque oculis eorum vitâ conſideratâ habiti ſint Dij, & pro talibus adorati. S. Dionyſius cupidiſſimè ambiebat Deiparam præſentibus oculis intueri, quod illi primò cum obtingeret tanta formæ venuſtas, grauitas, maieſtas humanâ maior illius præſtinxit oculos, vt diceret: Prudenter facis ô Domina, quando te mundi oculis ſubtrahis, alioqui in periculum idololatriæ omnes per te mortales inciderent. & ſi Doctor meus Paulus, non me admonuiſſet Deum oculis corporeis cerni non poſſe, iam crederem te ſolam fuiſſe illud Numen à quo Cælum & terra creata ſunt. Moyſes ſollicitè flagitauit intueri in vultum Domini, & amicitiæ cauſsâ, quæ illi cum Deo admodum familiaris erat, datum eſt illi videre poſteriora eius, quo adſpectu ita captus eſt, vt nullum finem faceret prædicandi Dei maie-

Exod. 33.

ſtatem

ſtatem. Quid dixiſſet obſecro, ſi in faciem eius intuitus fuiſſet? Diebus illis, quibus in monte cum Deo Moyſes coniunctiſſimè agebat, Amor munere ſuo functus eſt, atque ita transformauit hominem, vt ſemideus quaſi deſcenderet. Et quemadmodum faciem Dei nemo videre potuit, ita *non poterant intendere filij Iſraël in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius*: vt neceſſe habuerit faciem velamine obnubere, ſi quando ad eos loqui volebat. Apoſtolus *ad Corinth.* hanc Moyſi gloriam expendens, de ſe ſuiſque dicit: *Habentes talem ſpem multâ fiduciâ vtimur, & non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, vt non intenderent filij Iſraël in faciem eius.* Illud enim ſimul cum velo templi ſciſſum eſt, ſignum manifeſtati filij Dei. Sed *nos omnes reuelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem à Domini ſpiritu.* & quemadmodum ſpeculum ſolaribus radijs oppoſitum Solis imaginem induit, eiuſque operationes operatur, quaſi in illud ipſe Sol tranſijſſet: ita tranſlata eſt in Apoſtolum Dei quædam particula, quidam ſpiritus, virtus quædam, quædam potentia pluſquã humana, excreſcitq; quotidie de ſplendore in ſplendorem, donec verum eius ſimulachrum videatur, vt qui-

Exod. 34.

2. Cor. 3.

Ibid.

libet oculis non cæcis in ipsum intuens dicere debeat: Hæc est Dei vera viuaque effigies. Quo loco tametsi agat de similitudine quæ fit per cognitionem; de qua Ioannes, *Cùm apparuerit, similes ei erimus*: quia
1. Ioan. cap. 3.
cognitio caussa Amoris est, dicere possumus per hanc transformationis viam patere Amori aditum, tantumque efficere in Apostolo, vt eum Deo assimilet: quod viderunt populi Lycaoniæ, cum de Paullo & Barnaba clamarent: *Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos. & vocabant Barnabam Iouem, Paullum verò Mercurium.*
Act. 15.
Quærit Seneca quodam in loco, quamobrem natura metalla quædam tam lucida produxerit, vt oppositorum corporum speciem imaginentur: quod clarum est in crystallo, gemmisque alijs, in aqua fontana, quæ hominem, quantus est, repræsentare potest. Duarum, quas adfert, rationum vna est, quod natura mirandum hoc dare voluerit, non vt mulier ad lucem horum corporum, arguti pectinis dente tenui capillamentum distingueret, aut fuco incrustaret faciem, aut se cum Narcisso adamaret, sed vt elegantiarum, quas Deus condidit, summam id est Solem videre oculis non corruptis possemus. ita vt naturæ industria oculorum nostrorum infirmitati subseruire voluerit, &

ſubſtituere in terris aliquid, quod ardentiſſimos magnæ illius lampadis ignes reciperet, ac moderaretur; atque ita qui naturam Solis ſubſtantiamque ipſam intueri debili lumine noſtro non poſſumus, ſaltem haberemus ſpeculum, fontemué aliquem pellucidum in quo jam temperatas Cæli flammas tueremur. Eodem medio Deus vſus eſt, vt ſe oculis humanis conſpicuum redderet, qui potentes non ſunt in radios diuinos intendere, niſi cæcitatis mortiſué præſenti cum periculo. Diuerbium fuit in Veteri lege: Non videbit homo Deum & viuet. neque mirum hoc edictum in terrâ datum, cùm neque in Cælo Seraphinorum aliquis, aut anima beata iſtum Solem videat oculis irretortis, niſi priùs à Dei liberalitate conſpicilia acceperit, quæ Theologi vocant, lumen gloriæ; quibus muniti Angelorum, Iuſtorumque oculi ad ſpeculandum Deum roborantur. Porrò congruum erat, vt ſicuti natura miro opere præſtitit naturalem Solis lucem viſibilem, ita Deus faceret opere alio mirabili Solem diuinum aliquo modo comprehenſibilem. Hæc miranda opera ſunt Virgo Beatiſſima & Sancti omnes. Illam dicit Sapientia *candorem* eſſe *lucis æternæ*, *ſpeculum ſine maculâ Dei majeſtatis*, *& imaginem bonita-* *Sap. 7.*

 tis

Psal.67. *tis illius.* De his pronunciat Dauid : *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* id est, qui miranda in sanctis suis efficit. Ita interpretantur quidam Matthæum cum de Iosepho dicit, Matth.1. *& non cognoscebat eam*, Virginem Deiparam. quasi non modò diceret, non cognouit eam veluti sponsam coniugemué suam, sed ne quidem vultum illius. quia radij solares à speculo isto repercussi aciem oculorum eius præstinxerant. Non aliter de virginibus loquitur Ambrosius. quemadmodum, inquit, radios à Sole splendoremque acceptum rursus speculum euibrat, vt per illa sphæra Solaris transmeasse videatur : ita virgo quæ Solem justitiæ receperit, ipsus esse Sol videtur. Quod idem de alijs sanctis dicendum, tametsi non eodem in gradu. Gal.2. Paulius, *ad Galatas*; *Viuo*, inquit, *iam non ego: viuit verò in me Christus*. & *cap. 6.* dicit se Amoris vestem coloremque indutum esse, quare non esse, vt eum quisquam interroget cuius aut cuias sit: quasi à signis facilè istud colligi possit. quod in aulis multo maximè vsurpatum est. *De cetero*, ait, *nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* & ibidem dicit gloriari se de solâ Cruce, in quâ cum Christo clauis fixus sit. Huc accedit modus ille loquendi, qui in ore aman-

tium

tium frequens, quando eum quem amant, animam, vitam, cor nominant. quod verum quidem est, sed non satis rectè ab ipsis vsurpatum. Psalmistes Deum lucem & salutem suam vocat: *Dominus illuminatio mea, & salus mea.* Sponsa Sponsum cor suum appellat: *Ego dormio & cor meum vigilat.* Pultabat ad fores ostij illius rore pruinaque nocturna madidus, & memor eius, voceque notâ certior, dixit: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* quasi diceret. Hic est Amor syncerus, egregia sollicitudo, quando sub Ioue frigido, cæloque iniurio Sponsus meus noctem ducit insomnē, ego verò in lectulo quieta decumbo. Manifestior est hæc metamorphosis in odio, quod non rarò ita flagrans asperumque est, vt hominem proprio corpore exire jussum, quantus est, transferat in inimicum. quod Pharisæi indicabant Domino: *Quousque*, inquiebant, *animam nostram tollis?* exanimes sumus, corpora sine spiritu, non in nobis, sed in te viuimus. odium enim hominem seipso excludit, & habitare cogit in eo quem odit. Si tantum ab odio, quid mirum ab Amore tantundem effici? Dicit Alcesimarchus apud Comicum:

Psal. 26.

Cant. 5.

Ioan. 10.

---vertor in Amoris rotâ.
-----nullam mentem

Plaut. in Cist.

tis illius. De his pronunciat Dauid : *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* id est, qui miranda in sanctis suis efficit. Ita interpretantur quidam Matthæum cum de Iosepho dicit, *& non cognoscebat eam*, Virginem Deiparam. quasi non modò diceret, non cognouit eam veluti sponsam coniugemué suam, sed ne quidem vultum illius. quia radij solares à speculo isto repercussi aciem oculorum eius præstinxerant. Non aliter de virginibus loquitur Ambrosius. quemadmodum, inquit, radios à Sole splendoremque acceptum rursus speculum euibrat, vt per illa sphæra Solaris transmeasse videatur : ita virgo quæ Solem iustitiæ receperit, ipsus esse Sol videtur. Quod idem de alijs sanctis dicendum, tametsi non eodem in gradu. Paullus, *ad Galatas*; *Viuo*, inquit, *iam non ego: viuit verò in me Christus.* & *cap. 6.* dicit se Amoris vestem coloremque indutum esse, quare non esse, vt eum quisquam interroget cuius aut cuias sit: quasi à signis facilè istud colligi possit. quod in aulis multo maximè vsurpatum est. *De cetero*, ait, *nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* & ibidem dicit gloriari se de solâ Cruce, in quâ cum Christo clauis fixus sit. Huc accedit modus ille loquendi, qui in ore aman-

tium

Psal. 67.

Matth. 1.

Gal. 2.

tium frequens, quando eum quem amant, animam, vitam, cor nominant. quod verum quidem est, sed non satis rectè ab ipsis vsurpatum. Psalmistes Deum lucem & salutem suam vocat: *Dominus illuminatio mea, & salus mea.* Sponsa Sponsum cor suum appellat: *Ego dormio & cor meum vigilat.* Pultabat ad fores ostij illius rore pruinaque nocturna madidus, & memor eius, voceque notâ certior, dixit: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* quasi diceret. Hic est Amor syncerus, egregia sollicitudo, quando sub Ioue frigido, cæloque iniurio Sponsus meus noctem ducit insomnē, ego verò in lectulo quieta decumbo. Manifestior est hæc metamorphosis in odio, quod non rarò ita flagrans asperumque est, vt hominem proprio corpore exire jussum, quantus est, transferat in inimicum. quod Pharisæi indicabant Domino: *Quousque*, inquiebant, *animam nostram tollis?* exanimes sumus, corpora sine spiritu, non in nobis, sed in te viuimus. odium enim hominem seipso excludit, & habitare cogit in eo quem odit. Si tantum ab odio, quid mirum ab Amore tantundem effici? Dicit Alcesimarchus apud Comicum:

Psal. 26. *Cant. 5.* *Ioan. 10.*

----vertor in Amoris rotâ.
-----nullam mentem

Plaut. in fin.

Animi habeo: vbi sum, ibi non sum: vbi non sum, ibi est animus.

Marsilius Ficinus in Commentarijs ad Platonem dicit Amorē esse Amici speculū, in quo sui imaginē atq; verā effigiem speculari queat: & si Amor reciprocus sit, reciprocum quoq; esse eius effectū. Leo Hebræus Amori mutuo hunc effectum adscribit, videlicet quod è duobus vnum, ex vno verò quatuor faciat. & probat explicatissimè. Quia transformando alterutrū in alterum singulos geminat: bini verè gemini quaternionem efficiunt. atque ita singuli sunt duo, & duo sunt vnus & quatuor. Exemplo res illustrabitur. Ionathas ardentissimo Amore Dauidem complectebatur, quem adfectum vt sacra Scriptura exprimeret, dicit: *Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid.* ideoque *expoliauit se Ionathas tunicâ, quâ erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua vsq; ad gladium & arcum suum, & vsq; ad balteum.* quasi diceret: Ego viuo in Dauide plus quàm in meipso. qui Dauidem viderit, viderit Ionatham, & qui Ionatham, Dauidem. Amicus enim meus alter ego est, ideoque in singulis duo, in duobus vnus, & in vno quatuor sumus. Filium suum mater adeò efflictim deperit, vt in eo solo viuat. ridenti adridet, gementi adgemit,

lachry-

lachrymis eius suas admiscet. Cum edente comedit, infirmatur cum infirmo, eum sui speculum vocat. apposite. Quemadmodum enim qui in speculum inspicit, suum in eo vultum inuenit, omnium etiam gestuum æmulum; ita filij mores motusque parens imitatur. Non aliter quam vmbra, quæ corpus vbique sequitur; aut chamæleon qui vicinos; aut Sol qui vitri colores assumit, per quod radiat: ita qui amat, amati se conditionibus induit. Non inepta comparatio est, quæ ab insitione desumitur. Agricola qui truncum aliquem ramusculo alio inoculauerit, non eundem fructum expectat, sed disparem longeque alium à solito: ita quando duæ sibi obuiant voluntates, & in vnum coalescunt, iam aliæ nascuntur cogitationes, desideria alia, alia verba atque opera; non est in ijs, quod fuit, neque esse desijt. & sicut ferrum candens, non perdidit ferri essentiam, & proprietates ignis recepit: ita voluntas eadem sed amore accensa alios effectus habet ac proprietates. Differentia, quam inter voluntatem atque intellectum assignant Philosophi, ad propositum nostrum accommoda est. Intellectus, vt rem obiectam intelligat, prius ab omni eam materiâ abstrahit, spiritualemque efficit, deinde sibi applicat, atque assimilat: Voluntas verò sese

rei, quam amat, adiungit, & complectitur, eique ſimilem ſe facit. Quapropter intellectus ſigillo comparari ſolet, ceræ voluntas. iſtud ſibi ceram, hæc ſe ſimilem ſigillo facit, omniumque figuram accipit, quibus per Amorem adiungitur. Ariſtoteles de ſublimitate humanæ cōtemplationis ſcribens, dicit hominis ſapientis per altiſſimas rerum cæleſtium ſpeculationes talem aliquando vitam euadere, qualis eſt vita primi principij æterna, id eſt, attingere ad participationem illius pacis, tranquillitatis, ac felicitatis, in qua viuit Deus. Quid igitur dixiſſet, ſi cognouiſſet quid ſit Amor ſupernaturalis ac diuinus? Vt hanc Amoris magni maximam potentiam indicarent, finxerunt Poëtæ illas Deorum ſuorum Metamorphoſes, Circæas incantationes, Meduſæas conuerſiones. vt non addamus, quæ fabulatores Ægyptij opinati ſunt, videlicet, hominem, bouem, auem, piſcem, non niſi vnam eandemque animam poſſidere: formicam in Camelum, in balænam halecem tranſire poſſe: quæ Pythagoræorum doctrina eſt. Plato in Timeo vult animas virorum effeminatorum primùm in mulieres, deindè in beſtias immigrare. Idem in Phædone Tyrannos in lupos, & eos qui ſomno ventrique dediti ſunt, in Aſinos transformat. Ex Orpheo

pro-

propter musicam cygnum, ex Thersite Troiano propter ingenium deprauatissimum simiam natam esse autumat. Cuius doctrinæ sensum Porphyrius & Iamblicus hunc dant, quasi non intelligeret Plato Tyrannos veros lupos, aut Orpheum verum cygnum fuisse, sed ex naturaliũ adfectionum conformatione apparuisse factam transformationem. Nascitur quoque ex Amore quod suprà attulimus; nullum Amanti magnũ esse pretium, nisi eius quod amat. Huic consonat illud Augustini quod ibi quoque addidimus: Si terram amaueris, fies terra: si dilexeris cælum, cælum eris: si Deum, audeo dicere, Deus quoque fies. ita vt ex Amoris obiecto diuitias nobilitatemque consequatur anima: ex eodem surgat atque inclarescat, aut certè deprimatur, vilescat & in nihilum abeat. Quare sedulò aduertendum, in quem scopum nostra tendant desideria, curandumque vt ne in ima deuoluantur, quæ nata sunt erigi & cælum spectare. Ne illud Ozeæ in nos quadret: *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.* Dauid verò dicit non reperire se, neque in cælo sursum, neque in terrâ deorsum, obiectum aliud nisi Deum, in quem cogitationes, spem, Amoremque suum dirigat: extra quem si quid appetendum sese offert, vile nimium at-

Ozea 9.

queabiectum illi videtur. *Mihi*, inquit, *adhærere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam. Quid enim mihi est in Cælo? & à te quid volui super terram?* Etiam turpes lasciuosq́ue Amores hæc præsumptio comitari solet; vt licet minimùm à terrâ mundi amatorculi subleuentur, tamen vim, quam patiuntur, tam sublimem diuinamque faciunt, vt poëticis commentis & conceptis metro verbis iurent adfectus suos ita altum euolasse, vt à solaribus radijs inflammatas alas perdiderint, in morem Icari aut Phaëtontis. Postremò notandum est tres esse vniones, omnes Amoris effectus. Prima est hominis cum semetipso: quando cum corpore animam, rationem cum voluntate alijsq́ue potentijs vnitam, cor in se collectum habet. Reperiuntur enim homines adeò vagi distractique, vt excordes esse videantur. ad quos clamor iste Propheticus est: *Redite præuaricatores ad cor.* & alius: *Audi popule stulte, qui non habes cor.* & vbi legi solet: *Dominus assumpsit me*: legit D. Hieronymus: *Dominus collegit me.* & vbi: *Lætetur cor meum vt timeat nomen tuum*, S. Hieronymus habet. *Vnicum fac mihi Domine cor meum.* Quia sunt homines non pauci, quos millena corda habere credas, ita multis variarum sollicitudinum molestijs in diuersa

Psal. 72.

Isa. 46.

Ierem. 5.

Psal. 16.

Psal. 81.

rapi-

rapiuntur. Altera vnio eſt hominum inter ſe per amicitiam, quæ eſt ipſa charitas: de quâ ad Epheſios Paullus: *Solliciti ſeruare unitatem ſpiritus in vinculo pacis.* & in Actis: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna.* Tertia eſt animæ cum Deo, de quâ idem Apoſtolus: *Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt.* & Ioannes. *Deus charitas eſt: Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ex quibus effectibus ſequitur Amorem non admittere vllum diuortium. Quare ſi digiti à manu auulſio, dolor eſt: quid erit partiri animam, & quaſi mediam diuidere? Petrus non admittebat Dominum ad pedũ lotionem. Sed Domino minanti his verbis: *Si non lauero te, non habebis partem mecum*; continuò ſubdidit Petrus: *Domine, non tantum pedes meos, ſed & manus & caput.* Amanti, ſermo omnis de diuortio durus eſt. Iob, cùm frequentibus iiſque moleſtis nuncijs pulſaretur; totam ſubſtantiam eſſe deperditam, fulguritas vaccas, camelos, pecora omnia: quia moderato erga externa illa bona adfectu trahebatur, *Sit*, inquit, *nomen Domini benedictum: Dominus dedit, Dominus abſtulit.* Cum verò alio ex nuncio intelligeret filios oppreſſos & filias; ſciſſis ve-

Eph. 4. *Act. 4.* *1. Corint. 6.* *1. Epiſt. 4.* *Ioan. 13.* *Iob. 1.*

ſtibus grauiſſimum doloris ſignum edidit; quia Amor in prolem maior erat. Quid putas, dixiſſet, ſi nunciaſſet quiſpiam Dei ipſius amiſſionem? quare bene apud Ouidium Penelope:

Epiſt. 1. *Res eſt ſolliciti plena timoris Amor.*

Capvt VIII.

Amor vehemens ſtupefacit, & in ecſtaſin rapit Amantem.

Lib. 1. c. 18. SAnctvs Epiphanius in ſuo volumine quod aduerſus hæreticos conſcripſit, ecſtaſin variè interpretatur. Quandoque, inquit, ſignificat ſtuporem ex ingenti admiratione ortum: interdum amentiam: aliquando ſomnum profundum, qualis ille Adami fuit. S. Augustinus dicit eſſe vocabulum Græcum, & ſignificare idem quod apud Latinos, exceſſus: qui duabus ex cauſſis naſcitur, ſcilicet ex admiratione rerum aut terrenarum aut cæleſtium. Effectus, quem capite præcedenti explicauimus non parum lucis dat præſenti doctrinæ: amantis in amatum transformationem nihil ſequitur, niſi men-

In Pſal. 83.

tis

tis emotio. S. Dionysius expressè asserit Amorem caussare ecstasin, siue extra se hominem rapere, & transferre in rem amatam. quod contigisse Paullo intelligimus, vbi dicit: *Viuo ego, iam non ego.* Autor incognitus in illud psalmi; *Vinum lætificat cor hominis*, per vinum Amorem intelligit. Verum similitudo vini & Amoris non magna est, nisi in eo vno, quod sicut hominem de statu mentis vinum deijciat, ita & Amor. Iacob sub discessum suum ex hac vitâ singulis filiorum, quæ ventura erant, prospera aduersaque prædicens, cum multa de Iuda mysteria enunciasset, in oculos Christi, qui de femore ejus exiturus erat, suos conijciens, exclamauit: *Pulchriores sunt oculi eius vino.* Certum est comparationem hanc inanem esse, nisi ad effecta accomodetur. licet enim vinum aliquod reperiri queat, quod clarum adspectuque elegans sit, poteritné dari aliquod pulchrius pulchris oculis? & Christi? Vino igitur comparare Patriarcha voluit: quia, sicuti vinum in transennam agit homines, eosque extra se abripit, vt sæpè imaginentur Reges se ac Principes esse, atque ita gaudio falso intumeant: aliquando verò somnient infra omnia menducabula viles se ac miseros, at-

de diu. nominib. ca 4.

Gal. 3.

Psal. 103

Gen. 49.

que

Prou. 23. que ita grauiter affligantur. quamobrem in *Prou.* multa euenire dicuntur præter mentem & propositum *his qui commorantur in vino*: Ita oculi tui, si in aliquem intuiti fuerint, efficient, vt Dynastam se credat aut Monarcham, & sedere in sedibus duodecim, non aliter quam Andreas aut Matthæus aliquis: alium verò adeò contristabunt, vt in continuas lachrymas soluat oculos, sicut aliquis Petrus. Quasi dixisset: Non est vinum ita splendidum quod me sic commouere, aut ita potens, quod me mihi eripere potuisset. Et vbi

Cant. 1. dicit sponsus: *Meliora sunt vbera tua vino*, habet alia lectio, *Amores tui.* Alio in loco

Cant. 5. sponsa inquit; *Ego dormio & cor meū vigilat.* id est, sicut ille qui dormit, ligatos habet sensus omnes, vt neque audiat, neque videat, neque loquatur, neque sentiat, neque desideret quidquam: ita Deus interdum se per Amorem animæ communicat, & rore tranquillitatis adeò placido eam adspergit, extraque se rapit, vt dormiat ad appetitus curasque huius sæculi. Neque satis fuit Deo vocare hanc Amoris inundationem somnum, vt etiam eodem in loco mortem appellet, *fortis*, inquiens, *est vt mors dilectio.* Quando Amor in summo est, vi atque majestate dilecti sui rapit omnes animæ potentias, mun-

dique delectationibus mortuam relinquit. Quemadmodum dolor immensus mentem cogitationesque omnes post se trahit, vt quemcunque talis mœror inuaserit, se nequeat vel modico tempore colligere: ita Amor. nam contrariorum eadem vis est. Denique sicut mors rationem, judicium, sensus omnes tollit: ita Amor: ideoque *fortis est vt mors dilectio.* Dolebat sponsa, rosasque & flores sibi ferri jubebat, quod Amoris languor esset, & quasi non satis rectè eum sic nominasset, mortem appellauit. D. Bernardus ad illa verba sponsæ: *Nolite considerare me quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol,* dicit sponsam suam ægram fuisse, tostamque Amoris ignibus. Virgilius Didoni nihil mentis aut memoriæ relinquit, ita vnus illi Ænneas omnes cerebri cellulas impleuerat.

Sic Augu[stinus i]n Medit[at]ionibus.

Cant. 1.

Æn. 4.

Non cœptæ assurgunt turres, non arma iuuentus
Exercet.

Aeneas oculis semper vigilantibus hæret.
Aeneamq; animo noxq; diesq; refert.

Ouid. ep. 7

Eapropter omnes Amoris errores excusabiles sunt. qui enim sui compos non est, quid mirum, si à juris rectique calle deuiat? Lex olim Romæ lata fuit, quæ in amantium quæuis delicta vltimo supplicio

cio animaduerti vetabat. ſicuti enim amentium, ita amantium nullum peccatum capitale eſt: cui innititur tritum illud diuerbium, quo dici ſolet, amantium errata veniam mereri. Ineptiarum Amoris teſtimonia vbique obuia ſunt: ego in matre quadam vidi, quæ filium ſuum, quem tenerè nimisque delicatè adamabat, Regem, Principem, Dominumque ſuum vocabat. vt taceam ſpecioſos nomenclatores amatorculos mundanos, qui amaſias ſuas neſcio quibus titulis compellant. Quos cæleſtis Amor occupauerat, nihil horum quæ mundus in pretio habet curabant. S. Paullus qui à Chriſto ad tertium vſque cælum raptus fuit, raptus inquam, in paradiſum, vbi audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui; nihili has diuitias & gaudia æſtimabat, ſi nō ea fratribus quoque ſuis communicarentur, quare & pro ijs anathema à Chriſto eſſe optabat. Obſecro te mi Paulle: Deumné coges cælum dare immerentibus? aut præter culpam ſuam tibi negatum voles? Hyperbolæ ſunt Amoris, qui modeſtiæ limitibus coërceri non poteſt. Et ſicut Petrum mente emouit Chriſti gloria vt *neſciret quid diceret*: ita fraternus Amor Paullum. Exceſſus quoque ille alieniſſimus fuit quo Auguſtinus raptus in hæc verba proru-

2. Corin. 12

Rom. 9.

Luc. 9.

pit.

pit. Ita te amo ô Deus, vt si, quod fieri non potest, fieret tamen, & Augustinus esset Deus, tu verò Augustinus; ego Augustinus esse eligerem, vt tu esses Deus. O amantissime Doctor, itané tibi per Amorem sapientia, quæ vbique summa est, hîc excidit, vt hunc casum non videas omnibus modis esse impossibilem? Video, sed Amor non sinit me esse meum, & fateor me nescire quid dicam. Sed inconsultorum tum factorum, tum dictorum plenæ sunt omnes historiæ, & numerus innumerus est ineptiarum Amoris: quas referre possem, nisi mihi animus esset potius diuinum quam humanum Amorem describere. Conclusionem in hac materiâ solidam hîc dabo: puta, quod Amare sine modo, & modestiâ, insipienter, ignoranter, ex parte intellectûs error sit; industria verò Amoris ex parte voluntatis. Cui illud Bernardi conuenit: Modus amandi Deum neque modum scit, neque terminum habet: immensus enim Amor mensuram nō admittit. vnde Phyllis apud Ouidium.

Dic mihi quid feci nisi non sapienter amaui? Epist. 2.

Crimine te potui demeruisse meo.

Idem Virgilius:

Et quis erit modus? inquit: Amor non talia curat. ecloga 10.

Nec lachrymis crudelis Amor, nec gramina riuis,
Nec cythiso saturantur apes, nec fronde capellæ.

Amare & sapere vix Deo conceditur, inquit P. Syrus. Non quòd Deum non sapere crederet, licet vehementissimè amare sciret, tametsi id quidam insani in dubium vocauerint; sed quod amare sapienter tam difficile sit, vt soli Deo & vix concedatur. Quæ particula *vix* à Syro elegantissimè expressa sic intelligenda est, vt aliquo modo Deum quoque ipsum includat: licet enim nunquam quidquam sine ratione aut imprudenter fecerit, dicit tamẽ Paullus *Iudæis scandalum, gentibus stultitiam fuisse.* Immò & sui pro insano *exierant tenere eum; dicebant enim, quoniam in furorem versus est*, quod viderent eum abstinere à cibo potuque, & sequentibus se turbis prædicare. Deniq; tam grandis illius Amor fuit, vt, licet Deum non extra se abripuerit, tamen multi eum mente captum crederent. Et quemadmodũ Noë cerebrum cõmotum est ex vino illius vitis, quam plantauerat; ita ex Amore, quo ferebatur erga vitem quam plantauerat, Deus ratione priuari non potuit, carere tamen videbatur; neque poterat Deitatem amittere, aut eius limites egredi, humanitatis tamen cam-

1. Cor. 1.
Mar. 3.

pum

pum introgressus est, id est carnem nostram miseriamque induit; & in Deo videbantur opera ita aliena à Deo, vt nihil minus quam diuina putarentur. Amor qui illa patrauit vocatur ab Apostolo superfluitas, excessus à D. Luca. Nam licet Deus *omnia in mensura & numero & pondere disposuerit*, in Amore tamen neque mensuram seruat neque pondus, sed omnem modum excedit. Quis potest excessus maior cogitari, quàm dare sub panis frusto comedendum se illi, qui eum mille in frusta dissectum mandere optabat? Quis maior excessus, quam ferre osculum eius, eum amicum vocare, à quo hostibus iam venditus erat? Quis excessus maior, quam posse vnâ guttâ redimere, & pro lytro totum sanguinem profundere, vsque ad stillicidium quod post emissum spiritum à pectore lanceâ expressum est? Quis maior excessus, quam recipere in se impetum blasphemiarum atque iniuriarum imbrem? *Aquæ* atque vndæ furiales Iudaicę tempestatis *non potuerunt extinguere charitatem.* Quis maior excessus quam maxima quæque tormenta parui facere? Quis maior excessus, quàm inclinare caput sub abscessum animæ, in signum obedientiæ, quam vsque ad mortem Patri æterno præstiterat? atque ita vno nu-

Paul.
Luc 9.
Sap. 11.
Cant. 8.

tu reſpondit ad omnia, quæ ex illo qu
poterant. Dolor ingens linguam vincta
ſtrinxerat, neque alios cordis adfectus i
ternos manifeſtare poterat: verùm Am
ri tam vehementi nunquam deſunt ſua
gna: atque ita cernuum demiſit caput
nutuque quaſi Amoris vltimo ſigno
firmabat omnia, reſpondebatque ad
mnia, quæ rogari ſcirique poterant. O b
nigniſſime Deus, ſi opus foret naſci denu
redire in miſerias illas, ad paupertatem
ieiunia, pœnitentiam, inuidiam Iudæ
rum, infamiam Crucis, eſſetne Amor tu
adhuc ita feruens, vt ſecundò hæc p
velles? Reſpondet, Ita inclinando cap
ô quam magnus exceſſus! Moyſes in m
te Sinai non poteris capere exceſſum hu
incomprehenſibilem, prorupit in lau
miſericordiæ & Amoris diuini; quaſi
ceret: quî fieri poteſt, vt adeo ſe hu
liet Deus, tantumque tanti Amoris ſign
hominibus demonſtret? Denique hic
ceſſus in Chriſto cauſſauit ecſtaſin tale
non quidem vt extra ſe abriperetur, ſed
raptus crederetur, taliſque videri voluit,
homines ad ſe raperet.

Si hanc ex Sanctorum hiſtorijs ecſ
ſin probare volumus, jam longam Il
dem texemus. Intrabat ad D. Augu
num vidua, & pro auxilio multâ illi p

li

lixaque oratione supplicabat, sed ille raptus spiritu, neque oculis vti potuit, vt cognosceret intrantem, neque auribus, vt intelligeret loquentem. S. Thomam sæpe meditatio quasi absorbuit, adeò vt cum aliquando inter contemplandum ardentem candelam manu teneret, non aduerteret ab exustâ candelâ cremari digitos, neque posteà cognouisset, nisi eum dolor plagæque testes monuissent. Abbati Siluano surgenti ab oratione, ita vilis abiectusque hic mundus videbatur, vt diceret: Recludite vos oculi mei, recludite vos, vt ne in mundum intueamini, in quo nihil vestro adspectu dignum est. Denique quiqui hoc Amoris diuino igni flagrant, Deo aduniti sunt, procul à se viuunt, cæcis oculis intuentur omnia, omnia pro sordibus habent, de ijs loquuntur velut elingues, omnem enim spiritum in Deum transferunt, inter creaturas degunt, quasi longè ab illis; vita eorum planè Angelica & supernaturalis est, vt ipsi terreni Angeli vocari possint, cum solo corpore in terra habitent, animo verò spirituque & omnibus potentijs in cælo inter Diuos versentur. Quod considerans Bernardus dicebat: Moriatur ô Domine anima mea non tantùm morte iustorum; sed etiam illâ Angelorum. quasi diceret:

Non tantùm moriatur mundo, vt iuſti mortui ſunt, ſed etiam vt Angeli ipſi. Rogabat quod fieri non poterat, ſed magna deſideria non reguntur à ratione. Ita hominem in principio conuerſionis mens deſtituerat, vt planè neſciret quid ederet, quid indueret, vbi ſtaret, vbi ambularet. Amoris vis hæc erat, quæ animæ potentias ligauerat. Hinc manifeſtum eſt, quàm non recti iudices amantium ſint, quos Amor ignorat, & qui Amorem ignorant. nam qui ſibi præſens eſt, non bene iudicat eum, qui procul à ſe exiuit. Qui fortè prætergreditur domum mulieris matris, quæ amplexa filium, mille ei delicias cum totidem oſculis inſuſurrat; dicet procul dubio feminam illam delirare: quia non capit idioma Amoris, qui ab Amore captus non eſt. Vnde Bernardus dicebat amantium linguam non amantibus barbaram eſſe: quia pectus frigidum non admittit voces ignitas; & qui Latinè neſcit, non intelligit Græcè.

.Reg.1. Vidit Heli Sacerdos Annam ſpiritu efferueſcere, temulentamque eam æſtimauit.

Act.2. Ita Solymæi ciues muſto madere putabant Apoſtolos, quos Spiritus ſanctus repleuerat. Iniqui ergo iudices Amoris ſunt, qui non amant. & ſi hu-

mani pectoris tandem deficiens Amor apud non amantes nigro calculo notatur, immò damnatur penitus, quid iudicij feret ille, qui conglaciatus, longissimeque dissitus est à diuini Amoris abysso? Non est vlla in mundo ars, quam exercere possis, aut rectè arbitrari, nisi eiusdem minima quæque intelligas. Non bene de castris locandis, acie ordinanda, signis committendis loquetur, qui in arenam militarem nunquam descendit, nunquam arma induit. male iudicabit de arte pingendi, cui penicillus non satis notus est. de nauigatione non rectè sentiet, qui nunquam amusium nauticum inspexit. Ita qui Amandi artem non didicit, de Amore & præsertim diuino nunquam gustabit. quod innuit Apostolus: Quotidie, inquit, *flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt det nobis secundum diuitias gloriæ suæ Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.* Amor solus lux; quæ hunc Amorem ostendit: ventus Aquilonaris, quem sequi oportet, vt inueniatur: mensura, quâ mensuretur; lex qua iudice- Ephes. 3.

 tur.

tur. Denique Amor interpres iudexque esse debet, qui Amorem illum declaret, quem Deo debemus, sine quo comprehendi non possunt illius Amoris thesauri infiniti.

Postremò notandum est Amorem grande pretium dare rebus plurimis, quas viles indignasque æstimabit is, qui Amore nullo tangitur. Verùm enimuerò licet interdum personâ non tamen Amore indignæ sunt. Quemadmodum enim aqua bulliendo aquæ aduersatur, non tamen igni; ita Amor. Flagellum res Deo indigna est, non tamen Amore; qui Deum & ligat, & cædit. quare qui hoc sine Amore considerat, hæret, stupetque attonitus. Quod Iudæi scandalum, gentes stultitiam, ego Sapientiam & Amorem Dei nuncupo, inquit D. Paullus. Theodosij Imperatoris vxor, teste Historiâ Ecclesiasticâ, ita sanctis operibus se deuouerat, vt in nosocomijs ad ægrorum ministeria se abijceret, lectos pauperum sterneret, coqueret, cibumque manu præberet, saniem ablueret, plagas, vlceraque mundaret. Quæ omnia prorsus indigna erant Imperatoriâ purpurâ. Quod cùm summates viri aliquando reprehenderent, sapientissimè respondit: Scio, inquit, hæc dignitate meâ &

1. Cor. 1.

maie-

maiestate parum digna esse, verùm dignissima sunt Amore illo, cuius signum Deo exhibere volo. Ethnicorum exemplorum plena sunt omnia. Fortunæ marmorea statua Athenis consecrata erat, quam adolescens quidam ita deperiuit, vt blanditias illi diceret, Amorisque signa faceret, quasi viuenti videntique mulieri: quare pulsus ob talem insaniam in exilium non diu pòst è vitâ excessit, non potens viuere procul à dilectâ imagine. Quod factum homine rationali indignum fuit, sed non Amore. Ita iuuenem quendam alium ad Amorem immodestum accendit Praxitelis famosi pictoris Venus. Videbat Iulius Cæsar aduenam, gestare in brachijs simiam, cui amatorijs gesticulationibus adblandiebatur, rogauitque an non inuenirentur in eius regione homines mulieres?

Capvt IX.

Amor sua aliena, aliena sua facit.

Quod optimè sequitur ex meta-morphosi Amoris. magis enim sum vbi amo, quam vbi viuo; magisque propria mihi est & delectat res quam amo, quam mea ipsius. Quod probarunt insigne par illud Amicorum Pylades atque Orestes, quorum vterque alterius sibi crimen imposuit, jurauitque se reum vterque, vt Amicum liberaret. & Phædra apud Ouidium.

O vtinam nocitura tibi pulcherrima rerum,
In medio nisu viscera rupta forent.

Dauid quoque in pestilentiâ illâ, quam ex tribus malis elegerat, amorem hunc erga suum populum demonstrauit; *cùm enim vidisset angelum cædentem populum: ego sum,* inquit, *qui peccaui, & ego iniquè egi: isti qui oues sunt quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua contra me.* Simili pænè formulâ fratres Iosephi vsi sunt, cum culpam suam deprecarentur: *Oramus*, inquiebant, *vt seruo Dei, patri tuo dimittas iniquitatem hanc.* delictum nostrum æstima non nostrum, sed tanquam patris nostri, cui tantum debes. Amor enim Patris

Gen. 50.

nostra

nostra sua facit. & Iosepho volenti detinere Benjaminum supplicauit Iudas: *Oro Domine mi, puer ascendat cum fratribus suis, ego propriè seruus tuus sim, ego manebo pro puero in ministerio Domini mei.* Ioannes Baptista inter carceris arcta vincula, periculi præsentis & mortis imminentis oblitus est, vt alienæ salutis satageret: neque ab Herode flagitauit absolui à compedibus, sed Christum rogauit, vt suos ab ignorantiæ cæcitatisque tenebris vindicaret. Dicit sponsa: *filij matris meæ pugnauerunt contra me*, & Amor meus docuit me tolerare importunitatem fratrum meorum. *posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodiui.* neglexi scilicet meam, vt eorum vineam curarem diligentiùs. dixerat: *Nolite considerare me quod fusca sim, quia decolorauit me Sol.* caussam subdidit, quia fratrum meorum necessitas eò me adegit, vt & substantiam meam simul cum formâ perdiderim. Amor enim meus pluris æstimat eorum bona, quàm mea. Huius Amoris ignis lucidissimè splenduit in Christo, quem cùm duce Iuda milites capere venirent, rogati quem quærerent, vbi IESVM NAZARENVM se quærere respondissent; subdidit Dominus: *Ego sum. si ergo me quæritis, sinite hos abire.* O diuinum Amorem, quando damna pro-

Gen. 44.

Cant. 1.

Cant. 1.

Ioan. 18.

pria

pria negliguntur in caussa aliorum, & propria discrimina nihili fiunt in proximorum necessitatibus. Ibi Christus suimet ipsius oblitus est; non iussit carnifices moderari furori suo: sed quia ille omnis in me emittitur, sino, ruat in caput meum, meos autem ne attingite. Clamauit mulier Chananæa: *Miserere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à Dæmonio vexatur.* Miserè torquetur filia, & tui Dominum misereri postulas? Non adeò cruciatur filia mea, vt ego: non enim ego in me, sed in illâ viuo; atque ita sicut miseria mea est, sic & misericordia erit: *Miserere* itaque *mei Domine.* Esdras populi, tanquam sua peccata planxit. *Deus meus,* inquit, *confundor, & erubesco leuare faciem meam ad te: quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creuerunt vsq; ad cælum.* Threni Hieremiæ & lamentationes delicta populi Iudaici lugent. Verùm in Moyse & Paullo singularis celebrisque hic Amor fuit: sed quia omnia, quæ pænè infinita sunt, eorum opera referre animus non est, omittamus ea quæ ad Corinthios Paullus scribit: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Transeamus Ægyptium quem occidit Moyses, quòd de Hebræis fratribus quendam

Matth. 15.

Esd. 9.

Cor. 11.

Exodi 2.

dam

dam malè multasset. Relinquamus tabulas lapideas, ad quas confringendas zelo fraterni Amoris excitus fuit. Illud vnum examinare contendam, putà, in duobus his viris illò excreuisse Amorem hunc, vt, si dicere liceret, cum Dei Amore certare videatur. quòd quia non parum obscurum est, lucem ei adferre conabimur. Exodi 32.

Primùm ad Philippenses Paullus ita loquitur: *Coarctor è duobus: desiderium habens dissolui & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne necessarium propter vos.* Nihil mihi aduersum magis quam vita, quæ me arcet à visione Dei: atque ita mortem desidero. sed quia hæc quoque vobis seruire me prohibet, vitam me magis delectat. multa & magna hìc, sed pluria & maiora scribit ad Romanos. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Eadem fere loquitur Moyses, cùm pro fratribus, qui vitulum conflatilem adorauerant, veniam rogaret: *aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Quibus S. Scripturæ locis multum tenebrarum affundunt mille adjunctæ glossæ, quarum præcipuas hìc recensebo. Sed notandum prius aliud Paullum aliud Moysen rogasse: non illum, sed hunc esse exauditum Cujus caussam non examinamus, quæ Cap. 1. Rom. 9. Exodi 32.

esse potuit, vel quòd Christum occidere gravius sit, quam vitulum adorare; aut certè quod preces Sanctorum effusas pro alio exaudire pendeat ab inscrutabili mysterio prædestinationis.

Hieron. super epist. ad Rom. 9. Primus ergo sensus verborum S. Paulli (an purè litteralis nescio) est, quod loqueretur de tempore suæ infidelitatis, quo zelo veteris legis paternarumque traditionum supra modum exardescebat, sanguini & carni & genti suæ perditè deuotus. atque ita zelum non satis discretum, adeoque tempus illud malè collocatum deplorans, dixit: *Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo*, quòd ita à rectâ ratione deuiauerim. *quia optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem*, vt tuerer propugnaremque conceptam de gente & sanguine meo opinionem. Hunc in modum Paulli Moysisque suprà notata verba exposita, nihil habent difficultatis. Rom. 9.

Alter sensus est quod post conuersionem, eius tam ingens erga fratres Amor fuerit, vt optaret anathema esse à Christo per aliquot vitæ suæ annos, quo seruire illis commodiùs posset. Quapropter sæpè repetit vitam illi esse exilium, quod ad summum bonum, æternitatisque brabeion iter impediat: Sed quia tantus

est,

eſt, inquit, meus erga vos Amor, hoc mihi exilium gratum eſt, vt vobiſcum viuam. vbi aduertendum quanti Paullus hanc vitam æſtimet, cum dicat ſe optare viuere, vt ne alij moriantur. Pater qui tenerè filium ſuum amat, mori deſiderat, vt ſuperſtes ſit viuatque filius. ita de Abſalone Dauid; *Quis mihi*, inquit, *tribuat, vt ego moriar pro te Abſalon fili mi, fili mi Abſalon?* Paullus verò viuere deſiderat, vt ne alij moriantur. 2.Reg.18.

Tertius ſenſus colligitur ex DD. Ioan. Chryſoſtomo, Ambroſio ſuper his verbis, & Hieronymo, qui volunt Paullum locutum fuiſſe de æternâ felicitate. Ita quoque S. Auguſtinus explicat illa verba Moyſis: Domine aut dimitte hanc noxam fratribus meis, aut cælum tuum contemno, nunciumque ei remitto, ſi & illi non mecum iſto frui queant. Videtur Deus cum Paullo egiſſe, vt olim cum Patribus antiquis. manu quaſi duxit eos in terram promiſſionis, juſſit luſtrare, perambulare, poſſeſſionem capere: ita Paullũ in cælum euexit, ſpectare dedit, dedit frui. at Paullus fraterno Amore exæſtuans: Domine, inquit, cælum quod luſtraui, tibi habe, beatitudinem promiſſam reſpuo, nolo, niſi fratribus meis eam communem facis. Mater tenellum fili-

Hom. 3. de laudibus Paulli.

Super Ioan. cap. 1.

um tenerè diligit, vocata ad epulum ſolenne à Principe viro; adducit filium. Siſte Domina, huc non licet introire ſimul cum puello. Domine, libenter carebo delicijs, à quibus deliciæ meæ paruulus meus excluditur. Ita Paullus ſtringi videtur filiorum ſuorum amplexibus: Cum illis cælum volo, nolo ſine illis. Pro Amico veſtem amittere, res magna eſt; major, honoris jacturam facere: verùm à Cælo excludi hoc ſummum maximumque eſt damnum, & nullo pretio æſtimabile. Hæc commentatio nodum habet non facilè ſolubilem; quomodo liceat homini, renunciare Cælo, & deflectere à fine ſupernaturali. Sed reſpondetur dari hanc licentiam ab honore Dei, quem ſpectat, & ſalute proximi, quam curat. Nam viſione Dei priuari, ſaluâ ſemper eius gratiâ, malum pœnæ eſt, quod appeti poteſt ad honorem Dei & proximi vtilitatem. & hoc eſt deſiderium ſeruiendi gratuitò & ſine ſpe præmij. Quia ergo Dei honorem grauiter à Iudæis lædi videbat, dicit Paullus: Rogo pro illis vt ad te reuertantur; pro te tuoque honore, vt non blaſphemetur vltrà nomen tuum. & ob eam cauſſam potero & volo cùm illis & ſine te viuere. Quia Amor Dei patitur ſegregari à Deo propter De-

um.

um. Petrus; ſeparatus inquit, à te vixi, ſed vt magis tibi ſeruirem. S. Ioannes in vaſtâ ſolitudine degebat longè diſſitus à Chriſto, propter Chriſtum: quando enim fidem de illo facere voluiſſet, nihili feciſſent teſtimonium de præſenti. Et Chriſtus dixit ſuis: *Expedit vobis vt ego vadam: ſi enim non abiero, paraclettus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Ioan. 16. Vocat filium tuum Rex aliquis in aulam ad ſuum obſequium: tu verò dimittis à te filium, abeuntemque hoc ſermone proſequeris. Euge fili mi, vocaris ad locum, vbi ad honores adſcendere poteris & euadere in magnum virum; perge bonis auibus, patiar te abeſſe propter te & bonum tuum. Ita Paullus: Tanto opere fratres meos diligo, propter quos, vt ne pereant, à te abeſſe poſſum: & tanti facio honorem tuum, vt Cælũ tuum non deſiderem, ne te ſummum bonum offendere debeant. Dicet aliquis: de lege Dei ordinaria Paullo Cælum tolli non poteſt immerenti: & ſi Paullus id recuſet, deſiderium eius ineptum ac temerarium eſt, aut ſaltem inutile. Reſpondeo primò, Amorem nulla in re tenere modum aut medium, & quando vehementior eſt, in ecſtaſin rapit hominem, ſibique ſeipſum tollit. Secundò deſiderium hoc conditionatum eſſe. Si de potentiâ abſolutâ ſuum mihi

cælum Deus negaret, ſino, concedo, vo
& regula ſatis vſitata eſt, quando abſol
tum non admittit, ſenſum Scripturæ da
Luc. 7. conditionatum. Ita poteſt intelligi ill
Matth. 8. Lucæ: *Ieſus miratus eſt* fidem Centuri
nis. id eſt: Si potuit quidquam eſſe mi
bile Chriſto, fuit viſa Chriſto mirabilis
des Centurionis. Et illud Matthæi: *Om*
Matth. 12. *peccatum & blaſphemia remittetur hominib*
ſpiritus autem blaſphemiæ non remittetur.
eſt: Si aliquod peccatum remitti non p
ſet, illud eſſet ſpiritus blaſphemiæ. Ita
Paullus: *Optabam anathema eſſe*, id eſt; Si a
quā ob cauſſam à Chriſto ſeparari opta
optarē propter fratres meos. Et hæc regu
conuenit cum illâ S. Auguſtini; vt quan
locus Scripturæ non admittit ſenſum li
ralem, recurramus ad ſpiritualem & me
Matth. 18. phoricum. vt in illo Matthæi: *Si manus*
vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum: ſi o
lus tuus, erue eum, &c.

In Pandect. Quartus eſt Budæi viri doctiſſimi,
dicit anathema inter alia ſignificare do
& ſpolia templis Deiſque conſecrata, d
riuarique à Græco verbo ἀνατιθέναι, qu
eſt ſuſpendere, dicare. Hinc apud
thnicos quamcumq; rem ſacram ſigni
cat. & antiqui ſacrum illum vocaba
qui pro Amore patriæ aut Reip. in ſubit
rio grauique aliquo diſcrimine ſeſe D

in

inferis deuouebat, vitamque in sacrificium offerebat. Verbi caussa; si periculosum fortè in aliquâ regione bellum exardesceret, aut pestilentia magna, prodibat homo & grandi voce clamabat; Propter scelera nostra flagellum nobis iratus Deus immittit, ego sacer ero, ero sacrificium, & populi delicta meâ morte piabo. Sacris ergò vestibus induebatur, & in hanc ouum, in istam manum libum ei dabant, & hostiam amburbialem per vicos omnes magnâ cum veneratione circumducebant. Ciues interim: Veniant in te omnes meæ noxæ. alius; iniuriæ, quas feci. alius, periuria, quæ dixi, &c. Quo peracto educebant in montem eminentem, aut ad littus maris, eumq́ue præcipitem dabant, & in cadentem multiplicato clamore ingerebant hæc verba: Peccata nostra super te, peccata nostra super te. Non aliter quàm cùm animal fato non violento sponte suâ in aliquâ domo intermoritur, dici solet: Omne tecum malum abeat. Aliquando pyræ impositum incendio consumebant, & ad carceres lustrandos, cineres eius spargebant. Hoc Ethnicorum erat anathema, quo Deum se placare, & noxas piare credebant. Quam fortassè cæremoniam ab Hæbreis mutuati sunt,

qui in caprum emissarium peccata sua congerebant. De quo habetur in Leuitico: *Caprum emissarium statuet viuum coram Domino, vt fundat preces super eum, & emittat eum in solitudinem.* Quod quia magis homini conuenire quam bruto Gentiles crediderunt, pro anathemate hóminem assumpserunt. Hoc etiam vocabulo Concilia vti solita sunt: *Si quis dixerit, &c. anathema sit.* quasi dicerent, in illum recidant maledictiones populi, & pro bono publico sacer esto. Atque ita alluditur ad illud Caiphæ. *Expedit nobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Itaque Paullus sic inquit: Ego opto esse homo ille sacer, in quem coaceruentur omnia omnium fratrum meorum delicta; in me conijciant cordis sui saxeam duritiem, obstinatam peruicaciam, cæcitatem crassam, &c. vt me deuoueant, sacrificent. Ego mori desidero, vt illi viuant, & saluentur.

Leuit. 16.

Ioan. 11.

(o)

CAPVT X.

Amoris Caussæ.

NON loquemur de caussarum omnium causâ, quæ sicuti prima & vniuersalis, ita quoque Amoris nostri caussa est. Nihil agemus de sideribus atque astris quæ varias mentibus humanis adfectiones, propensionesque ingenerant, vt non modò in vitâ moribusque disparitatem, verùm etiam in Amoribus tam multiplarem differentiam inducant. Amoris caussa principalis est bonum, velut naturale accommodumque voluntatis obiectum. inter quæ duo tam fidelem concordiam notare licet, vt quamuis plurimi sint, qui stupendâ cum insaniâ malum bono præponant, non possunt tamen efficere vllo pacto, vt voluntas amet malum, nisi boni fuco coloratum. Quod probat D. Thomas authoritate S. Augustini, qui illud tanquam indubitatum asserit, & ipsâ re manifestum; *Quia Amor importat quandam connaturalitatem vel complacentiam amantis ad amatum: vnicuique autem est bonum id, quod est sibi connaturale & proportionatum.* Deus, qui singularem rebus omnibus perfectionem indidit, officiaque assignauit, leuibus, vt sursum, grauibus vt

D. Thom. 1.2.q.27. art.1. August. lib.8. de Trinit.c.3

deorsum ferantur: igni, vt ardeat; vt videant, oculis; auribus, vt audiant: niui vt refrigeret, aquæ vt madidet, aërique vt exsiccet: materiam quoque annexuit, sine quâ frustrà illæ potentiæ facultatis suæ exercitia aggrediantur. Non possunt videre oculi nisi colorem; non audire aures, nisi sonum. Ille idem Deus, qui condidit omnia in pondere & mensurâ, intellectui nostro, voluntatiq; inclinationum quasdam leges imposuit, figendo in eis radicem seu principium, quo naturaliter tendant in obiecta sua. Et quemadmodum intellectus ita naturaliter fertur in verum, vt falsum non rarò apprehendat, sed mantello veritatis obuestitum: ita in bonum rapitur naturali inclinatione voluntas, vt nunquam malum prosequatur, nisi boni specie laruatum. Et quia bonum non vnum est, non est quoque vna species Amoris. Tres verò numerat Philosophus. Primus habet pro obiecto dilectum: & hic vernus floridusque Amor est, Adolescentibus comes non infrequens. Alter scopum habet Amati commodum: Hic perfectus est, & inter Amicos veros syncerosque habitat. verum quia omnes hi pessum pessumeque abierunt hodie, atque intermortui sunt, Amor quoque hic à nobis effugit. Tertius ad quæstum suum, munera,

ac beneficia intentus eſt, quem Ariſtoteles Amorem ſenilem appellauit. Ex quibus liquet mundum iam vetulum atque decrepitum eſſe: nam hic potiſſimùm dominatur hodie, potenſque & in veneratione eſt. Priſcis olim temporibus, virtus in pretio erat, robur animi & corporis, honoreſque æſtimabantur, nunc omnibus bonis præſtat vtile. Nemo cum Megadoro Plautino quærit vxorem quæ morata rectè ſit, ſed quæ dotata ſatis. Auri fulgor virtutum radios præſtinxit. Omni cum famâ nunc facile nubitur: *Plau. Aul.*

Dum dos ſit, nullum vitium vitio vortitur. *Plaut. Per.*

Fingit Ouidius Amorem geſtare duo ſagittarum genera: alias ex auro, ex plumbo alias. Porrò illis Amorem, his odium conciliare. Voluit indicare Poëta aurum inter metalla præſtantiſſimum res omnes ad ſe rapere: plumbum verò, tametſi eadem Amoris artifice manu elaboratum, contemni & deſpicatui haberi. Diuitem circumdat myrias amicorum: pauperem nemo mortalium viſit. Et quod multo maximè mirandum eſt, idem ille diues, cuius nutum tot Amici venerabundi ſuppliceſque obſeruabant, ſi quando tergiuerſante fortunâ ad paupertatis

terminos redigitur, videt patiturque casum miserandum Actæonis, qui in ceruum trasmutatus suis ipse canibus præda fuit. Omnium afflictionum maxima, immane quantum Iobum excruciauit. Vxor, famuli, Amici aduersarij ei facti sunt, & tres illi, qui *condixerant, vt pariter venientes visitarent eum & consolarentur*, dolori maximo tormentoque fuerunt, cum mille iniurias ineptiasque obijcerent. Cum Ioannes in vinculis discipulos suos ad Christum legasset, vt interrogarent, illené esset qui venturus erat? & Dominus per signa respondisset, quod cæci viderent, ambularent claudi, leprosi mundarentur; subiunxit celebrem de Ioanne panegyricum, sanctitatemque eius coram vniuerso populo maximo opere commendauit. Nempe, opitulari, tueri, propugnare captiuum, miserum, & Regi inuisum, opus est Dei, & amicorum eius. S. Gregorius & Eusebius Emyssenus dicunt Christum latroni Paradisi primas ideò promisisse, quod eius fides omnium Patriarcharum & Prophetarum fide præstantior fuerit: Cùm enim totus eum mundus despicatui haberet, cùm penderet opprobrium hominum atque abiectio plebis, cùm à Regibus, Principibus,

Iob. 2.

Matth. 11.

bus, Præsidibus, Pontificibus, Iudicibus, militibus, furente denique vulgo oppugnaretur, cùm desereretur à suis, non visis mirandis ab eo signis, non præuiâ singulari aliquâ reuelatione, à Deo stetit, eius partes secutus, tutatus est, adeoque diuinam hanc gratiam, & primus gloriam meruit atque indeptus est. Apud Lucam, in suos maximè beneficus est Christus: *Quis maior est*, inquit, *qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat: vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Quasi diceret: Qui tuetur miserum, & omnibus modis afflictum protegit, adhæret illi, prædicat illum, vitam pro illo ponit, nihili æstimans mundum, non minori honore dignus est, quam vt ego ipse illi seruiam. Verùm hæc Amoris species hodie euanuit: aut si quis fortasse talis aliquo in angulo delitescit, ille phœnix est; Luc. 22.

Rara auis in terris nigroq; simillima cygno.

Et vt homines transeamus, an talis erga Deum cui tamen summus debetur, Amor vsquam reperitur? Nemo ferè homo est, qui Deum sine quæstu diligat. Si non respiceremus ad illa bona, quæ ab illo fonte largiter fluunt quotidie, solitarius, vt sic dicam, Deus viueret, in beatitudinis suæ

infinitatem reuolutus. Testimonium à Cælitibus habemus, quos magis corporis quam animæ patronos inuocamus. S. Rochus solenniter colitur, quia pestilentiæ auerruncator. Pro sanitate oculorum, dentium, gutturis, Luciæ, Apolloniæ, Blasio supplicatur. Pauci verò D. Paullo deuoti sunt, quia conuersionis animarum patronus est. ita vt à muneribus ac beneficijs vera Amoris originatio sit.

Ethic 9. c. 5. & 12. Altera ejus caussa est cognitio. Aristoteles: *Adamandi*, inquit, *voluptas per aspectum efficitur: nemo namque adamat, si non anteà delectatus fuerit formâ.* Et Augustinus: *Nullus potest amare incognitum.* Et D. Thomas: *Visio corporalis est principium Amoris sensitiui, & similiter contemplatio spiritualis pulchritudinis vel bonitatis est principium spiritualis.* vnde Dominus apud Ioannem: *Hæc est vita æterna, Vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Cognitionem enim sequitur Amor & fruitio: quæ principalis & summa beatitas est. ea cognitione qui caruerit, in sexcentos errores dilabetur. Dixit impius, non esse Deum: absurdus vero alius, esse quidem, sed surdastrum: alius, esse cæcum; alius, non intelligentem. Epicurus arbitratus est, non esse aliud quam ipsum viuere & mori. Ex defectu

Lib. 1. de Trin. 1. 2. q. 27. a. 2.

Cap. 17.

intelle-

intellectus, effectus voluntatis manifestus euadit: quapropter sicut imperitia & culpa indiuiduæ comites sunt, ita cognitio & voluntas. vt omnia summatim complectar: Ideo non amatur bonum, quia non cognoscitur. Quamprimum dixit Petrus: *non noui hominem. Nescio quid dicis.* tam cito Amoris ecclipsin passus est. Ozeas verò: *Non est scientia Dei in terra*: ideoque inquit, *maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt.* Verùm scrupulus hic mihi quidam subnascitur, quomodo Amor cæcus esse queat, qui à cognitione pronascitur: hæc enim sibi aduersa esse videntur. Sed responderi potest, Amorem non cæcum nasci, sed multiuidum, & oculeum totum; qui si talis non esset, non prodiret in lucem vnquam, nunquam vitales sub auras educeretur. immò ipsa vox Ἔρως à videndo originem ducit: at dum adolescit, viresque acquirit, tum vim habet excæcandi: excæcandi inquam, quia iudicij lumen obtenebrat, turbat rationem, & sæpe sæpius totam mentem excæcat. Et quemadmodum cæco multæ res multo aliæ quam sunt, apparent: ita Amanti, quæ turpia plane atque deformia sunt, formosa ac veneris plena esse videntur. atque ita non ab ortu cæcus Amor

Matth. 26

Cap. 4.

est.

est. Eadem responsio dari potest ad argumentum in scholis obijci solitum; Si cognitio Amoris caussa foret, maior cognitio maioris Amoris caussa esset. Nam regula hæc solida non est: tametsi enim ad generationem Amori oculis opus sit, non ideò tamen etiam ad incrementum. immò terrenus Amor, quanto amplius crescit, tanto amplius lumen cognitionemque deperdit, vt generaliter loquar; Amor grandis non indiget cognitione grandi: neque enim pares esse debent Amor & cognitio. Deus in hac vita magis amatur, quam cognoscitur: & scientiam hanc amant amplius aliqui quam istam, licet neutram cognoscant. & passio Amorem adauget, diminuit verò cognitionem.

Amoris alia caussa similitudo esse solet. Hospes Atheniensis in dialogo Platonis septimo dicit Amicitiam inter contraria esse durissimam, asperrimamque: inter similia verò multo dulcissimam atque omnibus modis jucundissimam. etenim quæ dura sunt, quomodo durare queant? quomodo perpetuare illa, quæ aduersarijs pugnantibusque qualitatibus constant? Quæ coniunctio iracundi cum mansueto, aut liberalis cum auaro? quæ incestuosi cum casto? *quæ societas luci ad tenebras?* 2.Cor.6.

quæ

quæ conuentio Christi ad Belial? Dicit Salomon: *Omne animal diligere simile sibi*; & videmus simul volare aues concolores. lupum agnus non comitatur, non aggregat se coccygibus vlla columbarum. Si quando duos ludo se oblectare video, recondito & à natura velut furtim pronascente fauore, huic potius quam illi victoriam propitiam esse voueo. cujus originem caussamque Medici assignarit, complexionem illius meæ non dissimilem. ita quoque secreto quodam odio non fero alterius præsentiam, molestus mihi est risus eius, atque gesticulatio, & quidquid in eo finxit Deus, odi atque abominor. Astrologi ad planetas suaque sidera confugiunt, quorum hæc amica, illa prædominantia, alia contraria sunt. Physici hanc passionem humoribus imputant, in quibus ista eadem reperire licet. moribus adscribunt Theologi. Cyrillus ad illa verba: *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit*, dicit morum quandam esse cognationem, vti & in studijs, commercijsque similitudo, & in ipsa natura quædam affinitas reperitur: verum omnibus potentiorem esse illam morum, quòd animal omne sibi simile appetat. Cum Sancto Sanctus conuersari desiderat: peruerso adhæret peruersus plusquam in

Ecclesiastico 13.

germa-

germanum modum; à juſto verò quantumuis maximè propinquo alieniſſimus eſt. Abel & Cain, Iacob & Eſau, Iſaac & Iſmaël natura fratres, hoſtes moribus erant. Inter Saulem & Dauidem, eundemque & Abſolonem quantum diſſidium? hi tamen pater & filius, illi ſocer & gener erant. Nullum ab orbe condito ita inueteratum atque inteſtinum odium fuit, erituè quamdiu mundus erit, vt illud juſti ac peccatoris. Non ſunt in natura humores ita aduerſarij, non ita pugnantes qualitates, vt non aliquando inducias habeant; & vniuerſi hujus magiſtræ ſunt, docentque quomodo generatione, ac corruptione perpetuâ rerũ tranquillus ſtabiliſque hic ordo conſeruetur. Sed quæ pax honeſtati atque inhoneſtati, luci & tenebris, cælo ac inferno? Quæ omnia Salomon *Prou. cap. 14. 28. & 29.* expreſſit alijs atque alijs verbis, tametſi vna ſit ſententia. Verum ſicut morum diuerſitas tollit naturæ affinitatem, ita in commercijs, actionibusque ſimilitudo adauctat propinquitatem, agnationem ſpiritualem, amoremque & amicitiam. Quibus adjungimus diuini Platonis autoritatem, qui Amoris matrem vult eſſe vnam vnicam ſimilitudinem. fundamentum eius, cui pleríque alij innixi ſunt, hoc erat,

quod

quod inter animas quendam quaſi concentum harmoniamque poneret, non aliam, quam quæ inter voces fideſque Muſicas percipitur. Platonis opinionem ſecuti ſunt Pythagoræi, Ariſtoteles, Alexander, Aphrodiſæus, Quintilianus, Boëtius, Plutarchus, Cælius Rhodiginius, S. Auguſtinus, Macrobius. Qui autores omnes volunt animorum noſtrorum & muſicæ non exiguam eſſe cognationem, quæ apparet maxime in effectibus, quos Muſica in ijs ſtupendos cauſſat. Addit Plato, quod ſicut inter plures voces conſonantes, juxta artis regulam, & inter fides pari modo tenſas maxima eſt vnio & minima diſtantia; ita animi, qui conueniunt maxime, maximeque ſimiles ſunt, magis quoque vni ſunt, & vt ſic loquar, cognati atque amici. inde natæ olim illæ inter homines ortu, ingenio, facie diſpares tam arctæ tam celebres amicitiæ: quia vt in corporibus humores, ita animi correſpondent. Cui accommodari poteſt etiam illud Gregorij: Quando fidibus ſuis inſtructum, apteque diſpoſitum inſtrumentum fuerit, ſi quis vnam fidium attigerit, ſonum aliæ quoque edent aut motum.

Ariſt. in lib. de agricultura.
Aphrod. in problem.
S. Auguſt. in Confeſſ.
Marcob in Somn. Scip.
Lib. 5. Moral.

Deus hominem creauit ad ſui ſimilitudinem, vt ita eum ad ſe traheret. Au-

gustinus Eugubinus in sua Cosmopœia, commentans illa verba psalmi 138. *Domine probasti me*, dicit Deum, vt hominem crearet, sumpsisse humanam imaginem;
Cap. 1. & sic intelligit illud Geneseos; *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* videbatur experimentum fecisse eius, quod aliquando futurum erat. Idem sentiunt Augustinus, Ambrosius, colliguntque ex actibus humanis loquendi, atque ambulandi, quos in paradiso exercuit. Statim à creatione ad hominem omnia animalia adduxit, vt nomina ab eo acciperent: sed nullum inuenit, in quod oculos suos defigeret, & amico vinculo societatis sibi conjungeret. Deus ergo profundo sopore Adamum sepeliuit, & ex costarum eius vna formauit Euam: in quam cum euigilantibus oculis intuitus esset, dixit: *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea*, non de osse aut carne alius animantis: *Hæc vocabitur Virago.* Simile meo nomen possideat, quæ possidet similia plura, quæ pluris æstimanda sunt.
Cap. 2. Gen.
Plato quoque adducit fabulam, cuius autores antiqui sunt, vt significarent ex similitudine pronasci Amorem. Ponit ergo inter varia hominum monstra, robustos ac neruosos aliquos bicipites ac quadrupedes, paratos inire pugnam cum

ipsis

ipſis Deis. Iupiter verò, vt ne cultus diuinus nullus eſſet, non peſſum eos dedit, ſed diſpertiuit medios, & ex vno duos fecit. Peractâ hac diuiſione Apollinē iuſſit certo loco ſtare, & hoſce dimidiatos homunciones intueri. Quid ergo ſpectaculi erat? Cum alter alterum, pars ſuam compartem agnoſceret, ad eam adcurrit, amplexandoque iterum atque iterum coniungi optabat, & redire in primam vnitatem. Ariſtoteles 8. *Ethicorum* meminit huius ſimilitudinis naturalis. Caietanus rationes adducit metaphyſicas, quare ſimilitudo Amoris autor ſit, quarum vna clariſſima nobis ſatisfaciet. Homo tam ſui amans eſt, vt in ſui ſimili etiam ſeipſum diligat, quia aliquid aliquo modo ſuum, vel aliquid ſaltem ſui videt. Et quemadmodum infantes repercuſſam ſui in ſpeculo imaginem admirantur, quod alios non diſſimiles ſibi pueros videre videantur; ita quod mihi ſimile eſt adamo, quia alterum meipſum videre videor.

Capvt XI.

Solus Amor Amoris præmium est & palma.

AMor adeo opulentus, potens, suauis, festiuus, generosúsque est, vt nihil par illi reddi possit, seu à terra id petas, seu à cælo id impetres, nisi illum-ipsum Amorem reponas. Rerum enim omnium optimus maximusque est, quas terra habet & cælum, Uniuersi huius miraculum vt bene appellauit Plato. vnde, quod Christus rogat: *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Ego assumo, & vicissim quæro: Quam commutationem dabit homo pro Amore? Salomon respondebit subito: *Si dederit homo*, inquit, *omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Cui adstipulatur Seneca, qui latissimè probat benefactum non esse aurum, aut ipsum donum, sed Amorem, per quem datur. Nihil debemus Oceano, quod fluidi elementi grauitate naturali portet naues nostras; nihil ventis, quia vela implent distenduntque flatibus suis, vt præpetibus quasi pennis volare videamur. Nulla caussa est cur auræ, Solíue obstricti simus; aut quia illa

Matth. 16. Marc. 8.

Cant. 8.

1. De benef.

æstatem, æstumque amœna spiratione temperat, aut quia hic radijs suis flammilucis mundum nostrum inaurat. Neque debitores sumus equo, qui pedum velocitate nos insistentium & iamiam ferientium hostium ferro eripit: neque fago, quæ suo tegmine ardentem arcet Solem: neque lusciniæ, quæ cum oriente aurora exilit, cantuque suo diem nobis lætum apprecatur. Hæ enim creaturæ omnes voluntatis expertes sunt atque Amoris; præstantque obsequium necessarium atque ingratijs, ac proinde indignum (si rigidè loqui volumus) cui gratiæ referantur. Amor etenim beneficij anima: sine quo nihil aliud erit, quam corpus exanime. Quapropter ille, qui Amorem nummis pensare vult, aut quocunque alio munere etiam aureo, æs dat pro auro, & fraudes facit. Hinc Deus pro beneficijs, quæ in hominem contulit innumera, nihil sibi rependi postulat præter Amorem: hoc solo contentus est, neque exigit ab homine, neque æstimat aliud quidquam. Et, ne homo fluctuabundus aliquo mentis turbamine vereretur, vt plenam Amoris sui compensationem reciperet, dicit Deus: *Ego diligentes me diligo*, & exoluo, quod debeo. Ergo Domine non satis feceras, quando Cælum terramque, & elementa, salu- Prou. 8.

temque & vitam ei donasti? Si omnia hæc ei sine Amore dedissem, leuidensæ munera essent: sed assero atque asseuero, quod si me amauerit, ego eum redamem. Per Ioannem inquit: *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* & apud Matthæum cum de inimicorum dilectione loquitur; *Si diligitis,* inquit, *eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Iustum enim præmium accepistis, quia Amorem Amore soluerunt, neque aliud vobis debetur. Verùm si Amor vester fertur etiam in eos, qui vos odio prosequuntur, ego me vadem pro illis sisto, & debita eorum exoluam. Alibi promittit Cælum pro calice aquæ frigidæ. O Domine vili videris facere regnum tuum, aut profectò tanti non est, quanti nos credimus atque imaginamur, si tantillo vendis. Arrige aures ô homo: Carè vendo, qui Charitate vendo Cælum meum: non enim pro aqua quam multam in fluminibus habeo & nubibus, sed pro Amore homini concedo. In ludum descendit cum domicella Dominus aliquis, & libenter vincitur, ceditque illi liberaliter aureos ducentos. vt quid mi Domine tam multi auri iacturam facis? non facio iacturam vllam: sed lucri facio, quæ præstantiora sunt, beneuolentiam atque Amorem. vnde vulgi sermone iube-

Ioan. 15.

Matth. 6.

Matth. 10.

mur

mur respicere non donum, sed adfectum donantis. *Respexit Dominus ad Abel primùm, deinde & ad munera eius.* Et maioris pependit duo minuta pauperis viduæ, quam omnia diuitum munera, licet Apostolis contrariũ videretur Quia voluntatem intuitus est, quæ adeo grandis erat, vt Imperium ipsum Romanum, si habuisset, obtulisset. Idem cum Apostolis vsu venit. Quando retia fortasse quatuor, & illa lacera vndique, neque satis cohærentia cum arundinibus aliquot reliquerunt, præmium reddere illis pollicitus est Dominus ita inæquale, vt iniquum & prodigè effusum videri potuerit, nisi voluntatem eorum liberamque mentem attendisset. Ratio autem, cur tam non vsitato præmio voluntatem afficiat, & pluris æstimet vnam Amoris drachmam, quam omne quod Gryphes seruant in montibus Riphæis aurum; hæc est: quia eius est quodcumque ambitu suo terra cælumque complectuntur. *Meæ sunt omnes feræ siluarum, iumenta in montibus & boues: meus est orbis terræ & plenitudo eius,* ait Dominus per vatem suum. Si ad vos portio aliqua peruenit eorum, non nisi census merus est, conuenit restituere Domino quod suum est, & pro longo vsu debitum fœnus, quod est sermo aliquis gratiarum.

Gen. 4.

Marc. 12. Luc. 21.

Psal. 49.

Quid mare debet fluminibus, si aquas refundunt ei, à quo acceperant? Ergo quæ â liberali tuâ dexterâ accepimus Domine, restituimus. Qui sibi Deum magis deuincire volet, offerat illi rem non suam. Et quantumuis verum sit, voluntatem à Deo esse, facere de eâ, quod illi lubitum est; *Cor* enim *regis in manu Do-*
Prou. 21. *mini: quocumque voluerit, inclinabit illud*, flectetque non aliter quam vos fontis vestri aquas in hortum quoquo libet deriuatis: tamen quod Dei minimè, maximeque hominis esse videtur est voluntas, cui liberum esse voluit Deus amare & odisse, quæcumque liberet animo suo, tam ea quæ in Cælo, quam quæ sub Cælo sunt. Hoc est quod dicit Ecclesiasticus: *Deus*
Cap. 15. *ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors: bonum & malum: quod placuerit dabitur ei.* Adeò, vt quia voluntas non est Dei, minimum voluntatis plus est, quam maxima quæque eorum, quæ inter huius vitæ bona numerantur. Sicuti, non mihi tantum debes, si iumentum tibi tuum reddo, quod mutuum à te acceperam; quantum, si donem mensæ

tuæ perdices sex, totidem mala citrea. Idem Dauid insinuat: *Congregate illi sanctos* (Sacerdotes) *eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia; Audi populus meus, & loquar, Israël & testificabor tibi: Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Nunquid* enim *manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Et per Ieremiam dicit: *Non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis de verbo holocaustomatum & victimarum*, insinuare volens pluris æstimare se voluntatis quam hostiarum oblationem. Dei sententiam homines quoque sequi oporteret, vt adfectum potius donantis quam donum inspicerent. Ita cum suo exercitu in campum egressus Artaxerxes, arena, puluereque, sitique pænè enectus, maximi fecit lutulentam aquam illam, quam de suo pileo ei rusticus quidam propinauit: deuotum enim seruitio suo animum cognouit.

Psal. 49.

Cap. 17.

Inde nascitur, quod Amorem non nisi Amor superet, reliqua enim longè infra eum posita sunt. Et Amor tam magnanimus strenuusque est, vt nulli inferiori herbam victus dare possit. Verum Amor Amori subito cedit, victasque & vinctas dat manus. Dicit S. Augustinus nullum ita

durum esse saxũ, vt animus eius, qui negat Amori soluere quod debet. Idem alijs verbis scribit Ambrosius ad Innocentium Papam. Greg. Nazianzenus fatetur naturã posuisse hanc legem, vt nemo oderit eum, à quo se amari credit. & Dion Philosophus: statutum à natura est, inquit, vt quilibet amantem redamet. Seneca; Docebo inquit, te artem Amoris, quæ non tibi herbas ostendet, non fascinum aut carmina suggeret, vt ameris. Quemadmodum amantis tormentum maximum est, scire non amari se ab eo quem amat, aut dubitare etiam tantum de amore eius; ita voluptas multo maxima est amanti cognoscere se amari. Hinc quia basia Amoris certissima signa sunt, ea statim optat sponsa. Chrysostomus ita comparat Amorem. vti ferrum, ait, ferro acuitur, ita Amor Amore: & sicut lapis ad lapidem attritus ignem elicit; ita anima adnexa alteri per Amorem. Omnium explicatissimè loquitur D. Paullus. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum* (græca vox dicere videtur, mitte illi cibum in os) Amoris illi signa ostende, *Si sitit potum da illi, hoc enim faciens*, citius illum emollies, & quasi *carbones ignis congeres super caput eius*. Denique Sapien-

Cant. 1. *Hom. 4. ad Hebr.* *Rom. 3.*

tia

tia diuina in omnibus operibus quæ multa mirabiliaque fecit, ſtudens Amorem ſui elicere (hoc enim primum maximumque in lege mandatum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo) neque voluit neque potuit aliud aptius medium eligere quam ſuum Amorem. Quia Amor ſui non acquiritur majeſtate aut grauitate, non obtinetur venuſtate, non extorquetur verbere aut flagellis; tam generoſus enim Amor eſt, vt à nullo niſi Amore ſubigi poſſit. Deus tametſi ſummo opere amabilis in ſe ſit, & per ſe, propter perfectionem, infinitatem, bonitatem, potentiam, pulchritudinem, aliasque proprietates ineffabiles; hæ tamen minimum mouent. quod manifeſtum eſt: quia ſi hic bene mihi facit, ille vero non bene, aut certe malè, propendet animus meus in Amorem hujus, licet formâ Maurus ſit. Immò, Deum ſummè amabilem eſſe non omnes perſpectum habent, & plurimi non appellunt animum niſi ad effecta bonitatis eius: atque ita cum finis Dei ſit, Amari, non potuit medium eligere præſtantius quam ipſum Amorem. Multimodis illicijs Deus vſus fuerat, vt cor humanum ad ſe attraheret. Timore primùm eos tentauit, minacijs terruit, cladibus fregit, aquarum eluuie obruit: at nihilo me-

lior homo redditus eſt. Vela vertit Deus, & beneuolentiâ oppugnare cœpit, quos ſeueritate expugnare non potuerat. multiplicauit miranda populo Hebræo, & *collegit eos vt gallina pullos ſuos ſub alas ſuas.* Sed fruſtra fuit Deus. Quid faciam ergo? inquit. nihil mouet mea indulgentia, non penetrant flagella mea: volo tamen vt mihi geniculentur, cernuique adorent omnes; facinus aggrediar, quod vbi inaudiuerint, obſtupeſcent. hoc autem fuit humanam naturam induere, naſci, mori, agere, & degere viſibilem in hoc noſtro orbe. quod vbi plane pleneque apprehenditur ſyncera fide, rapit omnes in ſtuporem: opus enim eſt Amoris excellentiſſimi, qui mortales omnes ita captiuauit, vt ſe ad pedes Dei abijcerent, númenque eius adorarent. Inanes erant minæ, magis vanæ blanditiæ, efficacia in Amore fuit. Ambroſius ſuper hæc verba: *Propter quod & Deus exaltauit illum*; plurima, inquit, propter me feciſti ô Deus, quæ attente diuque conſideraui, nihil tamen eorum me rapuit. Condidiſti mundum: nondum trahor. conſtituiſti me ſuper opera manuum tuarum, neque adhuc moueor. Sed quando intueor in te lacerum crudeliter membra omnia, lignoque fixum, Amoris ſignum tam rarum

4. Eſdr. 1.

mihi

mihi hoc visum est, vt subito me prosternerem & tuum me captiuum profiterer, Dominumque te meum agnoscerem. Venusta comparatio est, quæ sumitur à patre filium peruersum tenerè adamante. Dat se in pedes filius insalutatis patre atque matre. Fugientem pater famulos suos prosequi jubet, & dicere, vt vexare parentem suum desinat, non impunè id eum laturum. Ludos facit patrem minantem, respondetque nihili se pendere Patris & beneficia & maleficia, neque velle se illius substantiam aut tecta. Pater hoc commotus reducit talum, dimittit seruos alios, quibus plus grauitatis insit atque autoritatis, qui conentur persuadere filio Patris amantissimi propensissimum erga eum adfectum, cordolium quo propter eius absentiam, grauissimè affligitur, matris lachrymas suspiriaque numerant. Filius caute & chalybe durior pertinacissimum in malitia obstinat pectus. Quare Pater vi Amoris, quo fertur in filium, vrgetur ille ipse adire, ad nati pedes accidere, canos explicare, vndas profundere lachrymarum. Nate mi, si ista ætatis & capitis mei hiems, iste oculorum imber nihil te commouet, tangat saltem aliquantum te meus Amor, qui adeo tui caussa me turbat. Quid obsecro tanto Amori queat

obsi-

obſiſtere? Proſternit ſe filius & patris genua exoſculatur, erroriſque ſui veniam poſtulat. Idem accidit Deo & mundo. Profugit mundus, Deumque deſeruit. legat Prophetas Deus; quidam minantur, blandiuntur quidam, vtrique fruſtra: ſtat Mundus ſcopulo immobilior. Sternit ſe Deus ſuper lignum, lachrymarum fontem deducit ex oculis, procidunt ad pedes eius obſtinatiſſimi quique, & feriendo pectus clamant, verè filius Dei es; latro Regem dominumque ſuum fatetur, regnique particeps fit; ita vt, quod non potuere ſerui, aſpera monita, blandæ adhortationes, exeffecerit Amor, qui ad generandum Amorem potentiſſimus eſt. *Charitas Chriſti vrget nos*, ait S. Paullus; Amor Chriſti nos rapit, ligat, & ergaſtulo quaſi mancipat. Theologi ſubtilibus cogitationum ſuarum cuniculis indagant cauſſas rationeſque huius reciprocæ generationis, & inter alias hanc adducunt præ ceteris clariſſimam: putà, quod Amare nihil aliud ſit quam dare ſe totum Amato, transformare, ſpoliare ſeipſo, boniſque omnibus, vt ſupra probatum eſt latiſſimè; & hic Amoris effectus eſt ſummus, & extrema potentia. Cum igitur ille qui Amatur, ita veniat in dominium & poſſeſſionem Amantis, cogitur eum velut rem ſuam Amare,

2. Cor. 5.

Cap. 9.

&

& gratus esse illi, qui cum liber esset ac patronus, se mancipi dederit. alioqui non humanum factum erit, non soluere debitum Amori. Denique ita manifesta est hæc veritas, Amorem ab Amore generari, vt coram Alphonso Rege Aragoniæ nata sit inter Sapientes olim quæstio, an hæc regula ita vniuersalis esset, vt nullam omnino exceptionem pateretur: dubitantibusque omnibus Rex concluserit, generalem esse hanc regulam, si ad homines solos dirigatur: non, item, si ad Deum; quod hunc generis humani amantissimum nemo homo redamet. Sitné hæc instantia aut non sit certa contra conlusionem nostram, examini publico subijcio, Spōsa saltem refragatur: *Dilectus*, inquit, *meus mihi, & ego illi.* & iterum *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Cap. 7. ille suos Amores omnes in me, in illũ meos ego colloco. ille totus meus, ego illius sum, quanta quanta sum. Pro nobis facere videtur casus ille, quem Pharisæo Christus proposuit: *Duo debitores erant cuidam fœneratori, vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisq. Quis ergo eorum plus diliget?* (ita textus Græcus) Luc. 7. *Respondens Simon* Pharisæus extemplo, nihil hæsitans, *dixit: Aestimo, quia is cui plus*

donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicasti. Qui enim plus accepit, ad amandum magis obstringitur, quia creditor plus ei Amoris demonstrauit. Poterat ergò Christus subinferre hanc sequelam: ideò ergo Maria me amplius diligit quam tu, quia illi plus, quam tibi à me donatum est, & à manu meâ largifluâ plura in eam beneficia, gratiæque deriuata sunt, adeoque maiora maioris Amoris signa commonstrata. Sed consequens libuit ei inuertere: *Remittuntur* ait, *ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: vt distingueret donationem culpæ à pecuniarum donatione. Quia si tibi mille aureorum nomen, quo in ære meo eras, gratis condono, tametsi Amoris magni magnum signum sit, adeò ingratus esse potes nihilominus, vt neque te mihi deuinctum vllo pacto existimes, neque quidquam Amoris rependas. Verùm enimuerò, quando Deus animæ culpas remittit, fieri nunquam potest, vt non subsequatur continuò, si non anteierit, Dei Amor. Qui vas aliquod pretioso liquore adimplere cogitat, vacue-facit prius & purgat quam diligentissimè: ita anima quæ abominabili scelerum fæce exundat, primum expurganda est, vt nectare gratiæ charitatisque repleatur. ita vt hæc circumstantia singularis & perpetua sit,

cui

cui animæ Deus peccatorum indulgentiam fecerit, faciat eidem & Amoris sui copiam. Vbi doctissimè notat Cajetanus condonationem peccati caussam esse Amoris, & Amorem vicissim eiusdem condonationis esse caussam, licet in diuerso genere. Quia culpæ condonatio disponit ad Amorem, elicitque, & inuitat, & cogit, si tamen cogi potest. Amor vero efficiens caussa est remissionis peccatorum; adeoque recte hinc colligimus potuisse Christum vtramque illam consequentiam formare, item generaliter Amorem, & beneficia, gratiasque, ac dona Amoris signa euidentissima, caussas esse Amoris, atque ita Amor soluitur, vinciturque Amore. Apud Alciatum est emblema istiusmodi. Nemesis scelerum injuriarumque vindex, videns cruciamina tormentaque, quibus alios malè afflixerat Venus, neque Amori quo erga illam homines adfecti fuerant, satis respondisset, vertit filij Cupidinis sagittantem manum in matrē, Adonidisque amore medullitus inflammauit,

Vt quæ alijs fecit, patiatur, Embl.110.

transeatque per illos ignes, quibus pro illâ alij inarserant. Hic nodus aliquis soluendus occurrit, vter vtri plus debeat, amansné amato, an amatus amanti? qui

dat, an qui recipit Amorem? verum hi ſic diſpoſiti non indigent aliquo Hercule, iam enim ſolutus eſt nodus. Cui enim dubium eſſe queat, quin ille plus debeat qui recipit? ideoq́ue nulli plus Amor noſter obligari poteſt quàm Deo, à quo beneficiorũ maximũ cumulũ accepimus: poſt Deum parentibus obſtringimur, à quibus magna multaque obtinemus. vnde licet Deus homines, filium ſuum parens magis diligat, homines tamen Deo, patri filius Amoris plus debet. & grauius enormiusque flagitium eſt filij non redamantis, quam non amantis patris. Ariſtoteles in Ethicis aliam adducit huius debiti rationem. Qui Amorem recipit, figmentum ſeu opus dantis eſt, aut ſaltem pars, aut minimùm aliquid illius; pars autem trahitur in totum non quidem naturali, ſed morali Amoris vinculo tam vehementer, vt ingratitudinis nota ſumma eſſet, vel ipſo nutu obſiſtere.

Cui innittuntur juſtæ illæ parum feliciter amantium quærelæ, quos male vrit amicorum ſubdolorum perfidia atque adulteria coniugum fœdifragarum. Debitum enim hoc ita debitum eſt, vt natura ipſa dolere videatur atque indignari, quod creditori beneuolentiſſimo tam non ſatisfiat. Neque mirum mortales quiritari,

Deum

Deum ipſum hæc ingratitudo ægrè habet, qui apud Prophetas ſuos crebro queritur, ſe fruſtra amare hominem, à quo non niſi odijs atque opprobrijs remuneratur. Naturalis ratio auget cauſſam querelarum: nam quemadmodum Amor amantem transformat quantus eſt, in amatum, vt ſuprà non vno argumento probatum eſt, ita vt amatus ſit velut ciſtella aliqua cui credita ſunt omnia omnino amantis bona; & ſicuti per reciprocum Amorem ſeipſo fruitur ſuiſquè bonis iterum; ſi amatus perfidus eſt, detrectatq; ſoluere, amans fraudibus miſerè circumuentus eſt, theſauruſque illius carbones facti ſunt, maloque tam graui tam grauiter affligitur, vt prorumpat in querelas ac ſuſpiria. Debet igitur qui recipit plus eo qui donat. Verùm hæc quæſtio aliter inſtituta, alio reſponſo ſoluetur. Vt ſi dicamus. vter plus amat, qui dat, an qui accipit? Indubium enim eſt plus amare eum, qui dat. Dare ſiquidem diuinum eſt, vt eſt in Actis, *Beatius eſt magis dare, quam accipere:* & Beatitudo in viſione atque Amore conſiſtit: & patres magis amant filios, quia dant amplius, filijs enim theſaurizant, non illis filij, vt Paullus meminit: denique opera teſtantur Amorem. Cuius duæ ſunt apud Philoſophum in Ethicis rationes. Ille qui dat, in-

Act. 20.

2. Cor. 12.

tuetur in eum qui recipit, veluti in opus ſuum, & ſuum opus quiſque amat. altera eſt: Ille qui dat, conſiderat in recipiente bonum honeſtũ: qui recipit in dante bonum vtile & iucundum. & bonum honeſtum magis delectabile atque durabile eſt.

Tertio ſic diſponi poſſunt hi termini, vt ſic quæramus: vtrum excellentius ſit amare an amari? Et dubio procul Reſpondetur, amare eſſe præſtantius. quod ſupradictæ rationes facile probant: quibus addemus duo media Ariſtotelis. Primum eſt, Agit qui amat, patitur qui amatur: agere porro nobilius eſt. Secundum, Bene facere difficilius eſt, quam beneficium recipere, & amare quam amari; vnde forma quæ eſt Amor, dat amanti eſſe non amato; atque ita ſequitur amare eſſe quid excellentius.

CAPVT XII.

Amoris diuini exemplum non est in rebus creatis.

AMOREM generali stylo descripsimus, naturamq; eius & proprietates, & conditiones, effectusque demonstrauimus; superest, vt ad Amorem singularem descendamus. Primus verò locus debetur Amori Dei; scilicet, qui Oceanus est, vnde pronascuntur omnes omnium bonorũ aquæ, & ad quem iterum velut ad suum centrum perpetuo fluxu recurrunt. Neque animus mihi est proferre ea omnia, quæ illum manifestant atque indicant: cui enim vires tam potentes, tam longa vita, vt hoc mare enauigandum ingredi audeat? Tantum ergò ea dicere statui, quæ gloriosiorem illum reddunt & illustrant maximè. Docet fides Dei essentiam esse simplicissimam, & omnem perfectionum suarum infinitatem, esse vnam vniceq; vnicam perfectionem; adeò, vt omnipotentia eius sit misericordia, sit misericordia iustitia, iustitia iterum eius bonitas, denique bonitas Amor eius. & hæ omnes propositiones identicæ sunt: cum inter eas distinctio realis aut formalis nulla sit, solus intellectus noster discrimi-

num fœcundus parens inuenit inter perfe-ctiones has quasdam originis dependenti-as, quasi ab Amore deriuetur misericor-dia, à misericordia omnipotentia genere-tur. Atque ita hanc proprietatem ab alijs seiugabimus, vt ne alias attingere necesse sit. S. Thomas dicit Dei Amorem à nostro procul distare: noster enim est cordis quę-dam affectio, quæ interdum non se prodit, sed pectoris cancellis reclusus ibi quasi strangulatur. vnde est Amor quidam ma-nibus mutilus, quidam potens manu vtra-que. Amor efficax & non efficax. Dei vero Amor sine omni passione, semper efficax est, vt Amare Dei sit bene facere, & Amor sit beneficium. sicut Dei irasci, est castiga-re, quod in Deo ira nulla sit, aut alia passio, vnde effectus illi procedunt Ex quo sequi videmus, non posse Dei Amorem dicere; Non possum: quia posse illius & velle v-num idemque est, potentia porro infinita: Amare ergo aliquem est bene facere, & be-nefacere est amare. & plus amare est melius facere, & melius facere est plus amare. Et quod Cælum pulchrius illustriusque con-diderit, quam terram, Amoris maioris si-gnum est: atque ita per omnia Dei plasma-ta circumerrare cogitatione possumus. A-deò, vt Cælum ita amplificasse, variegasse tam diuersis siderum aspectibus, argenteis

Part. 1. q. 20. art. 1. ad 1.

aure-

aureiſque Lunæ ac Solis luminibus ador-
naſſe, ceteris elementis ſubtiliorem ignem
à cælis ſuſpendiſſe, ita purgatum dediſſe
aërem & diuitem tanto volucrum grege,
mare impleuiſſe piſcibus, locupletaſſe ter-
ram arboribus, fructibus, animantibus,
finxiſſe hominem tam induſtrium, qui Cæ-
li volucribus imperaret, ius diceret mari-
nis beluis, & terræ barrhos tigrideſque ci-
curaret; hi ſunt effectus omnes Amoris
naturalis, quo fertur in plaſmata ſua Ma-
gnus Archiplaſtes. Si porro exurgere veli-
mus & examinare Amorem ſupernatura-
lem, quo rapitur Deus in Angelos atque
homines propter finem magis ſublimem,
magiſque diuinum, plus lucis accipiet
hæc veritas. Per os Malachiæ Dominus ex-
poſtulat, opprobratque ingrata populi in-
fidi pectora; & ſi querelarum omnium di-
ligens examen inſtituimus, videtur ſic cõ-
cludere: Ego vos amo. Ergo benigniſſi-
me Deus, beneficia tua tam multiplicia,
gratiæ tam excellentes pretio atque nu-
mero, quas à dextera tua perenni-fluente
Hebræa gens recepit, quas non queant o-
mnes Arithmeticæ regulæ in certum com-
putum redigere, vno à te verbo omnes re-
cenſentur? Ea quæ vnus Iacob accepit, nos
ſermonibus eloqui non poſſumus, quan-
to minus illa quæ vbique omnes accepe-

Esa. 5.
Matth. 22.
Prou. 8.
Tract. 120. sup. Ioan.
Ioan. 21.
Ioan. 11.

runt, comprehendent ista verba, Ego vos amo? Quando per Esaiam, & deinde per Matthæum explicat vineæ suæ impensa beneficia, vt dicat: *Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci?* periphrasticè loquitur. Opera enim sunt Amor eius, & Amor opera. Similiter cum dicit: *Diligentes me diligo*: notam vnam scripsit Arithmeticam, & summam bonorum omnium quæ amantes desiderare queunt. S. Augustinus dignam suo ingenio mouet quæstionem, vtrum melius sit, amare Deum an à Deo amari? & post multa hinc inde quæsita argumenta, iudicat eum feliciorem, qui magis amatur. Ex Euangelio habemus, quod Christum Petrus magis dilexerit, Ioannes verò magis dilectus fuerit à Christo: non tamen Petro datum est nomen plus diligentis, vti Ioanni, plus dilecti. Quare plus amari felicitatis plus in se habet. Lazari sorores in ea quam ad Christum destinabant epistola, non scribunt; qui te amat infirmatur; sed, *ecce quem amas, infirmatur*: quia ab Amore profluunt bonorum omnium riui salutares. Vt autem videamus aliquid magni Amoris, quo genus humanum Deus prosequitur, tantum tria illa mysteria contemplari opus est, puta Creationem, Redemptionem &

Glo-

Glorificationem, ad quæ facile omnia alia reducuntur. Creatio eſt ſcaturigo bonorum naturalium,& eorum, quæ diuina ac cæleſtia vocantur. Porro ſicut illa beneficia adeo rara atque inſolentia ſunt vt non niſi in Deo ſint, nullumque apud homines eorum exemplar inueniatur, ita Dei Amor adeo rarus inſolenſque eſt, vt extra Deum nulla in humanis extent exempla. Si ad diuinos Amores, terrenos ponderare volumus, plumei erunt hi noſtri, plumbei illi. Matrum erga filios nimium quantum grandis Amor eſt, nihil tamen accedit ad diuinum. Ipſum Dominum audite in Eſaia: *Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa obl.ta fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.* Sponſi erga ſponſam fortaſſe ardor erit vehementior. Huius enim cauſſa relinquit patrem, matrem ac liberos, & omnia quæ eius oculi mirantur, ac ipſum cor adorat. Tam non immodicus hic eſſe ſolet, vt Iſaias ignorans, quo modo depingeret gaudium illud, quod Deus perſentiſcere videtur à iuſti anima, æquiparet voluptati illi, quam Sponſus accipit à Sponſa ſua, cui totum ſe, Amoreſque ſuos conſecrauit. Ita pluribus locis in Sponſi no-

Cap. 49.

Eſa. 61.

mine sibi placet Deus : verum hic tandem Amoris ignis decrescit, & in cineres soluitur. Apud Hieremiam vulgari adagio vtitur Dominus. *Vulgo dicitur : si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum : nunquid reuertetur ad eam vltra ? Nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa ?* Nunquid vir ille populo fabula fiet, famæque suæ notam inuret indelebilem ? Dicit ergo Dominus : hæc incommoda digerere non potest stomachus humani Amoris : verum meus Struthionis est, qui ipsum etiam ferrum concoquit. Tu Sponsa mea perfida, periura iam millies facta es mihi, proripuisti te è domo mea, vbi belle beneque tibi erat, *fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me*, transi domus meæ limina, compella me verbulo vno blandiusculo, *ergo saltem amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* Ego passis brachijs ad te egrediar, recipiam te rursum sub tectum meum, erisque mihi quasi incorrupta, quasi nullam in te vnquam culpam admisisses. Idem per Oseam agit Dominus. vocat Prophetam : Vade, inquit, ama. ego Domine ? Obstupesces amplius, quando demonstrauero, quam ama-

Hier. 3.

re de-

re debeas. Eſt fornix in quo triobolare ſcortum habitat, Gomer filia Debelaim; *Vade ſume tibi vxorem fornicationum, & fac filios fornicationum.* Quid, cui imperas ô mirabilis Deus? mihi huius profeſſionis, huius indolis, huius ætatis, huius dignitatis viro mulierem famoſam & tali famâ? hoc exemplar, & figura eius eſt, quod mihi cum anima perditrice ac ſui proditrice interuenit, ad fores illius clamo, pulto, ſi audit atque aperit, in ſponſam mihi eligo, &c. Amor capitis erga membra maior alijs omnibus videtur, de quo gloriatur Dominus apud Paullum: Chriſtus Eccleſiæ caput eſt, corpus Eccleſia: verum Chriſtus in hoc Amoris campo omnia alia longe poſt ſe relinquit. Siquidem membra vſtionem patiuntur, patiuntur ſectionem ac comminutionem, caput tamen pro membris hæc non ſuſtinebit: Verum Chriſtus pro membris paſſus eſt, adeo vt lacer, compagibusque omnibus ſolutus extrema ſubire voluerit, plagisque ſuis noſtras ſanauerit, & fœditate ſua conciliauerit nobis venuſtatem. A volucribus alijsque animantibus ſumi quoque poſſunt argumenta tametſi infirma. Gallina cum ſuâ inualetudine incubat ouis, pulloſque excludit: vbi vero miluium viderit, nulla eſt Tigris aut Læa tam fera, non ti-

Oſea.1.

Eph.2.

met roſtro, aut vngulis, ſed irarum plena erigit ſe in hoſtem. Quare apud Matthæum lachrymans ſuper vrbē Ieruſalem, ſe gallinæ aſſimilat: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas?* quoties protegere volui? & quemadmodum non habent aſylum aliud pulli, in quo ſecuri deliteſcant, niſi matris ſuæ alas, ita filij tui non habent præter me alium protectorem: ſed bene ſibi eſſe noluerunt. Inualetudinem contraxit jejunijs, & longis in deſerto pœnitentijs, prædicationibus continuis, aſſiduis peregrinationibus, ita vt vix oſſa cutis tegeret, ne dicam protegeret, nempe quæ apud Prophetam dinumerata ſunt. Verum ſi quis minimo digito aliquem de ſuis attigiſſet, videbatur in fermento jacere ſubito: vnde cum Phariſæorum ſuperbi Principes illi dicerent: *Quare diſcipuli tui transgrediuntur traditionem ſeniorum? non enim lauant manus ſuas;* plenis cholera verbis amariſſimè reſpondit, probauitque quem ante dixerat ſermonem, *qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Sed gallinæ amor decreſcit tandem pullis creſcentibus: quiuis eorum quo lubitum eſt deflectit, neque filiorum meminit mater, tanquam ſi non fuiſſent vnquam: at Chriſtus, vt ne memoriam

Cap. 23.

Pſal. 21. Dinumerauerunt omnia oſſa mea.

Matth. 15

Zacc. 2.

eius effugerent, plagas seruauit, testes tam caræ charæque parturitionis.

Ab Amore in filios celebris quoque Aquila est. transfert enim pullos suos ex vna in aliam regionem, si quando locus minus commodus est. & non portat vngulis, vt volucribus alijs in more est, sed alis imponit, vt si fortasse aliquid mali incurset, mater excipiat illud potiùs. præterea altissimo se aëri committit, quo neque balista neque arcus penetret. Huc alludit Dominus in Exodo & Deuteronomio. *Vos ipsi vidistis quæ fecerim Aegyptiis, quomodo portauerim vos super alas aquilarum & assumpserim mihi.* Eripui vos de jugo seruitutis, de terra miseriæ eduxi vos, induxique in libertatem, in campos deliciarum, quas promiseram Patribus vestris. securi eratis, sine timore eduxi vos, *in brachio excelso.* Sumpsit metaphoram ab eo, qui in populorum tumultuoso confluxu portat rem pretiosam, extollit enim brachium, ne quis temere attingat. In Deuteronomio quoque Deus Aquilæ nomē assumit *Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas.* vbi juxta Gregorij notas *ad cap. 1. Ezechielis*, homines justi atque cōtemplatiui intelliguntur, qui temporalium rerū felicitate contempta, ceteris al-

Exod 19.
Deut. 32.
Exod. 6.

tius

tius se attollunt. Verum Aquilæ non est generalis Amor in omnes: arrogans enim sibi suoque generi videndi multa potentiam, pullos suos radijs solaribus obijcit, probatque eos qui ignem illum oculis irretortis inspectare possunt, qui non possunt, vt spurios reijcit, perditque: Deus vero nullum filiorum quantumcunque debilium repulit vnquam.

Psal. 101. Pro amantissimo filiorum etiam Pelicanus commendatur: cuius mentio etiam fit apud Psaltem Regium. Apud Ægyptios præsertim in pretio fuit, quem pietatis Amorisque symbolon esse voluerunt. Quibus etiam nostri adstipulantur. vt patet in Hieroglyphicis Pierij, vbi Pelicanus in cruce pectus sibi disrumpens signum Christi est, qui in cruce nobis vitam donauit. Verum juxta Hieronymum pullos suos internecat, quos pœnitens tribus postea diebus luget, & vt restauret damnũ, sumit quasi de seipso vindictam, disruptoque è pectore sanguinem educit. Sed Christus non fecit damna, quæ repararet, neque abstulit vitam quam redderet: verum mortis viam inire voluit, vt nos mortis è faucibus eriperet, & vita defungi, quam nobis daret. ita vt nullum reperiatur huius Amoris exemplum in rebus creatis. Et hæc vera caus-

ſa eſt, cur ſacræ literæ tot nomina Deo imponant, humilia quædã, quædã ſublimia, alia, plena maieſtatis, abiectiſſima alia. nũc ſceptro honorant, nunc onerant arundine. mox veſtiunt Sole, mox chlamyde alba traducunt. jam cum populi applauſu triumphanti ſimilis vrbem ingreditur, iam ad crucem, necemque infamem rapitur. nunc coronam illi imponunt, nunc jugum. Vocant Regem, Angelum, Saluatorem, Paſtorem, Medicum, Lucem, Magiſtrum; dicique poteſt, hæc omnia quæ diſtinctis nominibus ſignificantur, ſimul vnita eſſe in Deo; immo multo plura: nihil enim in creaturis reperiri poteſt, quod non multo perfectius in Deo ſit. Quare ſicut lux illuminat, protegit tueturque vt Rex; non aliter quam Paſtor, regit; docet ſicut Magiſter; curat velut Medicus; alit adamatque tanquam Pater.

CAPVT XIII.

Diuinus Amor creſcere, decreſcere noſter quotidie aſſueuit.

DIſſerunt Scholaſtici, vt quid perſonarum diuininarum altera carnem noſtram induerit, non prima aut tertia? Reſpondet Richardus, quia

Proto-

Protoplasti culpa ex diametro pugnauit cum Sapientia, quæ in Trinitate filio dari solet. Illicium enim peccati fuit, quod forent similes Dijs, bonumque & malum cognoscerent. Ideoque vnigenitus Dei, à qua maximè abhorrere debuit, hanc in se suscepit, facinusque aggressus est, quo nullum fuit Amori gloriosius, ita vt quod indubiè humanum conglaciaret, pectus diuinum accenderit. Oseas de populo suo metaphoricè loquitur, & facta meretricis imputat. Induxit in animum suum mulier viri sui thalamum relinquere, & quotidie mutare cubilia atque amatores suos. Cui viro hoc flagitium tam impudens non commoueret bilem, & accenderet ad vxoris internecionem? Deus vero hinc sumit benefaciendi occasionem. Seminabo, inquit, tribulis atque spinis semitas tuas, vt cognoscant omnes, quàm multis amaritudinibus Deus obserat voluptates peccatorum. Aliam doctrinam non habet Isaias *cap. 10.* vbi recitatis aggrauatisque Hebræorum sceleribus, propter quæ in manus Assyriorum traditi sunt, subdit *cap. 11. Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet:* per quem Christum significat: ita vt maiori malo opponat maius bonum. Ita *cap. 31. & 32.* impudentiam populi sui atque in-

grati-

gratitudinem insignem demonstrat, atque vbi in vltionem jamjam erupturus videtur, promittit mirandum expectati Messiæ aduentum. Clarissimé verò loquitur *cap. 63. Circumspexi, & non erat auxiliator: quæsiui & non fuit qui adiuuaret; & saluauit mihi brachium meum, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.* Humano generi multis scelerum vulneribus saucio medicari volui, quæsiui ex populo aliquem, qui mihi opem ferret, sed non nisi à furore meo auxilium sensi. Defixi oculos in exuperantem numerum noxiarum, quæ mihi bilem ita commouerunt, ita accenderunt iram, vt celerarem, percurreremque ad medicinam. Non potuisset reperiri cor minus calens Amoris ignibus quam diuinum, & quomodo non incitaretur hoc casu ad perdendum hominem? quomodo non pessumdaret & in profundam Inferorum abyssum deturbaret? Verum Amor diuinus ex damno commodum, ex morte vitam elicit. *Capite 10.* cœpit bonum adferre lætumque nuncium, quasi Deus populo Indulgentiam grandem, Iubilæum vniuersale dispensaturus esset. *Consolamini, consolamini popule meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam: quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illi-*

us: suf-

us: suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis Grandis immensusque Dei Amor. quando ad culmen summumque peccati ascendit populus, Dominus descendit ad infimum intimumque Misericordiæ, & mala compensat bonis, bonis duplicatis, id est maximis, numero determinato pro indeterminato. Dicit Sponsa: *similis est dilectus meus capreæ, hinnuloq; ceruorũ*, qui cane vertago, hoste suo sequente fugit, reflectitque in terga caput. O amantissime Sponse, ego te persequor, tu reflectis in me lumina, lumina amœna atque amantia; à mea impudentia ac effusa temeritate sumis caussam commiserationis: & adspectu dulci ostendis pungentes aculeos mearum molestiarum, dicisque: Parce inutili cursui, vt quid te frustra delassas? Per Esaiam promittit magistrum se fore, qui in aurem nobis insusurret salutis semitam. *Non faciet auolare à te vltra doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis: Hæc est vera via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Super-abundans nimiusque est hic Amor: iniurijs à me affectum, lacessitum opprobrijs fugere & respicere amantibus oculis? *Capite 7.* Esaias studens persuadere Regi

Cant. 2.

Cap. 30.

incre-

incredulo, quod Deus illi auxilium ferre destinasset, & seruare à Regibus pluribus, qui hostili potentiq; manu eum, regnumque eius euertere cogitabant, dicit. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra.* Roga, vt terra dehiscat, & infernus sese effundat in terram, pateatque humanis obtutibus; aut vt montes alio transeant, aër cælumque variè patiantur, fulminibus tonitribusque extrema omnia minentur, Sol cursum suũ sistat; aut tale aliquod testimonium postula à Deo. Erat enim Achaz factorum fictorumque deorum cultor, verebaturque vt miraculum editum Deo vero in gloriam cederet, quare respondit: *Non petam*, Deo nolo dare hanc gloriam. subdiditq; Deus: *Audite ergo domus Dauid. Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum*, misericordiæ atque Amoris immensi. *Ecce virgo concipet & pariet filium*, mundi hominumq; salutem. Non poterat abominandum infidelitatis peccatum, cum ipsa iunctum superbia turbare Amorem. Prophetarum multi viuis velut emblematibus depinxerunt statum huius mundi, præsertim Reipublicæ Solymææ, quando salutis ei remedia Cælum præparabat. Zaccharias dicit: *Leuaui oculos meos, & vidi: & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium: & montes,* Cap. 6.

montes ærei. In quadriga prima equi rufi, & in quadriga secunda equi nigri, & in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varij, fortes. Et respondi, & dixi ad Angelum qui loquebatur in me; Quid sunt hæc Domine mi? Et respondit Angelus, & ait ad me: Isti sunt quatuor venti Cæli. Hic est status Reipublicæ Hebrææ, quando ad salutẽ mundi, & inprimis eius gentis descendit Deus. Per equos rufos significatur Chaldæorum regimen, plenum bellorum atque sanguinis, quæ colore isto denotantur. Huic successit regnum Persarum atque Medorum, qui Iudæorum Rempublicam funditus deleuerunt, ad funestam mortem damnatis omnibus; & hoc designant equi nigri. Hos secuti sunt Macedones, quos indicat candor equorum, propter modestiam, qua Alexander vsus est in ingressu Solymarũ, cũ descendens ex equo curuaret genua summo Sacerdoti. Quã nimiam animi demissionẽ sinistrè quibusdam interpretantibus Magnus Alexander respondit: Nemini vestrum hoc magnopere admirandum videatur, quia isthac nocte mihi Deus vigilanti occurrit hac veste amictus. Equi varij significant formã Reipublicę huius, quando Messias datus est. Varietatem faciebant varij Principes qui huic populo dominabantur. Sacri Præsides erant Annas & Cai-

phas. principabantur velut tetrarchæ Herodes, Philippus & Lyſanias; regionem omnem nomine Tiberij Cæſaris procurabat Pontius Pilatus, vt eſt in Luca. Et ſi pluralitas capitum ruina eſt Reipublicæ, quid eſſe dicemus, quando iſtiuſmodi capita fuerint? Participabant poſtremi hi equi priorum omnium colores; omnium enim præteritorum temporum mala atque damna, nunc in vnum coaluerant. Hieremias quoque diſcurrit per omnes, & nullum reperit ſtatũ incorruptum. Ezechiel quærit hominem, cui ſit de iuſtitia aliquando ſermo. Nihilo plus inuenit Michæas ſub metaphora ficûs atque vuæ. Quid clamet Eſaias, attendite. *Facta eſt meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij* olim: *iuſtitia habitauit in ea; nunc autem homicidæ. Principes tui infideles, ſocij furum.* Alibi dicit, virtutes tres quatuorúe vnitas tentauiſſe ingreſſum in ciuitatem, ſed defecit omnes animus. *Et conuerſum eſt retrorſum iudicium & iuſtitia longè ſtetit: æquitas non potuit ingredi.* Audacior omnium Veritas penetrauit in vrbẽ, ſed malo ſuo. Circumdederunt eam velut furentes tauri: *Corruit in platea veritas.* ſubditque à planta pedis vſque ad verticem non fuiſſe in ea ſanitatem, ſed venenum & lepram. Ex quibus cognoſci poteſt Amor Dei inexplicabilis, qui quo amplius irritatur, vt

Cap. 3.

Cap. 1.

ad ſummum videatur excreuiſſe malitia; hoc magis conatur mundo benefacere. Huc ſpectat comparatio illa quæ ab arcu deſumi ſolet. Quo magis inflectitur, eo vehementiori impetu emittit ſpicula: ita Deus maximè offenſus, amat maximè, & gratiarum torrentē longiſſimè deriuat. Quanto altius ſpinæ excreſcunt, tanto viridior recentiorque herba conſeruatur: ita quo magis ſe attollunt multiplicata hominum flagitia, eo magis viget floretque Diuinus

Rom. 5. Amor. *vbi abundauit delictum*, inquit Apoſtolus, *ſuperabundauit gratia.* Magnitudinem Amoris huius tota Chriſti vita manifeſtat, vt nulla iniuria ei fuerit illata, quam non cōpenſauerit miſericordiæ dono maiori.

Ioan. c. 8. Imbrem lapidum pluere in illum volebant Iudæi: & lumen reddit cæco. Vincire illi parant manus, & aurem læſo reſtituit. De tribunali ad tribunal velut nocens trahebatur; interim ille diſſidentes animos componit.

Luc. 23. *Et facti ſunt amici Herodes & Pilatus in illa die; nam antea inimici erant adinuicem.* Ponderabat id Paullus quando

1. Cor. 11. dicit. *Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis* (alioqui non audeam hæc aſſerere) *quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur accepit panem*, illa nocte qua tantum contumeliarum atque iniuriarum in eius caput effuſum eſt, illa, inquam, nocte *memoriam*

fecit

fecit mirabilium suorum misericors & misera-tor Dominus, præstitit beneficium humano generi infinitum. tunc dico, quando lacerare dentibus, & frustratim cæsum mandere quasi volebant, se eis obtulit in cibũ. Et dubitare nemo audet, quando audit, eos qui torquebant, redemptos, & instrumenta mortis atque pœnarum, ea ipsa esse instrumenta vitæ ac salutis tortoribus. Ecce quã longè alio modo redijt sagitta in eos, qui emiserant. Quæ hominibus odij incitamenta sunt, sunt incitamenta Diuini Amoris. Hoc est quod canit Psaltes: *Quid est homo, quia memor es eius? aut filius hominis, quia visitas eum?* Psal. 8. Hebræus textus habet *Enos*, id est obliuiosus, filius Adami, seu filius luti. Figura Rhetorica est, Antithesis, contrariorum oppositio. Domine quid est obliuiosus, quia memor es eius, apud quẽ hic tui nulla est memoria? Quid est quod eũ visites, qui filius luti est? Quid in eo est, seu corpus spectes, seu animam, quod non incutiat horrorem intuenti? Corpus ossium cumulus est, saccus pulueris huc illuc mobilis; anima verò flagitiorum colluges; intellectus, mera caligo, atque error: voluntas passionum corruptionumque ludus: arbitrium ipsa debilitas; memoria sui ipsius obliuio. Si in Cælestes genios tuus rapiatur Amor, bene est; habent aliquid,

quod purum elegansque videri queat. Verùm te hominem amare? amare lutum atque sordes? Hæc est Amoris immensitas, qui ex odij seminibus colligit Amoris germina. Et in casibus Amoris, non est maior ratio, quam eius quem Amor facit: ratio enim casus est, casus vero Amor. Coniugem tibi inæqualem assumpsisti, generę, diuitijs inferiorē, ipsâ quoq; formâ ignobilem. Domine, quo pacto istuc prolapsus es? Amor me sic abiecit, & collutulauit. Ita dicit Esaias Deum *paruulum* factum esse. Paullus, *exinanijsse* semetipsum atque formam serui accepisse. quo autore atque impulsore? Amore.

Esa. 6.
Phil. 2.

Caput XIV.

Deus Zelotes est.

Zelotypia magni Amoris filia est, aut certe est ipse Amor, sed subtilis, pretiosus, ardens, ipsa denique flamma scintillantis Amoris: Amorem enim flaccidum ac tepentē nescit zelotypia. Et licet Amor à natura largus, benignusque sit, zelotypi tamen adeò miseri contractique & male affecti sunt, vt ne vmbram hominis admitterent sociam illi, quem amant. Neque ille tantum inter cōiuges est, licet hic propriè inueniatur; sed vbicumque Amor principatur, dominari

quo-

quoque zelotypia desiderat. Quia ergo Dei Amor adeò stabilis, delicatus, tenellus, infinitus atque immensus est, vt Amores terreni huic collati odia potius atque peruersæ affectiones quam Amores nominari debeant, Diuinum pectus ita vehementer hac passione impetitur, vt si aliquo modo penetrare posset, maximè zelotypiæ tormento cruciaretur. Hinc Moyses Zelotæ nomen Deo addidit: riualem enim animæ non tolerat. & quia condidit, formauitque eam ad imaginem suam, ita venustam omnibusque elegantiæ numeris formosam, non patietur Solem intueri eam in præiudicium suum. & vbi dicitur; *Dominus Zelotes nomen eius*, alia lectio habet, *ægrè ferens iniuriam.* Et hoc est quod indicare voluit Ezechiel, quando inter abominationes Israëlis vidit *idolum zeli in ipso introitu*: id est iracundiæ Dei, vnde accendebatur cholera Dei, atque indignatio. Et vbi dicitur, *dura sicut infernus, æmulatio.* S. Chrysostomus legit zelotypia. Hanc enim circumferre, est circumferre in pectore suo infernum: & si aliquod pectus zelotypia infernum efficit, quid faceret immò quid non faceret pectus Diuinum, si pœnarum capax esset? Maritus, quem primi Amores adhuc torrent, patietur quoque se ab vxore suppeditari; sed animam amittet

Exod. 34.

Ezech. 8.

Cant. 8.

prius quam admittat malæ fidei in coniuge suspicionem. Ioseph, vir, vt dicunt sacræ literæ, iustus, tametsi non ignoraret Virginis sanctissimæ vitam inculpatam, videns tamen eam prægnantem, statuit procul à patria extorris peregrinari, & reliquum vitæ consummare inter ignotos. Et in lege veteri populi sui murmur graue ferre potuit Deus, sed non potuit ferre idoli cultum. *Dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, vt auerteret iram eius, ne disperderet eos.* Et cum vitulo aureo genua sua curuassent, cum misericordiæ suæ nollet obliuisci, peremit tamen de populo triginta tria millia. Quando Azotij captam arcam posuerunt iuxta idolum Dagon, subito indignatus Dominus, comminuit statuam, populumque magna clade afflixit, *Aggrauata est manus Domini super Azotios, & demolitus est eos,* quod præsente arcâ suâ tantum honoris deferrent idolo. Immo *circumducentibus eam fiebat manus Domini per singulas ciuitates interfectionis magnæ nimis: & percutiebat viros vniuscuiusq; vrbis à paruo vsq; ad maiorem.* Tempore Sedeciæ Regis fictiles Deos in templo Domini Israëlitæ posuerunt, exacerbatus ergo Dominus & furore nimio æstuans, vocauit Babylonios, qui

Exod. 32.

Psal. 105.

Exod. 31.

1. Reg. 5.

vindictam cæleſtem complerent. *Venit Nazubardan princeps exercitus, ſeruus Regis Babylonis in Ieruſalem. Et ſuccendit domum Domini*, in qua dijs alienis Iudæi libauerant, *& domum Regis, & domos Ieruſalem omnemque domum combuſsit igni. Et muros Ieruſalem in circuitu deſtruxit omnis exercitus Chaldæorum. &* vt habet in Threnis ſuis Ieremias; *non eſt recordatus* Dominus *ſcabelli pedum ſuorum in die furoris ſui.* Scabellum arca, Propitiatorium ſedes domini erat. Denique tantopere ferebatur in vltionem, vt quod dicit Eſaias, niſi miſericordia abundaſſet, vt relinqueret Iudæis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſent, & ſicut Gomorrha perijſſent. Ceciderat Ochoſias per cancellos cænaculi ſui, accepitque vulnus non modicum. accurrit manus famulorum, deponunt in lectum: citatur grex Medicorum, ſed nemo ſpem vitæ longioris illi adferebat. Statuit ergo conſulere Beel-zebub Deum Accaron. Zelotypiæ ignis accendit Dominum, & ait Angelus eius Eliæ Thesbitæ: *Surge & aſcende in occurſum nunciorum Regis Samariæ, & dices ad eos: Nunquid non eſt Deus in Iſrael, vt eatis ad conſulendum Beel-Zebub Deum Accaron? Quam ob rem hæc dicit Dominus*; vt aliquando Ochozia cognoſcas quis ego ſim, *de lectulo ſuper*

4. Reg. 25

Hiere. 27.

Thren. 2.

Eſa. 1.

4. Reg. 1.

quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Ita hodie fit. In morbis molestijsque nostris ad terram potius quam ad Cælum confugimus; naturæ confidimus magis, quam vt gratiam desideremus. Medicum, medicinamque inuocamus prius, quàm orationibus sacrificijsque salutem nostram committamus, atq; ita principale fit, quod accessorium esse debebat, & quod principale esse debebat, fit accessorium. Hæc ad æmulationem prouocant Dominum, ideoque neque nos liberabimur ab infirmitate, tametsi leuiuscula sit: neque mirum videri debet, iurauit Dominus. Diues ille nocte media vigilabat, plusculum fortasse in cœna sese inuitauerat, & crapula somnum ei prohibebat, cœpitque affari animam suam, immo diuitias thesauri, aut grana horrei, aut penus sui delicias. Quid deficit tibi anima mea?
Luc. 12. *habes multa bona posita in annos plurimos.* Zelotypis auribus inaudijt Deus. *Stulte,* vnum adhuc tibi desit, mors, atque infernus: *hac nocte animam tuam repetunt à te.* Væ locupletibus, qui Deum Nummum adorant, quibus in quauis necessitate arca vnum & solum asylum est. Si eis cum aliquo controuersia est, spes est in pecunijs. si morbus eos inuadit, salutem po-
Iud. 17. nunt in auro. & cum Micha illo loquun-
tur:

tur: Reperi mihi non contemnendum idolum. Bonus est Deus cæli, sed melior ille, qui in loculis regnat. At egreditur Dei furor contra eos: Ego polyplusios illos in xenodochia publica eijciam, vt cognoscant, quam parum confidentiæ in Deis illis collocandum sit: aut proturbabo in tartara, vbi cacoangeli illis insultabunt: *Ecce homines, qui non posuerunt Deum adjutorem suum, sed sperauerunt in multitudine diuitiarum suarum.* *Psal. 51.*

Ad zelotypiam quoque proritat Deum Amor immodicus conjugum, ac parentum. Quare attende, quisquis amas, tametsi non illicitum sit quod amas, vt non exorbites, injuriamque inferas Amori Diuino: alioqui æmulatione pectus Dei grauabitur, perdetque Amores tuos, tolletque quod maximè ridebit in oculis tuis. Ita non raró morte abstulit quem ardebat imo adorabat mater, vnigenitum. ita frequenter thalamum viduat, quando alter conjugum alterius amore nimiùm inardescit. Et si te zelotypia pænè internecat, quando etiam suspicaris solùm (non dico, euidentibus argumentis comperisti) magis adamari riualem, vt virili cordi, muliebrique desiderio frænum nullum imponi possit: non offendetur Deus si propter creaturam suam minus diligitur?

In mundi primordio videbatur velle Deus huic furenti zelotypiæ malo obuiare, quando dixit: *Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adjutorium simile sibi.* vbi alij legunt, *adjutorium coram eo*, feminam de viri facie, de viri oculis: vti panes quoque sacri vocantur à facie seu conspectu domini. vt possit non falsò dicere mulierem de vultu & oculis meis, vt non adorent te, sed obseruent oculi mei. In felice illo statu etiam, quamprimum auertit oculos suos Adam, dedit Eua serpenti aures: vt esset signũ prognosticon maritis omnibus, quod vbi oculos suos declinauerint, & non habuerit mulier cũ quo misceat sermones, in colloquium Sathanam aduocabit. Salomon in Prouerbijs producit mulierem in platea lasciuientem, cui obuiam egreditur adolescens; tantumque ineptiarum inter eos effunditur, vt ineptus videri possim, si velim hic recensere. Magni illi Patriarchæ, Abraham, Isaac, Iacob, Moyses comites viæ vxores semper habuerunt, & elegerunt potius magnis cum sumptibus & molestijs eas pati socias, quam pungi aculeis fatalis zelotypiæ. Addo; Deus se Sacramentali velo occuluit in altari, vt præsentia sua Sponsã moneret vitę attentioris. *En ipse stat post parietẽ nostrum, respiciens per fenestram,* &c.

Gen. 2.
Exod. 25.
Prou. 7.
Cant. 7.

&c. Sponſus meus mihi beneuolentiæ maximæ maximum teſtimonium dedit, abijt è conſpectu meo, ſed non totus, latuit vt per cancellos zelotypos thalami mei proſpectaret, actionesque meas arbitraretur. Quantumuis enim probitatem meam probè cognitam habeat, nihilominus illo abſente potuiſſem leuiculam aliquam noxam committere, quæ licet fidei, quam dedi atque ſeruo, non pugnaret, cauerem tamen inſpectante Sponſo & Domino meo; & vt ne mihi hoc quoque excideret, ſuſpendit cœptum iter, reſpexitque in cubiculum meum zelotypis luminibus. Atque ita non debemus ambigere, quin feminæ pudicæ quoque poſſint remotæ in angulo tractare aliquid, quod non auderent ante oculos maritorum: nam & illi homines ſunt, & zelo abundant, & plurimùm dubium, certum, indifferens, malum habent; hæc incommoda ergo volens Sponſus euitare, ſimulauit abitum, tametſi nullus abiret. Quod de Sacramento Euchariſtico affirmari rectè poteſt: in quo deliteſcere voluit Deus, vt præſentiâ ſuâ commonefaceret ac percelleret homines, in caſibus etiam leuioribus. Aduertendum porrò vbi in Canticis de Amore atque zelotypia Dei & animæ, ſponſi atque ſponſæ ſermo eſt,

nun-

nunquam illa dicitur ferri erga illum zelotypia; duas ob rationes. prima est, quia zelotypia in Amore vehementi est, Anima verò tepide, simulateque amat. Cogita puellam, quæ loquitur, blanditur omnibus, simulat amare se omnes: si hæc zelotypiæ signum vnum dederit, risus, atque ludibrium virginibus erit atque mulieribus, non enim vllâ zelotypiâ laborare poterit, quæ nullo Amore verò ardet. Ita per Ezechielem Dominus populo minatur: *Auferetur Zelus meus à te*: ambulabis, quo voles; facies quod tibi lubitũ erit: nullus erit inposterum erga te Amor meus. Altera ratio est, quia Dei Amor adeo grandis est atque immensus, vt Sponsa ne quidem per jocum gloriari possit, quod aliquem defectum deprehenderit in Amore Dei, qui non raro id per suos manifestauit. per Esaiam: *Quis est hic liber repudij matris vestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus cui vendidi vos?* per Ieremiam. *Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis*, quid maleuolentiæ? *quia elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem.* Respondebit aliquis: omnes à te adamantur. Ita est: verũ non ideò minus amo singulos; quia sic omnes amo, quasi hunc solum amarem, sicut redemi omnes, quasi hunc vnum vnicum redemissem.

Ezech. 16.
Esa. 50.
Ierem. 2.

missem. Huic consonat Paulus: *Qui dilexit me, tradidit semetipsum pro me*, & pro alijs omnibus, verum ita pro me, quasi pro me vno solo. Porro quod Sponsum vrat potius ignis zelotypiæ, duobus ex fontibus oritur. 1. quia animæ Amor res minima est, & quasi nihil, qui diuidi inter multos non potest, vt minimum quid singuli accipant. *Pallium breue est*, inquit Esaias, *vtrumque operire non potest*. Loquitur cum anima, eamque similat mulieri, quæ maritum, & post eum alium amatorem in eodem cubili seruare conatur. Propter plicas replicasque multiplices, quas habet stragulum tuum, adeo vt curtius sit quam vt duos integere possit, recedo, ne frigus me enecet. Secundo quia tot occasiones sunt, quot culpæ, quæ quia numerum foliorum superant, etiam zelotypia numero exprimi non potest. Et quod magis admirandum, subtilior est ipsis Solis atomis: quod inde nascitur, quia Amor Dei nempe immensus, ab omni etiam suspicione liber est: Animæ vero Amor non magis vacat suspicionibus, quam mulier illa, quæ ad omnium virorum conspectum prurit. Non omnes quidem Animæ noxæ graues atque mortales sunt: sed offendunt quoque veniales culpæ; propter quas Deus damnat animam,

ad Galat. c.

Esai. c. 28.

& igni

& igni ad purgationem addicit. Domine propter vnum vnicum verbulum ardentibus flammis trador? Zelotypia mea hæc est: respicio enim ad creaturam, & ad me creatorem ac Dominum. & hoc
Deut. 6. 30. est quod voluit Deus: *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Quod Deus delictum meum capitale habeat, vt, si quid minimum illi de anima mea tetulero, eum offendam, hæc zelotypia est. Dicebat Pharisæus: non sum raptor, non sum iniustus, nulli malum aut damnum intuli, opera mea nemini homini nociua fuerunt; at ille cogitationes meas arbitratur.
Matth. 5. hinc dicit: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde*
Cant. 4. *suo.* Omnia hæc indicat Sponsus: *vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* quasi diceret: adspectus vnus læuus, capillus vnus vagè fluens, qui alij pro laqueo satis esse queat, mihi vulnus est. Ergo ô Domine, quia lumina paullulum à te reflecto, offendo? Zelotypia hæc est. Quod magis stupendum est, adeò tener subtilisque Amor est Diuinus, vt sancti quidam interpretes ad illa verba, *Si ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos*, ausi sint dicere, quod Apostoli tanto adfectu in carnem illam glorio-

ſam rapti fuerint, vt eam Chriſtus tollere, debuerit, quo Spiritus ſanctus adueniret. Et hoc eſt quod Magdalenæ occlamauit: Caue me attingere, quia aſcendo ad patrẽ. q.d. oportet te corpore hoc meo carere, vt longum frui poſſis. Cui ſimile accidiſſe videtur Iſraëlitis cum ſerpente æneo, ad cuius adſpectum ſaucij omnes ſanitatem receperant: quem confringere neceſſum fuit, quod populus ei incenſum adoleret. ita Chriſti caro diuina eos vndiq; ſaucios, liuidoſque ſanauerat, ab oculis ergo illorum procul mouenda, quia Spiritus ſancti ſolamina adeo ſubtilia ſunt, vt per nimium adfectum ad æmulationem excitari poſſit. Hinc Deus Amicis multo chariſſimis, multo maximas tribulationes immittit. Non aliter quam maritus, qui in partem matrimonij accepit forma moribuſque emendatam vxorem, quæ rapit in ſe obtutus ſæculi, maiori eam cura ſeruat, obnuptã velo ambulare iubet: ita Deus, animam quæ oculos inferni reddit obſtupidos, diligentiſſime curat. Quid obſtare queat Deo, quo minus amicis ſuis multa ſupererogare poſſit? nihil omnino: non vult tamen, vt ne mundus in amorem eorum rapiatur, ſibique zelotypiæ cauſas generet.

Num. 21.

4. Reg. 18.

Capvt XV.

Deus arcana sua homini patefacit, non sine magno Amoris testimonio.

Amor enim odit silentium. hinc ipse Christus: *Vos dixi Amicos, quia omnia quæcunq; audiui à patre meo, nota feci vobis.* Cum statuisset Dominus vltore igne perdere Sodomam, ne videretur Amico iniuriam facere, si non manifestaret ei cordis sui arcana, dixit: *Num celare potero Abraham Amico meo, quæ gesturus sum?* Egressus est igitur cum illo in viam Sodomæ, præmittensque Angelos, cum eo solo sine arbitris sermocinatus est. Amos, vt probaret mala omnia quæ patiebatur Israël, Dei flagella esse, dixit: *Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit? Quia non faciet Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas.* Adeoque religiosè Deus obseruat legem amicitiæ, vt nulla à Cælo plaga veniat, quam in terra non prius amici eius cognouerint. Vnde Psalmistes: *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.* Augustinus nullam silentij legem amicis impositam esse vult: quia nullum

Ioan. 15.

Gen. 18.

Amos 3.

Psal. 59.

nter Amicos secretū esse debet, sed quid-
uid inter illos fit, diciturúe, non potest ad
lios emanare. Ex Pythagoricis symbolis
num erat, vt in annulis imago circumfer-
etur. Quod declarans Cyrillus dicit, my-
teria grandia non multis esse manifestan-
la: neque enim lux pro noctuis, aut pro
æcis Sol creatus est. Non sunt, ipso Do- *Matth. 7.*
nino teste, margaritæ pretiosæ pro suibus,
ut pro mendacibus veritas, aut pax pro
urbulentis, aut pro imperitis libri, aut de-
ique spiritualia & diuina pro carnalibus
: terrenis. Christus clamauit, *Eli, Eli*, id *Matth. 27.*
t, Deus meus, Deus meus: illi dicebant,
iam inclamat Christus sitire se ait, putà
nimas nostras: illi offerunt acetum felle
istum. adeò vt secreta eius soli Amici in-
lligant. Et vbi dicitur in Psalmo: *Firma-* *Psal. 24.*
*entum est Dominus timentibus eum, & te-
mentum ipsius, vt manifestetur illis.* appo-
t Hieronymus, secretum ipsius: de quo
quebatur etiam Isaias: *Secretum meum
ihi.* Vnde argumentum deducit Apo-
olus efficax, quod Deus Iudaicum ma-
ri amore quam Gentilem populum pro-
cutus fuerit, quia plura illi secreta con-
edidit. Quem fauorem pro singulari
noscens Dauid, *Non fecit*, inquit, *taliter* *Psal. 147.*
*mni nationi, & iudicia sua non manifesta-
t eis.* Cum in vertice montis Sinai Deus

Moysi loqueretur, sacramenta illi maxima reuelauit, quod signum erat arctissimæ amicitiæ, populumque contestatus est, vt ne quis iugum ascenderet, arbiterque esset eorum, quæ Dominus seruo suo aperiret. Idem mandat in Leuitico summo Sacerdoti in sancta Sanctorum ingressuro. Vnde consequens est, sacræ Scripturæ intelligentiam, quæ est liber ille, quem vidit Ioannes septem signatum sigillis, Deum non dare nisi illis, quibus velut Amicis familiariter vtitur. quod Dauid expressit: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Bonus, id est, Catholicus & verus intellectus dabitur aut per diuinam inspirationem, aut Ecclesiæ doctrinam, obseruantibus legem eius, quos alibi Amicos suos nuncupat. Ad Iosue Dominus; *Confortare*, inquit, *& esto robustus valde, vt custodias & facias omnem legem. Ne declines ab ea ad dexteram, vel ad sinistram.* Præmium tibi hoc erit. *Tunc diriges viam tuam, & intelliges eam.* Ad Salomonem quoque: *Si inclinaueris cor tuum prudentiæ, si quæsieris eam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam:* Hæc erit merces tua, *tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies.* & alibi. *apparet* Dominus *eis, qui fidem habent in illum.* item apud Ioannem Christus. *Qui habet mandata mea, & seruat*

Psal. 110.

Iosue 1.

Prou. 2.

Sap. 1.

ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à patre meo. & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Et per Esaiam dicit Dominus, quod Prophetarum visiones erunt sicut verba libri signati Iudæis, id est, omnibus præcepta Dei aspernantibus; nihil enim est quod hominem ita occæcat, vt legis diuinæ contemptus. Apud Matthæum hoc secretum vocat thesaurum absconditum: & sicut non multi thesaurum reperiunt, & potius casu quam diligenti quæstione; ita rari sunt, quibus Deus arcana sua reuelat, & potius per gratiam, quam per meritum. Huc tendebat parabolicus sermocinandi modus, quo frequens in concionibus Dominus vtebatur. & quando de semine parabolam finierat; accedunt Discipuli & dicunt: Domine, mens tua est vt te loquentem populus hic intelligat, aut non intelligat: si nolis intelligi, parce verbis: si nolis non intelligi; *quare in parabolis loqueris eis?* Quibus Dominus. *Vobis* Dei Amicis, quibus nihil celatum esse potest, *datum est nosse mysterium regni Dei: ceteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* Non quærebant Discipuli, cur generaliter in parabolis loqueretur, sed cur illo loco coram illis. & respondit: nolo consuetu-

Esa. 29. *Matth. 13.* *Matth. 13. Luc. 8.*

dinem cum illis, vt vobiſcum, familiarem inire. Si quis roget, vt quid in monte,
Matth. 5. doctrinam Dominus vniuerſalem tradiderit, claram, apertam, nullo parabolarum velamine inumbratam? Reſpondebo præcepta ibi Euangelica dictaſſe Dominum quæ omnes ſcire neceſſe eſt: hic verò de Cæli arcanis egiſſe, quæ non eſt fas ſcire omnes, niſi Amicos. Mortuus
4. Reg. 4. erat mulieri hoſpiti Helizæi filius, & obſtupuit Propheta nõ tam ob mortem pueri, quam ob ſilentium Dei, qui cum eius Amicum ſe putaret, hoc eum celare potuerat. Itaque admirabundus dixit: *Dominus celauit hoc à me, & non indicauit mihi.* Querebatur Dalila ſe frigidè ſatis à Sampſone diligi, quod roboris ſui vires abſconditas non aperiret. Sedulò igitur indagans, cum tribus vicibus illuſa eſſet, dixit illi: *Quomodo dicis quod ames me, cum*
Iud. 16. *animus tuus non ſit mecum, & noluiſti dicere, in quo ſit maxima fortitudo tua?* Satis ergo ſuperque probatum eſt, quod Deus arcana ſua patefaciendo, ſimul Amorem ſuum patefaciat maximè. atque ita promittit per Oſeam populo ſuo quaſi
Oſe. 2. ſingulari de gratiâ: *Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* q. d. reuelabo ei mi-

randa

miranda & magna. iuxta quod Esaias quoque: *Loquimini ad cor*, inquit, *Hierusalem.* Esa. 40.

CAPVT XVI.

Sine hominis consortio solitarium se iudicat Deus, non sine magno Amoris indicio.

QVOD demōstrauit Christus magno cum animi gaudio. Dixerat in medio turbarum: *Venit hora vt clarificetur filius hominis.* Ioan. 12. Ex his verbis & simul vniuersi orbis applausu, suspicabantur Discipuli eum ad Regium thronum assumptum iri; eiusque grata memoria magis blandiebatur illis, quam mors contristaret. Christus igitur inane gaudium eorum frænare volens, dixit: *Amen, amen dico vobis; Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet.* q. d. nisi ego mortem oppetiuero, & sepultus iterum in vitam rediero, solitarium erit regnum meum. Hanc veritatem præter Deum nemo alius proloqui auderet: immò hæreo, an citra reuelationem Diuinam in-

tellectus Angelicus, nedum humanus concipere potis fuisset. Quomodo enim, ô Deus? apud Vatem tuum de immensitate, loquens, dicis; *Cælum & ter-*
Hier. 23. *ram ego impleo*; & Dauid quærens, vbi
Psal. 138. lateret à vultu tuo dicit: *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tuâ fugiam*? Tu quo-
Esa. 66. que: *Cælum sedes meá; terra autem scabellúm pedum meorum*; & in Psalmo, non vis accipere, de domo nostra, vitulos:
Psal. 49. *Quoniam meæ*, inquis, *sunt omnes feræ siluarum, iumenta in montibus & boues Pulchritudo agri mecum est.* Et fides docet hæc omnia in te esse per summam excellentiam, cum natura solum tui velut appendix quædam sit. Et quemadmodum discipulus non potest ad magistri sui scientiam attingere: ita neque hæc ad sui principium. In conspectu tuo sunt quæ in Cælo & quæ in terra sunt omnia, & dicis te fore solitarium? Raptus est spiritu Daniel in Cælum, & raptus est iterum extra se, cum Dei magnificentiam stupentibus oculis miraretur. Volebat in numerum cogere famulitium eius, sed nulla A-
Dan. 7. rithmetica sufficiens erat, vnde: *Millia*, inquit, *millium ministrabant ei, & decies centena millia aßistebant ei.* Et quo-

modo

modo tu te, solum fore asseris ? Immo tu Pastor ille centum pecorum es, qui Luc. 11. vnum perdidisti, deseruisti nonaginta nouem, & descendisti, vt vnum illud perquireres. Omniumque sanctorum Patrum vna opinio est, perditum hoc pecus genus esse humanum: ergo quia ex grege vnum deficit pecus, solus eris? Sanctissimæ igitur Trinitatis communio non est tibi pro societate? in quibus personis licet vnus Deus sit, non tamen est solitarius: *Tres enim sunt qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus.* & 1.10.5. tu ipse dixti: *non sum solus, quia pater mecum est.* Et dicis te sine homine solum fore? 10.16.

Verum Notandum consortium non excludere solitudinem, vnde quidam bene dixit, maximam videri sibi solitudinem, sodalitium ingratum. & in hunc sensum dixit alius, se nunquam magis esse solum, quam quando minimè solus erat. Quæ licet non inueniant locum in Cælo; non potest enim cogitari consortium acceptius quam Dei & Angelorum; tamen quando amans diu caret re multum adamata, consortium habeat quantumuis gratum, solitudinem imaginatur quandam. hinc Plato, cum inter Audi-

 tores

tores Aristotelem desideraret, *defuit intellectus*, inquit. Tobiæ junioris mater, peregrinante filio, tametsi conjugem propinquosque alios haberet, domesticos plane, quotidianosque amicos, relictam se existimabat, vt diceret: *Fili mi, vt quid te misimus peregrinari, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis? Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.* Sponsa sola est absente sponso, neque alia vlla res illi hanc solitudinem potest tollere: Sponsus enim & Sponsa vnus erant. *Dilectus meus mihi, & ego illi. Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Sine illo sola sum, solus ille sine me. Et alibi: frequentes mihi adsunt Prophetæ & Iusti, aures meas opplent longis multisque vaticinijs, at sine te sola sum: *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua* sola *dulcis & facies tua decora.* In Prouerbijs Deus: *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum* scilicet per gratiam & gloriam: cum omnibus enim est per generalem existendi modum. Et licet perfectionis in se habeat complementum, cum sit infinitè beatus, tamen adeò vehementius Amor in homines est, vt horum absentia illi solitudinem pariat. Cum Iacob Simeonē filium pro vadimonio relictum haberet in Ægypto, & Benjaminum dimitteret, exclamauit bonus

Tob. 10.

Cant. 6.
Cant. 7.

Cant. 2.

Prou. 8.

sene-

ſenecio: *Absque liberis me eſſe feciſtis.* O ſancte Patriarcha liberisné orbus es, quando alij decem tibi quotidie ob oculos verſantur? Sed illi, quos deſidero, deliciæ meæ erant, lux oculorum meorum, ſpiritus animæ meæ, atque ideo ſine illis viduus ſolusque ſum. Ita Deus habet filiorum grandem copiam in cælo & in terra, puſillos, magnos, in ſtatu feliciſſimo, primogenitos, locupletes; illos inopes, quos libens attolleret, & cæleſtibus illis adæquaret, vt dicat: Pro his mori ſtatui, & inter Genios beatitudinis locum dare, ſi enim absque illis in cælo eſſem, in ſolitudine eſſem. hoc Dauid indicat: *De cælo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum, vt eruat à morte animas eorum.* & alibi: *Minuiſti eum* (hominem) *paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum.* Deturbaſti Domine è regno tuo ſuperbos Spiritus in perpetuum damnationis ignē: reliquum eſt, vt filijs humilibus locum commodes: cum eis enim tuæ deliciæ ſunt, quibus tantum Amoris defers, vt ſolum te eſſe autumes ſine illis. In veteri lege cœpit Deus palam facere experimentum deſiderij, quo hominis ſocietatem ambiebat: quare non contentus eos ſicut res alias omnes generali fouere adminiculo, domum ſibi elegit in medio po-

Gen. 42.

Pſal. 32.

Pſal. 8.

puli,

puli, vt velut Ductor eorum & Rex præsens esset: ministris quoque suis stationem propinquam esse voluit. præter hæc, quia instabilis erat vulgus, locumque mutabat quotidie, portatilem voluit esse domum suam. Accidit, vt idololatriæ abominando scelere sese contaminaret populus: Moysi ergo præceptum dedit, vt regale hoc suum tabernaculum tribus cubitorum millibus transferretur; indignos eos reputans cum quibus vltra habitaret, vt ad preces feruentissimas Prophetæ sui vix inclinaretur & diceret: vt voles, facito. hæc signa erant omnia deliciarum, quas hauriebat ex humano consortio. Denique tantum potuit hic Amor, vt suaderet illi atque persuaderet inter homines hominis vitam viuere. Vt arctius ergo homini coniungeretur, hominem induit, cuius figura fuerat Adami matrimonium, vt adnotat D. Paullus. Et quia naturalis eius vita in cælo erat, & vnde venerat, eò tandem redire oporteret, vt hominem secum adduceret, pro eo mori voluit; deinde ne quid sui viuentibus in terra deesset, solosque relinqueret, mansit sub Eucharisticis speciebus. In vna eademque re probauit Deus desiderium quo socius homini esse gaudet, & dolorem quo relinqui se injustè, mœret. Per-

Gen. 1.

currite

currite Prophetas omnes, querelarum plena volumina legetis. *Obstupescite cæli,* ait Dominus apud Ieremiam. vt quid Domine? *me dereliquerunt* homines *fontem aquæ viuæ.* apud Esaiam: *Quis est hic liber repudij, quo dimisi eam?* apud Ioannem aperit Christus vltimæ cœnæ inexplicabile mysterium, & *multi discipulorum eius abierant retro,* tantumq; indignationis cōcepit ex eorum abitu, vt conuersus ad Apostolos, qui perseuerabant, cum animi quodam (si licet dicere) turbamine diceret: *Nunquid & vos vultis abire?* Dolentis verba sunt, propter desertores. In generali eluuie, quando cogi se vidit ad perdendum hominem, dixit cum incomprehensibili cordolio: *Delebo hominē quem creaui.* Sed maioris ponderis verba sunt, quæ sub initium adduximus. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet* &c. Quibus verbis clarum est vitam atque mortem respexisse, non solum generis humani redemptionem, sed etiam consortium, vt ne solus esset. Vnde in angustijs crucisque vltimis supplicijs: *Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me?* Subitariam opem attulit Pater, Latronemque illi donauit; qui quam Christo fuerit acceptus, patet ex munificentia, cuius exemplum nusquam

Hierem. 2. *Esa. 50.* *Ioan. 6.* *Gen. 6.* *Ioan. 12.* *Matth. 27*

legi-

legitur. Sciebat decretum esse in senatu concilij diuini, & vaticinijs plurimis expressum esse, vt moriendo plures gigneret filios, quam sidera habeat cælum. Dixerat Esaias: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* & in eodem capite: *Quia abscissus est de terra viuentium: Generationem eius quis enarrabit?* Desiderabat videre fructum passionis suæ, & cum non succederet extemplo, ad Patrem conuertit hanc plenam pietatis querelam. Deus meus, fortasse in ventum abijt mea doctrina? labores, angustiæ, tormenta mea frustranea sunt? an vires meas effudi sine fructu inutiles? Adeo, vt cælum maximis imbribus plueret plenarium jubilæum, & saxea antè pectora emollita sonum darent pœnitenttæ, ipsique tortores Seruatorem suum agnoscerent. Tantum fuit Christi desiderium erga homines. Vnde opinari palam audeo, sanctos illos, qui in vitam redierunt, non redijsse in mortem iterum, vt Lazarus olim, sed Christo comites datos in cælum, vt ne hanc viam solus faceret. Et si fortasse non omnes adduxerit, socios tamen viæ majorem partem fuisse libenter credo. ita quoque sentiunt Thom. Caiet. Orig. Epiph. Ansel. & Hieronymus. Ex hoc capite inuectiua fieri potest in hominis ingratitudi-

Isa.53.

Thom. & Caiet. 3. part. q. 55. a. 3. Orig. ad Rom. 4.

tudinem: quem cum Deus pro delicijs habeat, vt sine illo solum se dicat, cui cælum terra, & plenitudo eorum seruiunt: homo verò tunc se solum arbitretur, quando in terra neminem præter Deum sibi associauerit.

Epiph. lib. 3. c. 7. Ambr. ... in Super Matth. Hier. in ...

CAPVT XVII.

Charitas virtutum princeps.

DIcit S. Augustinus sæculorum omnium compaginem velut corpus vnum compositum esse à Deo, per modum epigrammatis poëtici, quod versibus constat oppositis, sibi tamen mutuo continuè respondentibus. exempli caussa versus hi Ouidiani,

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus,

verbis constant contrarijs, & eleganter pugnantibus: ita Deus hunc Mundum ex diuersis rerum multarum antithesibus composuit, sed tanta cum harmonia, vt minimum discordia sint, quæ maxime sibi aduersari videntur. Conceptus hic sublimis est, quem alibi totum aliquando deducemus; nunc sufficiet nobis cognoscere nihil esse in rerum natura, quod non habe-

habeat contrarium, vt neque muscæ desit hostis suus. Sapiens, cum singulis contrarijs sua contraria assignasset, & malum bono, vitæ mortem, justum peccatori opposuisset, subdit: *Et sic intuere in omnia opera Altissimi: Duo contra duo, & vnum contra vnum.* Sapientia Numinis hæc est: alioqui nō esset purus color, non lux clara, sed in pristinum rediret confusus mundus.

Eccl. 33.

Quemadmodū creatis cælo & terra, *tenebræ erant super faciem abyssi*: ita in rebus naturæ terminos excedentibus hanc designauit oppositionem, vt virtutem inimicam haberet vitium, illaque præmium mereretur, hoc odium. alioqui plena caliginis essent omnia, vbique impingeret, cespitaret vbique, vitium pro virtute coleret, virtutem odisset pro vitio. Immo etiam quando hæc rerum discordia fuit, vidimus virtutis amicimine ornatum vitium, & tenebrarum angelum lucis candorem induisse: quod continuum esset, nisi suum vallum virtus haberet, ex quo vitium nunquam desinit oppugnare. Verum licet sit, singulis virtutibus singula vitia esse opposita, putà liberalitati auaritiam, fortitudinem pusillanimitati, munditiam sorditiei; Charitatem nihilominus ita fortem generosamque fecit Deus, vt parui animi esse credat cum

Gen. 1.

vno

no vitio in pugnam descendere, sed bellum omnibus datis literis indicit, inimicitiam, hostilemque animum denunciat, & in apertum campum prouocat. Et quemadmodũ Rex, cuius multæ regiones ab inimicis frequentibus oppugnantur, resistit hostili impetui, finesque suos tutatur, vbique dimissis militiæ ducibus probatis, qui regium labarum in omni eius ditione erigunt: Ita Charitas virtutum Regina, omnes animæ terminos defensat, & hostibus præpotentibus, vitijs ac peccatis fortissimè repugnat, singulis vitijs singulas opponens virtutes, velut subditas sibi Principes, sed quæ in prælijs omnibus vexillum præferunt charitatis. Vitium, maxime & diametro aduersarium charitati est odium Dei. vnde vitia omnia in medulla ossium, instar febris ethicæ, seruant odium Dei, quare inimica omnia & contraria habet charitas. Manifestum id esse potest, si examines peccatorem, quando delinquit, & sic interroges: Quid optas desideratissimè? Respondebit; opto, vt hæc mea noxa Deum lateat. hinc peccati statum scriptura noctem appellat, quia peccantis votum est, vt Diuini oculi etiam tenebras patiantur. Verum ô peccator memento desiderio tuo te à Deo sapientiam tollere. Si autem non ignorat, &

punire non poteſt, non potentem eum facis. Si vero cum poſſit non vult, iniuſtitiæ notam ei inuris. Si intra Cæli mœnia eum ſic claudis, vt diuinis intentus delicijs, noſtri obliuiſcatur, prouidentiæ oculos illi eripis. Ergo ſi fieri nullo pacto poteſt, vt Deus non ſciat, non poſſit, non caſtiget omnia, non ſit omnino Deus. O latro manifeſtarie, hoc expectabam. Ecce vt nullum peccatum lethiferum eſt, quod non magnam partem includat odium Dei.

Pſal. 50. Id volebat Dauid cum diceret: *Tibi ſoli peccaui*. Tibi in Vria, in Berſabëe tibi, tibi in ſcandalo, quo ad peccatum familiæ meæ populoque præiui. Quamuis enim contra hos omnes deliqueram, quod me ad dolorem maxime excitat hodie, eſt odium tui, quod in omnibus inuoluitur. Quia ergo peccata omnia aliquid odij diuini includunt, aliquo etiam modo charitati aduerſantur.

1. Cor. 13. Apoſtolus ad Corinthios vitioſorum agmen producit, quibus omnibus vnam opponit charitatem: *Charitas* non tolerat impatientes, quia *patiens eſt*, non fert homines feros quia *benigna eſt*. eſt hoſtis inuidorum, quia *non æmulatur*: & male volentium, quia *non agit perperam*, & faſtuoſorum, quia *non inflatur*. candidatos honoris excludit, quia *non eſt ambitioſa*. odit malignos, quia *non cogitat malum*. glo-

riabundos in ſcelere perſequitur, quia *non gaudet ſuper iniquitate.* Adeò, vt ductrice charitate bellum denuncietur flagitijs omnibus, hinc eam Christus vocare voluit *maximum mandatum*; quia ſufficit. Auguſtinus in commentarijs ſupra epiſtolam ad Rom. dicit vniuerſam legem & ſcripturas pendere in Amore Dei & proximi. vt ſi non libeat tibi delaſſare manus & cerebrum, euoluendo volumina, quæſtionum nodos ſoluendo, myſteria ſcripturæ diſcutiendo, vnam tibi ſume charitatem, quæ omnium tibi erit ſupplementum. In lib. de Chriſtiana diſciplina; vt in extremo, inquit, diſtricti iudicij die nemo excuſare poſſet legum & ſcripturarum multitudinem, leges omnes Deus in compendium redegit; abſoluitque vna lege clara & breui. Non arithmetico numero inuoluit, qui tenebras quibuſdam non acutis ingenijs parere poſſet: non multis locis produxit, vt legendi imperitis ſatis quoque fieret. Quid poſſet dici clarius? Quid breuius? Diliges Deum & proximum. Cyprianus in Serm. de Oratione Dominica; Voluit, ait, Dominus præcepta ſalutis tradere doctis ſimul & indoctis, omni ſexui atque ætati; quare veteris legis mandata omnia paucis verbis incluſit, ne debilem hominum memoriam do-

Matth. 22

Rom. 13.

ctrina Cælestis obrueret. allegatque locum illum Esaiæ, quem adimpletum in Christo dixit Paullus: *Verbum abbreuiatum faciet Dominus*, asseritque tunc esse abbreuiatum, quando totam legem Amoris vno præcepto absoluit. Plus dicit Augustinus: seipsum, inquit Deus appellat charitatem, quia sicut Deus est omnia, ita omnia est charitas: omnibus opem, vitam, & ipsum esse dat. Ambrosius charitatem nominat matrem virtutum omnium, quia has generat, educitque. Bernardus vult esse matrem optimam, quia nunc grandiores exercet, nunc minoribus blanditur; nunc corripit, nunc corrigit delinquentes, denique amat omnes velut liberos mater. In sacris literis auri nomen illi imponitur, non tantum quia omnium metallorum præstantissimum est, sed quia sicut aurum omnia, ita omnia est charitas. Est aliquis qui vineam grandem possidet, est qui oliuetum; alius læta pascua habet, alius lata arui iugera, quantum vno die miluus oberret; sed qui aurum habet, habet omnia: ita videas plerosque homines singulari virtute insignes, sed qui charitatem, omnes simul virtutes habet. Hinc Ioannes Epscopo Laodiceæ suadet emere *aurum ignitum, probatum*: per

Rom. 9.

Apoc. 3.

quod charitas significatur, quæ pura esse debet instar auri, quod ignis examinauit. Tu clamas, miserum te & egenum omnium esse: hæc te locupletabit. Neque aurum dumtaxat est charitas, sed inaurat omnia quæ possidet anima. opera quæ ex natura sua abiecta sunt & minimæ æstimationis, à charitate nitorem pretiumque auri accipiunt. Et quemadmodum in æde Salomonis nihil erat non aureum vel auratum: ita in animæ templo nihil est, quod charitas non auro obuestiat. Quare Augustinus: Ama, & facies quod placitum erit animo tuo: si tacere voles, per amorem tace; si condonabis culpam alicui, per amorem; si punies, per amorem: quia omne quod per Amorem fiet, merebitur aliquid apud Deum: quare nulla res magis diuina, quam ea, quæ indifferentes facit diuinas. Quanto in pretio haberetur Alchimia, si in aurum conuerteret metalla alia omnia, ferrum, chalybem, plumbum, &c. Hoc præstat charitas, quæ actiones viles immo nullas facit meritorias vitæ æternæ. Ex præstantia huius sequitur paruum, quo alia æstimari debent, pretium. Quod dixit ad Corinthios Paullus: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, factus sum velut æs so-*

1. Paral. 2. & 3.

Lib. de laude Charitatis.

1. Cor. 13.

nans aut cymbalum tinniens. Tria adducit quæ pretiosa sunt in oculis Dei, Primum est Euãgelij prædicatio, quæ Apostolis peperit nomen ita gloriosum. Alterum liberalitas, qua Diuorum plurimi sua reliquerunt pauperibus, ipsi in eremum, aut vastam aliquam solitudinem ad pœnitentiæ incredibilia opera secesserunt. Tertium est Martyrium, in quo feris, flammisque corporis exuuias obiecerunt, ipsæ liberæ ab onere carnali animæ in Cælum, quo voluerunt, volauerunt. Hæc inquit D. Paullus multo maxima sint, sed estné horum aliquid quod cum Charitate possit æquiparari? cui præmium in terra nullum satis dignum inuenitur: quare sine illa nihil est quod vel titiuillitio æstimari debeat. Ego, qui Gentibus Apostolus datus sum, continuus *in labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & siti, in ieiunijs multis; in frigore & nuditate, in carceribus, in plagis supra modum in mortibus frequenter.* Ego inquam, si lingua loquar cælesti, humana enim etiam disertissima dici absurda posset, *& si habuero prophetiam* plusquam Dauidicam, *& omnem scientiam* etiam Cherubinorum, *& si habuero omnem fidem* omnium fidelium, *ita vt montes transferam. & si distri-*

2. Cor. 11.

1. Cor. 13.

buero

buero in cibos pauperum facultates, plures quam Crassus atque Cræsus vnquam possederunt. *& si tradidero corpus meum ita vt ardeam*, maioraque tormenta sustineam, quam Laurentius aut Bartholomæus, omnesque Cæli indigetes, ero instar æris campani, quod alios ad Ecclesiam euocat, ipsum autem nunquam ingreditur; similiter præmittam in Cælum animarum myriades, mea autem excludetur. Itaque quantumcumque humile sit, opus aureum erit, si charitatis ignem transierit: si hunc non viderit, virtutem omnem suam virtus perdiderit. De oratione, quæ *nubes penetrat* & velut harmonicum melos aures Dei mulcet, *neque discedit donec Altissimus aspiciat*, idem dicit Esaias. *Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis; & cum multiplicaueritis orationem*, obstipabo aures meas, *non exaudiam*. Idem de festis & sacrificijs. *Kalendas vestras & solennitates vestras odiuit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitularum, & agnorum, & hircorum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris?* Thymiamatis odor ad nares meas ascendit, & vos creditis robur mihi addi? *Incensum vestrum abominatio est mihi*. Et si vultis fa-

Eccl. 35.

Esa. 1.

ſtidij mei cauſam intelligere, hæc eſt. *Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt,* immundæ cogitationes, viſcera miſereri neſcia. *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum, quieſcite agere peruerſe, diſcite benefacere. Subuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam.* Quia ergo in ſolemnitatibus & ſacrificijs veſtris deficit charitatis aurum, inutilia ſunt, ſunt futilia veſtra omnia. Idem de ieiunijs & pœnitentia, quæ tantum miraculorum in terris operata ſunt. Queritur hypocrita populus, & quærit cur luſcioſos aut cæcutientes oculos habeat Deus.

Iſa. 58. *Quare*, inquiunt, *ieiunauimus & non aſpexiſti? humiliauimus animas noſtras & neſciſti?* Reſpondet Dominus: Quomodo vultis vt ego aſpiciam veſtra ieiunia? *Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra,* multo mane ſurgitis, *& omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites & ad contentiones ieiunanatis,* quaſi ad hæc magis apti. Excoriatis fratres veſtros *& percutitis pugno impie,* verberibusque extorquetis debita, non aliter quam ſeruus ille qui conſeruum debitorem pro talento vno pæne ſtrangulabat. *Nunquid tale eſt jejunium quod elegi; per diem hominem affligere animam ſuam?* Quin potius ſurge anteluciò, *diſſolue cogi-*

tatio-

tationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes. Dimitte eos qui confracti ſunt, liberos, & omne onus dirumpe. Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum. Lyncei mihi erunt oculi. *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet, clamabis & dicet, ecce adſum.* Clarum eſt ergo ſine charitate nihil pretioſum eſſe in oculis Dei. Dicit Bernardus animam valere tantum, quantum charitatis habet. paruì ſit, ſi parua eſt charitas; ſi magna, quantiuis pretij eſt; ſi nulla vero eſt charitas, nihili quoque anima eſt. Dicit quodam in loco Apoſtolus, naſci à charitate omne bonum, ſcilicet quatenus bonum. nam quemadmodum à radice humor atque ipſa vita deriuatur in ramos: ita in virtutes omniaque opera à charitate influit bonitas. Auguſtinus dicit: Sicut cupiditas malorum omnium radix, ita bonorum eſt charitas; denique ipſa eſt gratiarum gratia, ſine hac enim illæ Deo ingratæ ſunt. theſaurorum theſaurus eſt, ſine hoc enim flocci fiunt theſauri omnes, & alienos theſauros noſtros facit. eſt virtutum anima, vita, atque perfectio. Sicut enim exanime corpus quidem corpus eſt, ſed ſine vita, decore aut ſpecie: ita charitatis expertes virtutes tametſi habitus boni ſint, non

Ad Galat.

In ſerm. de Charit.

viuunt, non merentur, ingrati sunt. Quodam in sermone Rabanus dat charitati nomen ignis, lucis, mellis, vini, Solis: res omnes sicut ignis purificat, illustrat sicut lux, dulcorat sicut mel, sicut vinum homines dementat, sicut Sol rerum omnium fertilem copiam producit. Cui conforme est quod scribit Augustinus: in hac vita, quod aurum est, non potest esse argentum, neque panis vinum, neque lux vestimentum: Charitas vero omnia est. Ista Deum tibi manducandum dabit, & non esuries: bibes, & non sities; operieris & hiemem non experieris; illuminaberis & nulla tibi nox erit; solatium senties, & non mœrebis: quia qui charitatem, Deum, qui Deum, omnia habet. Gregorius putat Cacoangelum parum timere continentiam nostram, cum enim carnis stimulum ille non patiatur, non magni æstimat bonum, quo spiritui caro subjugatur. abstinentiam non plus veretur, non enim ille aut fame aut siti premitur, quare non pluris quoque æstimat jejunij bonum. liberalitatem quoque atque eleemosynas non veretur, neque auxilia curat misericordię, qui nuditatem pati non potest. Vnum est, quod formidat, quod persequitur, cui maximè inuidet, puta Amor seu Charitas, quam boni mu-

In t[?]ul. 16.

tuis

tuis pectoribus fideliter seruant: quia videt homines frui hoc bono in terra, quod seruare ille noluit in Cælo. Omnes igitur machinas in vnam charitatem destinat, ceteras virtutes contemnit aut negligit. Neque in scriptura sancta tot encomijs illustris alia virtus est, non tantum quia omnibus virtutibus dominatur atque imperat (certum enim est eam quæ Theologicarum princeps est, vt autor est Paullus, etiam alijs omnibus principari) 1. Cor. 13.
sed quia omnium finis est, virtutum dico & mandatorum vtriusque legis. Huc enim spectant omnia. & quemadmodum cibus ad sustentationem corporis, ad integumentum vestis, ad sanitatem medicina; ita ad Amorem Dei & proximi ordinem dicit lex vniuersa. Neque tantum scriptura & leges, sed tam cælestes quam sublunares creaturæ hunc finem spectant. Ad eundem vtriusque mundi hæc artificiosa machina fabrefacta est, ad eundem creatus paruus mundus homo, ad eundem finem cælum, mare, terra, & elementa omnia ei famulantur: quæ in vanum erunt omnia, quantum ex eius parte est, si homo nō se exercuerit in gymnasio huius Amoris.

Ex quibus omnibus sequitur optimè, illum qui in charitate ambulat, non deuia-

uiaturum à ſemitâ rectæ fidei: clauſum enim ſeruat in pectore legum compendium charitatem, quæ, vt Auguſtinus ait, libris omnibus excellentior eſt. Deinde inter Amicitiæ leges eſt, vt ne Amicus neget Amico conſilium, adeoque fauorem: ita Deus eum qui charitatis lege vallatus eſt, proteget, & ſeruabit ab omni lapſu. Quod indicabat Ioannes: *Vos* inquit *unctionem habetis à Spiritu ſancto, & noſtis omnia* quæ ad ſalutem vobis neceſſaria ſunt. & ſequitur: *unctio eius docet vos*, ſcilicet charitatem. & alibi. *Qui diligit me, manifeſtabo ei meipſum.* alijs verbis dicitur *cap. 15.* In libro Sapientiæ: *Diligite & habebitis diſciplinam:* vbi ſeptuaginta legunt: *Diligite & erudimini.* Si charitatem habueritis, atttingetis eruditionis & ſcientiæ gradum. idem repetitur in Eccleſiaſtico *cap. 2. & 43.* & in Eccleſiaſte *cap. 1. & 8.* & in Deuteronomio: *Si cuſtodieris præcepta Dei tui, aperiet tibi theſaurum optimum Cælum.* i. cæleſtium rerum cognitionem. Dicit Ioannes Chryſ. Qui rectam viam ingreditur non eget alterius ductoris, quia ipſa via eum ducet: ita qui charitatem habet, ducem itineris habet, neque alio opus eſt. Solebat dicere Pythagoras vt cognoſcamus huius vitæ bona, odiſſe debemus, amare autem oportet, ſi velimus

1. Ioan. 2.

Ioan. 14.

Sap. 6.

Hom. de Char.

limus Deum cognoſcere. Huius ſententiæ partem vltimam probauit Marſilius Ficinus in epiſtola quadam Platonis, per differentiam intellectus ac voluntatis. Intellectus rem cognoſcibilem ad ſe attrahit, idæamque eius in ſe perfectam format: voluntas vero extra ſe egreditur. Quare omne obiectum ab intellectu cognoſcibile, finitum eſſe debet, cum infinitum à finito comprehendi non poſſit. Quod igitur pactum inueniemus, vt intellectus Deum cognoſcat infinitum? quem cum capere non poſſit intra ſe, à tergo ponè eum ſequatur, & à ſe egrediatur, quod per Amorem rectè fiet, atque ita ad cognoſcendum Deum, nullum medium præſtantius eſt Amore; quod etiam Dauid ſignificare voluit: *Accedite ad Deum & illuminamini.* *Pſal.33.*

Approximate illi per Amorem, & illuſtrabit intellectum veſtrum.

Caput XVIII.

Amor Dei omnibus rebus anteferendus.

Charitatis species prima principalisque est Dei Amor, cui ex jure, debitoque voluntas nostra dedicanda est. Cum enim Amor pretiosissima margarita sit, non debet homo nisi rei præstantissimæ, putà Deo eum consecrare. Post Deum autem plurimum valet Amor: quare Amoris cum Deo matrimonium seu conjugium æquissimum est, ex quo progignuntur mille benedictionum filij. Hinc Corinthios in Christo obsecrat Apostolus, vt Amorem, quo Deo suas animas conjugauerant, non polluerent. Polluere autem vocat, inferioribus rebus impendere. Quia sicut, quæ Heroem aliquem amasium suum aspernatur virgo, & mancipio se dedit, infamis est: ita Anima, quæ creaturam præponit Amanti Creatori. Non diu post mundum conditum, *cum cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent, videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant.* Amores non sani, insana conjugia, quia imparia. Sed multo maior ea

Gen.6.

insa-

insania, quando anima Dei Sponsa auertit oculos suos ad creaturas, formosasque eas reputat, sibique copulat, & Conditorem suum contemptui habet. Salomon dicit Mundi delicias, voluptates, diuitiasque, & honores, creata & *in odium facta esse* imperitorum, *& in tentationem animæ hominum & in muscipulam pedibus insipientium.* Casei aliquid vel laridi penditur in decipulâ, & gliribus fit laqueus: imperitis obijcitur mundi huius splendor, & capiuntur. vtile enim, honestum, atque delectabile, quod fixâ mente admirantur, illis pro cibo est, & illaqueantur. Hæc captura à Deo non est: non enim prudentes hæc capiunt. Sed in hæc inferiora intuentur velut in specula, in quibus emicant signa manifesta diuinæ bonitatis. Ita propolæ vendunt artis chimicæ experimenta: Serum non verum filum proponunt institores. Qui merces has non ignorant non desiderant; æstimant enim non quales apparent, sed quales sunt: Non aliter imperitus, qui in scriptura sacra non est alius à peccatore, bona æstimat, quæ nullatenus bona sunt, non ad naturam sed exteriorem apparentiam animum adijciens. Contingit his, quod vertago cani, qui fugientis ceruæ perdit vestigia, vt pernicem magis vicinam insequatur, potiori mi- Sap. 14.

ri mi-

ri minus bonum præponens: ita Creatoris semitam plerique omittunt atq; amittunt, incurruntque in huius vitæ lutum, vt creaturis potiantur. Quare Dauid clamabat: *Eripe me de luto, vt non infigar*, & jacturam patiar voluntatis. Deus itaque videns tam multiplices laqueos atque transennas, in quas quotidie incidebat cor humanum, & mille occasiones, quæ sunt visci instar, quo volucres intricantur, aut Syrenææ vocis, quæ illicit homines hoc magnum mundi mare nauigantes, & magici carminis quod mortales in delirium agit, atque dementat; humano cordi voluit inscribere debitum, quo deuinciretur ad Deum amandum: & qui non collutulat, oppletque hoc Dei scriptum puluere sordido peccatorum, fieri non potest, vt non legat omni hora & die. Dicit Bernardus, inexcusabilem esse hominem, qui Deum ex toto corde atque anima non diligit, quia ex visceribus vltimis clamat naturalis justitia amandum esse naturæ conditorem. Neque solum in corde humano hoc insculpsit debitum, verum sæpe sæpius repetiuit datis legibus, voluitque vt memoriæ infixum quaqua graderentur, portarent, scriberent in locis omnibus, vt quocumque flecterent oculos, in hoc præceptum de-

Psal. 68.

Scribam legem meam. *Prou. 3. & 7.*

figeren-

figerentur. In Deuteronomio verba eius ad populum hæc sunt. *Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus vnus est. Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Neque solum volo vt diligas: sed *erunt verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo* impressa. nolo vt solo ore Deum glorifices: multi enim labijs me honorant, cor autem eorum à me abest multis passuum millibus. Quia tamen ex abundantia cordis os loquitur, *Narrabis ea filijs tuis* (Hebræus textus habet, cantabis) *& meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atq; consurgens* serua ea in ore: *& ligabis ea quasi signa in manu tua, eruntq; & mouebuntur inter oculos tuos: scribesq; ea in limine & ostijs domus tuæ;* vt ingrediens, egrediens ea legas: denique totæ ædes tuæ nihil habeant nisi vbiq; hæc verba inscripta: *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo.* Hic locus est inuehendi in sordidas abominabilesq; manus illas, quæ principum palatia, diuitumque atria perscribunt; Hæretici, Pagani, Hebræi non patiuntur ea, quæ nostris oculis obuersantur. Non est Christiana domus, in qua Dei aut legum eius memoria literata sit: verum tales rythmi, sententiæq; in parietibus vnique inscribuntur, vt honestis viris intrare volentibus oculi claudendi sint. O tur- *Deut. 6.*

pes, ô ſpurcas inſcriptiones! & verè inſcriptiones, loquuntur enim, quinam in illis ædibus inhabitent. In aulis diſtribuuntur ſic habitacula, vt in ſingulis ianuis inſcribantur nomina eorum, quibus cubicula deſtinata ſint: ita in animarum veſtrarum oſtijs clamant ſcripturæ, quales ſitis. Dicetis, famulorum pigmenta hæc eſſe: Sed cur hæc oculi veſtri tolerant, cur non eradi jubetis? verecundamini fortaſſe? O rem pudendam! quando impurus Amor ita liberos ſolutoſque habet oculos, Amor vero ſacer tot faſcijs veliſque obnubitur. Vt impudicos verſus deleatis, vt pauperibus ſuccurratis periclitantibus, vt corporis diſciplinam ſuſtineatis, neſcio quo in angulo deliteſcitis: in rebus porro impuris atque omnino inhoneſtis non erubeſcitis comparere. Hæ erant abominationes atq; idola depicta in pariete templi ſui, quæ Dominus Prophetæ ſuo Ezechieli oſtendit; in quorum vicem iuſſit ſeruum ſuum ſcribere in ſingulis muris, ad omnes partes: Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo. Neque hoc Deo ſatis eſt: ſed vult, vt tu ipſe hæc legas ad vnguem memoriter, vertaſq in digito velut annulum aliquem, vt quando cupido te in malum ſtimulauerit, manus vinctas habeas lege eius, & reſpondea carni tuæ, quod Ioſeph heræ ſuæ: *Quomod*

Ezech. 8.

possum hoc malum facere, tam multis obstri-ctus beneficijs, *& peccare in Dominum me-um?* Vult ergo Deus, vt legem hanc præferamus in corde ad credendum, in lingua ad loquendum, in manu ad operandum, in oculis ad videndum, in columnis ac portis, vt quocumque nos flectimus, incidamus in memoriam Amoris, quem Deo debemus. *Gen. 39.*

Rogabit aliquis, vt quid Deus à nobis postulet Amorem, & præter eum nihil? Respondeo primò: quia eorum, quæ pro te creauit liberalis ille Opifex, nihil est, quod eadem moneta aut pari pretio soluere possis, nisi Amorem reponas. Creat, redimit, conseruat, dat gratiam, promittit gloriam: ıis par nihil reddere possumus. Postulat ırgo à nobis quod possumus, vt ne videanur omnino inopes atq; infœcundi: quia ametsi omnis alîus rei inopes simus, si rati esse volumus, Amor nos satis loculetes efficit.

Secundò, quia nihil Amore potentius, ıeque in Cælo, neque sub Cælo: vt suprà *ap. 3.* abunde probatum est. Potentẽ enim ocamus eum, qui magnos validosque superat: Amor autem non solum quidquid n terra magnum est, sed Deum ipsum subtrauit, qui mundũ perdit pluuiarũ guttis, & cinyphibus terret Reges potentes. Cum

hoc, inquam, egreditur Amor in duellum, & superat, ligat ad columnam, affigit Cruci, supplicioque extremo afficit. soli Amori debebatur hæc adorea, ceteris omnibus animus deficiebat, ac robur. Hinc Deus eum velut rem magnæ authoritatis ac potentiæ desiderat.

Tertiò, quia qui amat, amari vicissim optat: solo enim Amore Amor soluitur. & quia Deus tenerrimè feruentissimeque amat, petit à nobis debitum. Deinde, quia res omnes illuc redeunt, vnde fluxerunt, ad mare aqua, lapis ad centrum, ignis ad sphæram suam; ita Deus vult, vt cor nostrũ ad eum redeat: gutta enim est magnæ illius abyssi, quæ influit in omnia, scintilla eius ignis, qui inflammat omnia, scrupulus seu lapillus montis immensi omnibus imminentis.

Quartò, quia in nobis nihil est, quod ita verè proprieque nostrum sit, sicut Amor: in omnibus enim alijs homo cogi potest, non potest verò in Amore. Neq; ipse Deus vim Amori inferet vnquã: quãuis enim *cor Regis in manu Domini, & quocumq; voluerit inclinabit illud,* cor tamẽ humanũ vult, potestque hoc omne, atque ita nullam vim patitur. vnde consequitur eum qui Amorem dat, dare optimum maximumq; quod potest. Nihil enim dare potest, quod tam

Prou. 22.

vere

vere proprieque suum est, de quo quia supra fusè egimus, nihil hic addemus.

Quintò, quia non poterat aliter Deus ostendere desiderium, quo ferebatur in bonum nostrum, quam postulando illud, quod facile, & nostra, vt sic loquar, è cella promere possumus. Salomon stimulis humanæ miseriæ agitatus dicit posuisse Deum *iugum graue super filios Adam*, super filios verò Israël iugum præterea ferreum, dominium Regum tyrannorum: sed Mundi, carnis, Dæmonis triplex jugum multo crudelius & magis miserandũ est; quorum vnumquodque vitam facit plenam molestiarum ac sollicitudinis, vnita vero intolerabilem. Naturæ onus licet minus graue sit, semper tamen anxium reddit hominem. Si ad laborem applicaui animum, requiem desidero. Quiescentem humores opprimunt melancholici. Ieiunanti obrepit fames, & molestiam exhibet cephalalgia. Si famem pello, oppleo stomachum, atque oppilo. In veste calor, in nuditate frigus me vexat. Si taciturnus modestiæ specimen præbeo, contemnor; si in verba multa ac magna erumpo, habeor odio; nõ est modus, nõ est finis amaritudinum, quæ sub hoc jugo portari debent. Iam verò, quid non mali secum alia ferunt? Solum Domini jugum suaue est, non tantum in Eccl. 40.

 se,

ſe, verum etiam in ijs, quæ comitantur. Licet enim inſipidum foret atque amarum amare, quis eſt qui non deberet cor ſuum etiam inuitum cogere ad amandum eum, cui tot neceſſitudinis vinculis obligatus eſt? Seruo alicui prudenti & grato erga Dominum ſuum tollit voluntatem hic reſpectus: Ego de pane eius viuo, Dominus meus eſt, cui honorem cultumq; omnem debeo, non æquum eſt vt patiar dici quidquam aut fieri, quod famam eius imminuat atque æſtimationem. Si temporali Domino tam gratum famulum reperire eſt, quid nos facere conuenit, qui famulis maiores ſumus?

Facilitat quoq; hic Amor noſtrum eſſe naturale. Supponendũ enim eſt, inter humana bonũ maximũ eſſe vitã: hanc generaliter omnes ſumme deſiderant, propter hanc ſingula membra periclitari audent, vt totũ ſaluũ ſit. Deinde homines omnes in omnibus huius vitæ miſerijs aliquid ſolatij inuenire, vnam mortem excipias. Nullum enim in hac vita malum adeo malũ eſt, cui non oppoſitum ſit bonum aliquod, quo malo occurratur: mors vero omnium terminorum terminus generalis eſt. Iob omnium nudus erat, perdiderat armenta, domos, famulos, liberos; relictus à Dæmone, ſicut ab hieme arbores gelu con-

ſtrictæ, & ſola niue grauidæ. Hanc tempeſtatem malus genius in ſeruum Dei excitauerat. Cum ergo Dominus in Amico ſuo inſigne robur animi deprædicare inciperet, ſtatim occurrit Dæmon: nihil, inquit, miri; *pellem pro pelle dabit homo.* Pro vita homo effundet omnia; etiam filiorum tenerè amatorum animas. Vitam ergo homo amat maximè. Ecce Dei induſtriam, qua hominis ipſam naturam inclinare voluit ad ſui Amorem. noluit illi vitam eſſe à ſemetipſo, ſed viuere juſſit corpus ab anima, animam à Deo: ita vt corporis anima, animæ vita Deus ſit. Neque vnam ſimplicem vitam donauit homini, ſed duas, naturæ & gratiæ. Vnde cum Deum anima perdidit, licet non omnino perierit, ſemimortua tamen eſt, partem enim ſui optimam nempe gratiæ vitam amiſit: anima autem ſemimortua quomodo corpus viuificabit? *Spiritus triſtis*, inquit Sapiens, *exſiccat oſſa*; quid faciet anima, quam ad mœrorem mouent tot cauſſæ? Cain relegatus à Deo, de vita quoque proiectus videbatur. *Ecce eijcis me à facie tua, omnis qui inuenerit me, occidet me.* vbi dicit Ioannes Chryſoſt. rationem huius timoris in Cain juſtam fuiſſe: in hoc enim mundo duæ tantum regiones ſunt; huic

Prou. 17.

Gen. 4.

præeſt vita, & viuentium domicilium eſt; alteram regit mors, in qua mortui jacent. Si ergo à vita deſeritur, non patet illi niſi ad mortem via. Cum ergo vita noſtra ſit Deus, & homo vitam naturali deſiderio appetat, per conſequentiam neceſſariam etiam ex naturali propenſione fertur ad amandum Deum. Immo ſi naturaliter filius patrem diligit, qui non eſt niſi vitricus, manus caput quod cum ſuo damno protegunt, imago ſuum artificem; quanto potius amare debemus Deum noſtrum, qui & Dominus, & pater, & caput, & Creator noſter eſt? Intueamur corporis noſtri organum, ſingulaſque eius partes attenti examinemus, inueniemus vbique cauſſas amandi eum, à quo conditæ ſunt. Si oculum nobis caſus aliquis eruiſſet, charus eſſet nobis, qui reſtitueret: vt quid ergo non potius amamus eum, qui prior nobis oculum dedit? Idem à manibus, brachijs, alijſque membris argumentum deduci poteſt, vſque ad animam, quæ ſicut alijs bonis omnibus excellentior eſt, ita ad Amorem plurimum obſtringit. Aduertamus obſecro animum, ſi à mente exciderémus, quanto opere diligeremus eum, qui

nobis

nobis mentem repararet? Si nos ad mortem, quæ corporis ab anima diuiſio eſt, culpa noſtra damnaſſet, quo amore proſequeremur eum, qui nobis vitam condonaret? Cur ergo, non amamus Deum, à quo mentem judiciumque habemus, qui admirando nexu animam illigauit corpori, qui denique mortem, quam mille flagitijs commeruimus millies, nobis liberaliſſimè atque libentiſſimè condonauit? Cur, inquit, S. Bernardus, non diligam eum per quem ſum, viuo, video, &c. Et ſi te vitam debere putas illi, qui pro te in diſcrimen vitæ ſe dedit, & tuam reddis, qui ſuam veſtem pro te perdidit, & cum tu culpam grauem admiſiſſes, alius tuum cum amictu delictũ induit, ac parum judicas, ſi vnus illi cor tuum atque vnam animam dones: Quid non debebis Deo, qui his majora præſtitit? Quibus bonis naturæ ſi gratiæ dona adiungimus, & ſummum quod ſperamus bonum gloriæ, quo calamo in qua charta notabimus omnia? Dixit Philoſophus eum qui beneficia primus inuenit, inueniſſe ſimul vincula pedicasque animæ, quibus libertas emitur, & cor humanum captiuatur. Et ſicut ex venis ſilicis ignẽ chalybs, ita à pectore beneficia eliciunt: quod non modo in rationalibus, ſed in animalibus quoque

Eccl. 18. Secundum ligna silvæ sic ignis exardescit.

rationis expertibus verum est. Si, vt Salomon asserit, flamma ignis excrescit juxta quantitatem lignorum ingestorum, cum beneficia diuina ligna quædam sint, quæ accendunt nutriuntque hunc ignem, profecto ad cælum vsque flammæ eius sese efferre debent. Quare obstupescunt plerique sancti viri, quod homini à Deo creato, eius sanguine & vita redempto, tot tantisque beneficijs ornato, adaucto gratijs, præceptum Amoris imponere sit necesse. Adeoné ingratus est homo, ô Deus, vt quod facile potest, omnibusque modis tibi debet, ab eo vi præcepti exigere opus sit? Si voluisses te odio haberi, mandatum fuisset intolerabile. Inter omnia inferni tormenta nullum mihi horrori tam graui est, quam cogitare odium, quo Deo male precantur, & diras deuouent: nescio enim qua ratione etiam isto in loco Deum odisse queant. Et tam bonus Dominus est, vt hoc tibi imperet, cuius contrarium facere vix possis, tametsi velis: hoc inquam jubet, quod factu facillimum est. Si mandasset filiorum cædem, quam olim dæmones imperarunt fieri idolis: si jussisset flagris carnem lacerare, calcare laminas candentes prunasué nudo pede, natando oceani partem tranare, perambulare terram, salire & nu-

bes

bes vertice attingere, grauia viderentur hæc imperia: Sed mandatum eius tam leue est, vt æger etiam lecto adfixus id adimplere valeat. Quid ergo excusabis, quando in extremi judicij tribunali stabis ante magnum Quæsitorem? Hoc dixit in Deuteronomio Dominus: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est: neque procul positum, nec in cælo situm, vt possis dicere, quis nostrum valet ad cælum ascendere, neque trans mare positum vt causeris & dicas; quis è nobis poterit mare transfretare? Sed juxta te est sermo in ore tuo & in corde tuo, vt facias illum.* Poteris manum extendere quo voles. *Proposui in conspectu tuo vitam & bonum & è contrario mortem & malum.* Aliud præceptum omne venire poterat in disceptationem. Si præcepisset eleemosynam, excusatus abijsset pauper: si jeiunium, infirmus; si laborem, debilis; si eruditionem, indoctus; si contemplationem, mercenarius; si egestatem, attulisset aliquid diues pro excusatione. Verùm quis ab amando Deo se excusare audebit? non rudis, non eruditus, non inops, non opulentus, non vegetus, non decrepitus, non valens, non inualidus: quis enim est qui amare nesciat, aut nequeat? quid potest occurrere, quod amantem turbet aut impediat? Manducet Deut. 30.

nis filius, nihil magnum est, si Deum ames, qui magis tuus est, quam tu ipse, & magis intimè in te est, quam propria tua forma. Neque solum Deus tuus est, sed tuum est, quidquid Dei est in cælo & in terra, Angeli omnes, omnes creaturæ, sanguis eius, eius crux, inferiora denique omnia: *Omnia vestra sunt.* 1. Corint. 3.

Leuius quoque fit hoc præceptum ex lucro, quod homini accedit. Rapit enim Amor amantem extra se, & transfert in amatum, ita vt tu viuas in Deo, & omnino idem cum Deo sis: & si seruire illi regnare est, vt minimum liber es, extra quod nullum bonum est, quod Amori queat æquiparari. Inter bona minora, quæ, siue pretium spectes siue durationem, vtrobique parui momenti sunt, breuis enim hora ea consumit atque consummat, placuit Deo statuere imparitatem: parum siquidem interest, felixne an infelix in istis sis, verùm Amoris diuitiæ, quæ supremæ sunt, pares omnibus possunt obtingere. Hoc donum est, quod, vt Sapiens ait, non conceditur nisi diligentibus. Hæc est pretiosa illa margarita, quam qui inuenit homo, *abijt, & vendidit omnia quæ habuit & emit eam.* Hic est thesaurus ille absconditus, quem qui acquisierit, ditissimus erit, & inter indigetes nume-

Prou. 8.

Matth. 13.

randus,

randus, tametsi omnium aliarum rerum penuriam patiatur. Et qui hunc non obtinuerit, miserrimus erit, licet montes aureos possederit. Hæc est vestis nuptialis, quam qui non induerit, à solennibus epulis proijcitur in tenebras extremas. Hic est ignis, quem venit Dominus mittere in terram: de quo Hieremias; *De excelso misit ignem in ossibus meis*, & in corde meo fornacem construxit. Denique tantum bonum Amor est, vt si homo pro eo omnem substantiam suam dederit, nihil dederit.

Mollit quoque hoc mandatum Amoris suauitas. tam amœnus enim delectabilisque est, vt non modo quæ difficilia videntur, reddat facilia, diminuat grandia, grauia alleuiet, in arduis ministret vires atque animum, sed amantes recreet quoque & magnum afferat oblectamentum. Considera omnia, quæ jucunda tibi in hac vita obtigerunt; adiunge, quæcunque præterea tibi voluptatis aliquid possunt dare, vbi indeptus fueris, videbis aërem aut fumum esse omnia collata ad illam, quam Amor generat, voluptatem. Dicit Augustinus: Amor vox dulcis est, Amoris vero multo dulciora sunt opera. Nam & gaudiorum, quæ in hac vita conceduntur, autor est, & sine Amore nemo ju-

cundus est. Cum ergo Amor diuinus sit, omnium bonorum bonum optimum maximumque, gaudiorum quoque omnium creat gaudium maximum desideratissimumque. Hinc inter fructus Spiritus sancti primus apud Apostolum est charitas, quam statim gaudium subsequitur: amari enim tantum bonum non potest sine summo gaudio. vnde Psaltes: *Delectationes in dexterâ eius vsque in finem.* Psal. 15. Hieronymus ad religiosas quasdam feminas in hæc fere verba scribit: Filiolæ meæ, date fidem homini seni atque exercitato, si gustassetis aliquando quam suauis Dominus sit, audissetis ex eius ore melleas illas voces; Venite & ostendam vobis omne bonum. monstrauissetque ea, quæ nemo potest cognoscere, nisi qui gustauit. Scio quid loquar ô sorores meæ, profitensque inscitiam meam, dico, quod ego homuncio adeo vilis in domo Domini, in corporis huius adhuc degens habitaculo, sæpe inter spirituum cælestium choros me video, & diebus aliquot gusto cibi illius suauitatem. post verò ad corpus reuertens plango quod retinere non potui. Sed quanta fuerit ea felicitas, quâ corpus fruitum est, quam non explicabilis suauitas, quam expertus sum, testis est sanctissima Trinitas, Diuique omnes, & mea con-

scien-

ſcientia, quæ tanto bono gaudebat, quantum nunquam declarare ſatis poterit linguæ meæ imperitia. Prius quam pretioſum vinum oenopola emit aut vendit, guſtat illud atque præſtantiam experitur: guſtate vinum iſtud, ad quod vos Sponſa inuitat, *bibite & inebriamini chariſſimi.* Et Dauid, *Calix meus*, inquit, *inebrians quàm præclarus eſt?* Vbi nota in hæbræis exemplaribus non ſcribi alias præter has voces, *calix meus inebrians*: vbi hæret ſuſpenſus Pſalmiſtes, quod non reperiret vocabulum, quo aptè exprimeret cordis ſui paſſionem. Denique cum Amor omnia reddat facilia, fieri non poteſt, vt ille ipſe difficilis ſit. Mel & dulce eſt & dulcorat omnia, etiam quæ naturâ ſuâ amara & inſuauia ſunt: ita Amor ſuaue eſt rerum etiam inſipidarum condimentum. S. Auguſtinus, in hoc, inquit, quod quis amat, non delaſſatur, aut certè etiam delaſſari amat. & alibi. Labores amantium non graues, ſed potius jucundi ſunt, ſicut eorum, qui ad venationem aut piſcationem egrediuntur. & Bernardus: Quem diuinus, inquit, Amor tetigit, vbique lætus atque alacris eſt, laborat & non fatigatur: fatigatur, ſed ſine ſenſu doloris: riſu ſannisque petitur, ſed non tangitur. & alibi. O jugum ſancti Amoris, quam ſuauiter premis,

Cant. 5.
Pſal. 22.

quam dulciter fatigas, quam potenter ligas, quam fortiter ſtringis, quam ſuauiter premis, quam molliter oneras. & alibi. Confiteor ô Deus, quia non portaui pondus diei & æſtus, ſed onus tantum leue: Pater enim familias humeris meis laborem impoſuit; ſed vnius horæ tantum, aut ſi longior fuerit, non ſenſi. Et alibi. Recordari tui, melle dulcius eſt; cogitare de te, cibus ſuauis; loqui de te, ſatietas plena; meditari de te perfecta conſolatio; peruenire ad te vita æterna. Verum quid dulcius eo, quod dulcorat omnia? quid ſuauius, leuius, facilius eo, quod ſuauia, leuia, facilia reddit omnia? Ad iſta verba Canticorum, *Si ignoras te ô pulcherrima mulierum*, Anima inquit, quæ Deum ſemel guſtauerit, neſcio an non potius eliget aliquamdiu tormenta pœnarum infernalium, quam diuinæ voluptatis priuationem. S. Auguſtinus cum guſtare cœpiſſet, quam ſuauis eſſet Dominus, cœpit quoque illi mundus ſordeſcere cum delectationibus ſuis.

Denique præceptum hoc difficile videri non poteſt, cum æquum, immò neceſſarium ſit vt diuinus Amor alijs omnibus, anteponatur: in Deo enim amandi cauſſæ & rationes omnes inueniuntur, putà, bonitas, pulchritudo, maieſtas, diuitiæ, libe-

ralitas, omnia denique bona alia Amoris nostri incitamenta atque excitamenta in eo velut suo centro sita sunt. Scaturiunt ex eo velut fonte bonorum riuuli, ex quibus Mundus hic bibit. Terram hanc vniuersam oculis lustrate, fidei luminibus cælos percurrite, cogitationum inanibus alis volate per spatia extra cælestes orbes imaginaria, nullum apprehendetis bonum, quo Deus excellentior non sit. Aristoteles id probauit ijsdem rationibus, quibus probauit Deum esse, quæ obtinent vicem demonstrationis, & ostendunt simul Deum maiorem esse ac præstantiorem ijs quæ videmus, & quæ non videmus. In vehiculo illo prodigioso Ezechielis faberrimè hæc Dei summitas depingitur. Currus machinam vniuersi repræsentat: animalia, facie distincta varietatem eorum, quæ habet hic Mundus. Rumorem fieri grandem & tumultum, quasi exercitus magni nihil mirum est, cum militum tantus sit numerus. Verùm Deus in firmamenti summo est, ad cuius vocem, omnia animalia colligunt alas suas, vt significent omnia Deo debere obsequium, reuerentiam, timorem. In lege veteri summus Sacerdos suo vestimento, iuxta Hieronymum, Hebræosque interpretes, figuram mundi huius exprimebat. Tunicam eius

quà-

quadruplex tela componebat, vnaquęque autem singulari quadam proprietate elementa singula referebat. Ligati in vtroq; lapides pretiosi significabant duo mundi hemisphæria; in pectore fixi duodecim vniones numerabant signa Zodiaci, & anni menses. In nominibus duodecim tribuum populum Hebræum omnem, in se vero vniuersam Gentilium multitudinem repræsentabat. In lamina vero, quæ erat ex auro purissimo, & in fronte portabatur, erat ineffabile nomen, Tetagrammaton, signumque erat Deum dominari cælo ac terræ, & omnibus quæ in cælo ac terra sunt. Hæc omnia eò dicta sunt, vt ostendam quam iure merito Deo supra alia omnia Amorem debeamus, qui cum naturali ordine omnibus sit superior, nihil magnum est si superior quoque sit ordine nostræ voluntatis. Quod adeo facile reddunt caussæ suprà adductæ, vt Deus præcipiendo sui Amorem, visus sit aliquam in eo difficultatem finxisse, ideoque illud Psalmi addere possimus: *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* Psal. 93.

(o)

ralitas, omnia denique bona alia Amoris nostri incitamenta atque excitamenta in eo velut suo centro sita sunt. Scaturiunt ex eo velut fonte bonorum riuuli, ex quibus Mundus hic bibit. Terram hanc vniuersam oculis lustrate, fidei luminibus cælos percurrite, cogitationum inanibus alis volate per spatia extra cælestes orbes imaginaria, nullum apprehendetis bonum, quo Deus excellentior non sit. Aristoteles id probauit ijsdem rationibus, quibus probauit Deum esse, quæ obtinent vicem demonstrationis, & ostendunt simul Deum maiorem esse ac præstantiorem ijs quæ videmus, & quæ non videmus. In vehiculo illo prodigioso Ezechielis faberrimè hæc Dei summitas depingitur. Currus machinam vniuersi repræsentat: animalia, facie distincta varietatem eorum, quæ habet hic Mundus. Rumorem fieri grandem & tumultum, quasi exercitus magni nihil mirum est, cum militum tantus sit numerus. Verùm Deus in firmamenti summo est, ad cuius vocem, omnia animalia colligunt alas suas, vt significent omnia Deo debere obsequium, reuerentiam, timorem. In lege veteri summus Sacerdos suo vestimento, iuxta Hieronymum, Hebræosque interpretes, figuram mundi huius exprimebat. Tunicam eius

quadruplex tela componebat, vnaquęque autem ſingulari quadam proprietate elementa ſingula referebat. Ligati in vtroq; lapides pretioſi ſignificabant duo mundi hemiſphæria; in pectore fixi duodecim vniones numerabant ſigna Zodiaci, & anni menſes. In nominibus duodecim tribuum populum Hebræum omnem, in ſe vero vniuerſam Gentilium multitudinem repræſentabat. In lamina vero, quæ erat ex auro puriſſimo, & in fronte portabatur, erat ineffabile nomen, Tetagrammaton, ſignumque erat Deum dominari cælo ac terræ, & omnibus quæ in cælo ac terra ſunt. Hæc omnia eò dicta ſunt, vt oſtendam quam iure merito Deo ſupra alia omnia Amorem debeamus, qui cum naturali ordine omnibus ſit ſuperior, nihil magnum eſt ſi ſuperior quoque ſit ordine noſtræ voluntatis. Quod adeo facile reddunt cauſſæ ſuprà adductæ, vt Deus præcipiendo ſui Amorem, viſus ſit aliquam in eo difficultatem finxiſſe, ideoque illud Pſalmi addere poſſimus: *Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* Pſal. 93.

Capvt XIX.

Deus toto corde amandus.

A mundo condito statim quod Deus appetiuit, est cor humanum. Quod adeò certum atque manifestum est, vt omnia eius opera videantur nota esse arithmetica verborū illorum, quæ in Prouerbijs Sapiens ad filium suum profert: *Præbe fili mi cor tuum mihi.* & quæ locutus est Abrahamo spolia offerenti Rex Sodomorum: *Da mihi animas, cetera tolle tibi.* Symbolum huius est quod in Leuitico præcepit Dominus, vbi adipem atque interiora animalium offerri sibi postulat, non quia pulpamento potius quàm coxendice, & pinguibus quam macris carnibus vesceretur, verum vt indicaret gratius sibi esse animæ obsequium: quā & cordis nomine scriptura passim indigitat. iuxta illud Matthæi; *de corde* (id est anima) *exeunt cogitationes malæ.* Paullus Iouius non longè à Neapoli in Campania legit hanc inscriptionem.

Prou. 23.

Gen. 14.

Dimidium sphæræ, sphæram cum principe Roma
Postulat à nobis diuinus conditor orbis.

Qui versus nihil aliud dicunt, quàm Deum exigere cor nostrum. Dimidiata sphæ-

ra est C. sphæra integra est O, prior in voce Roma litera est R. Allusum est, credo, ad id quod Diabolus Antonio obiecit. Cum enim Dæmon aliquando sub Mauri figura onustus laqueis ad venationem festinans procurreret, & sanctus hic Abbas quæreret, quid captaret, respondit Lunam dimidiam, Bouis oculum & rotæ quartam partem. quæ non aliud volebant, quam hæc metra, tametsi Antonius tunc griphum non intelligeret. Luna enim media C, bouis oculus O. rotæ pars quarta R. erat. Ita, vt super corde humano tota lis versetur, quæ est inter Deum ac Sathanam, Mundum & Carnem. Quiuis id venatur, sibique arrogat. Et quemadmodum arx munita, quæ continuis obsidionibus exposita est, nunc hunc, nunc istum, nunc alium victorem & Dominum patitur: ita cor nostrum quotidianis hostium insultibus lacessitum, venit in potestatem diuersorum. Quando hanc arcem Deus occupauit, subito insonat classicum Dæmon, Mundus & Caro castra sua metantur, arietes, vectesque & alia bellica instrumenta apparant, & non infrequenter victorias obtinent satis cruentas. Ubi malus Genius huic castro dominari cœpit, Cælum ac terra vnanimi motu surgunt, bellumque faciunt, & redigere conantur in suam

potestatem. Si victoriam illis aduersarius infernalis cesserit, festus dies in cælo agitur, & Pæana canit chorus omnis Angelorum. quod non exiguum signum est magni desiderij, quo ambit Deus præsidere cordi nostro & principari. Quod intimare Sponsæ suæ volens Sponsus, dixit: *Pone me vt signaculum super cor tuum.* q. d. obsera cordis tui fores, & sigilla, & pro sigillo me ipsum pone: duoque efficies, securam te reddes, & hostibus inexpugnabilem, *quia fortis est vt mors dilectio.* & cum præ foribus Amor steterit fixus pro sigillo, quis tam potens erit inimicus, qui propinquare audeat? Præterea ego quoque securus & ab omni zelotypiâ liber ero; *quæ dura est sicut infernus.* Sponsa verò Sponsi sui amore languida & desiderio eius studens satisfacere, fulciri floribus, & malis stipari postulat: Ego, inquit, Sponsum velut florem aut malum odoriferum gestabo in pectore; tum quia scio illi hunc locum placere maximè, tum quia in eundem res carissimas atque præstantissimas colloco, tum deniquevt tutam me reddam ab hostium insidijs, illum verò ab æmulatione liberum. Quare in illa quoque lege præcepit Deus sibi offerri sacrificium de animalium intimis; qui enim pectus habet, habet totum. Ex quo Dei appetitu nasci-

Cant. 8.

Cant. 8.

tur

tur quod totum cor hominis postulet, more non insolenti; auarè enim petitur, quod delectat. Et quantumuis Deus supra quàm dici potest liberalis sit, adeoque amans hominum, in hoc tamen auarum maximè se demonstrat, atque dicit: nemo in hoc molestus mihi sit. & in signum auari Amoris huius, non satis illi erat præcipere homini; *Diliges Dominum Deum tuum ex corde*, sed *ex toto corde tuo & ex tota anima tua*. Atque ita expressit, quantum dici poterat. Et tamen neque hoc sufficere illi potuit, sed in alijs Scripturæ locis addit: *Ex omnibus viribus tuis, ex omni mente tua, & ex tota fortitudine tua, ex tota virtute tuâ.* Periphrasticè animam vult nostram, & explicando vim zelotypiæ, Amoris quoque sui passionem manifestat. Multa magnaq; patitur Deus prius, quam offendatur, verum vt Mundus, Caroue, aut Diabolus veniat in partem animæ, hoc est quod tolerare non potest. Ita enim amat, vt riualem non patiatur, tam magno illi anima constitit, vt possidere solam velit. Ita apud Esaiam per figuram mulieris meretricis, quæ in vna lecti parte coniugem, in altera adulterum seruare conatur, dicit: *Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat; & pallium breue vtrum-*

Deut. 6.

Matth. 22.
Luc. 10.
Marc. 12.

Esa. 28.

quæ operire non potest: quomodo duobus locum inuenies? Cordis tui stragulum nimis curtum est, non me potest integere: nam vt Ioannes ait, *Maior est Deus corde nostro.* Si ergò vni non est amplum satis, quomodo duos recipere cogitas? Non
1. Reg. 5. potuerunt eodem in templo Arca & Dagon perstare: minus persistent in anima tua Deus & idolum voluptatum
Matth. 6. tuarum. Non bene duobus Dominis famulatur seruus vnus; non vtuntur simul vnâ hastâ duo milites: duo capita non regit vnus pileus, aut duas manus vna chirotheca. Non potes vno oculo in cælum, altero in terram intue-
1. Cor. 10. ri, aut *bibere calicem Dei & calicem dæmoniorum*, aut vnire luci tenebras & Belial
Eccl. 11. Christo. Salomon filio suo consulit, vt ne in multis sint actus eius, & in varia cor suum distrahat, sed in vnum solum
Eccl. 3. putà Deum dirigat. & alibi. *Cor*, in-
Eccl. 2. quit, *ingrediens duas vias non habebit successus.* & alibi. *Væ duplici corde, & manibus malefacientibus, & peccatori ingredienti duabus vijs.* Symbolum huius est præce-
Leuit. 19. ptum illud in Leuitico: *Veste, quæ ex duobus*
Deut. 22. *texta est, non indueris.* Item illud in Deut. *Non arabis in boue simul & asino.* Vult Dominus seruos suos agere vitam simplicem,

&

& non facere cum virtutibus mixturam vitiorum, & Chamæleontes esse Dei ac Dæmonij eodem horæ momento. Quod vitium in Israëlitis grauiter castigabat; erant enim instabiles, & proclines ad idololatriam, vt hodie Deum, cras Baal inuocarent: quare indignantissimâ voce; *Vsquequo claudicatis in duas partes?* q. d. quid nutatis, quid cespitatis nunc ad seruitium Dei, nunc ad obsequium Baal declinantes; & non vni potius vos addicitis? vnde neque ab hoc neque ab illo auxilium opemué meremini. *Si Dominus est Deus, sequimini illum* alacri & firmo pede: *Si autem Baal*, vno passu & constanti *sequimini illum.* Osee loquens de schismate, quod in populo natum est, cum Rex veniam adorandi Deum illi faceret, & vulgus obstaret, nolletque dari à Rege hanc illi facultatem; *Diuisum*, inquit, *est cor eorum, nunc interibunt.* vbi tametsi de captiuitate Regis Assyriorum Salmanazzar sermo fiat, potest nihilominus aptè traduci ad peccatorem, qui animam Deo, Dæmonique, & carni partitur: quiuis suam partem poscit, vt non præter miraculum sic diuisa ac lacerata in partes anima superstes sit, adeoque jamjam mortis vnguibus discerpenda. Vt ad caput doctrinæ huius redeamus: Deus vult cor totum, totam

3. Reg. 18.

Osee 19.

animam, intellectum, voluntatem, ſenſus, vires; denique quidquid hominis eſt, ſuum eſſe vult Deus. Non aliter, quam cum Princeps aliquis in hoſpitium diuertitur, omnia loca occupat; ita Deus Princeps adeò potens magnusque eſt, vt nihil in anima inane relinquat, quod hoſpitem alium queat admittere. Neque adeò inutile eſt diuerſitori talem ſuſcepiſſe hoſpitem, vt Regem aut Dynaſtam terrenum admiſiſſe: præterquam enim, quod inuito plurimùm hoſpite domum occupent, ſordidas ædes relinquunt, & male ſoluto, immo ſæpè non ſalutato patrono abeunt: Deus vero tantum boni confert animæ, vt neminem hoſpitem in poſterum admiſſura ſit, cùm appetitus deſideriumque eius ita magna ſint, tam multa autem inania hinc inde ſpatia, quæ nemo præter Deum ſatiare poſſit aut adimplere. Accedit quod cordis affectiones calidę ſiccæque ſint, cui adeo naturale eſt ardere amando, quam igni calefacere ardendo. Et quia vita cordis Amor eſt, neque viuere poteſt ſi amare nolit; ita non conuenit quoque vt ignem hunc Dæmon, mundusue, aut caro accendat: alioqui ex infernali camino ſurget fumus male olens, neque ligna vlla, ſed cinerem ſordidiſſimum culpæ dumtaxat lucrabuntur. Ve-

rùm si Deus hunc focum struxerit, ignis lucebit splendidus, qui pellet frigus omne, per quod in Scriptura culpa intelligitur; ignis, qui præstabit igni elementari, & ascendet ad ignem vsque Seraphinum, qui est Amor. Solus ignis Inferni grauis esse videtur, qui non tendit ad sphæram suam, neque locum à Deo igni destinatum appetit, sed cauernis inclusus vltimis nescit vllum motum: cor verò nostrum quia ignis proprietates habet, rationi consonum est & naturæ, vt quoque leuis & sursum moueatur. Propheta peccatorum cor graue appellat, justorum aquilam propter volatum sublimem, quia, vt dicit Paullus, conuersatio eius in cælis est. Huic nostro conceptui fauet ipsa cordis figura, quod infrà acutum, suprà amplum est; quæ significant, quod terram in vno solo puncto attingere, sed in cælum patere, & omnibus modis illuc tendere debeat. Ad hoc quod attinet, faciliùs Dæmon placari potest, accipit pignus quantulumcumque, quidquid offertur placet, denique si nihil vltro ei datur, rapit quod præ manibus est: licet hoc negare non possimus, quod ambitione fastuque intumidus sit, & vbi semel prostrauit hominem, non quiescit, donec totam animam possederit, vt non inferior Deo videa-

Psal. 4.
Esa. 40.
Phil. 3.

Luc. 11. deatur. Hinc energumeno illi cæco, muto, & surdo, non liberos oculos, non aures, non linguam reliquit, vt ostenderet animæ totius dominium se inuasisse: verum vbi non obtinet quod ambit, quidlibet rogat, vt olim Moysen Pharao: *Ite* inquiebat, *tantum viri & sacrificate Domino*, Exod. 10. cui reddidit Moyses: *non remanebit vngula* in Ægypto. Idem vsu venit in iudicio Salomonis super vtraque matre. quæ non erat parens legitima legem diuisionis acceperat: vera mater noluit filium nisi integrum. Meus ille est, ego vera genetrix eius sum, mihi debitus est. Ita Diabolus non tantum corde dimidiato sed pedis quoque vngula contentus est, quam illi oppignoraueris, modo nihil aliud in manu sit. Deus verò totum integrumque omni ex parte cor sibi vendicat: & quid mirum? autor eius & creator est, atque adeo anima sua est, suum plasma est. Si tu, terræ vermis Deum totum ambis, neque satis tibi faciunt omnes creaturæ, eius imagines; quid magnum si totam animam, cor totum sibi vendicat Deus? Rerum aliarum omnium partem tantùm rogat Deus, ex diuitijs quod superfluit, *quod superest, date elemosynam*, ex frugibus decimas, Luc. 11. ex tempore sacros aliquot dies, animam verò vult quanta quanta est. Neque sic ta-

men

men opinetur homo Deo reddere ſe Amorem quem debebat, vt bene notat D. Auguſtinus, quia hic grandior eſt Amore illo, qui ſponſo, patri, capiti debetur, & maior abſolutè, quam vt pectus humanum immò Angelicum queat capere. Quare debitum Amorem Deo nunquam poſſumus reddere, & quia id fieri nullo pacto poteſt, jubet hominem amare quam poteſt vehementiſſimè, nempè ex toto corde. Quod duplicem adhuc patitur interpretationem. Prima eſt, vt homo non admittat quidquam, quod impedire queat aut turbare Amorem diuinum: quod in hac vita adimpleri non poteſt, niſi forſaſſe à viris iam planè cæleſtibus & paruo ſatis temporis ſpatio, qualis eſt Angelorum & Beatorum Amor. Altera eſt, vt anima non admittat motus Amori diuino aduerſos, nullamque hic rem adamet terrenam propter ſe, ſed propter Deum, & hic eſt Amor, quem in hac vita exigit à nobis Deus. Hic ergo notatu dignum occurrit, quod in præcepto iſthoc Deus roget cordis totum Amorem, omnes, inquam, animæ motus, & nullus ſit, qui in Deum non ipſo actu referatur. Quod tametſi graue eſſet, licet magnum non ſit, nempe propter Deum facere quod fit propter fabricam aliquam, quæ cerebrum

homi-

hominis abripit adeo vehementer, vt vigilans dormiens ſemper de illa ſomniet; Deus tamen nondum hoc requirit: imò patitur amores alios, alias curas atque ſolicitudines, cum his circumſtantijs; ſi non pugnent cum diuino ſeruitio, & finem vltimum Deum habeant. Et hoc modo ſcripturæ intelligendæ ſunt, quæ dicunt Sanctos requiſiuiſſe, & ſeruiuiſſe Deo ex toto corde. Dicit in Soliloquijs Auguſtinus: Is qui non propter ſe amat aliquid, nihil amat: ita ſapientiam æternam propter illam ipſam vnam amo, cetera propter eandem. adeo vt qui huic præcepto obuiare vult, oporteat eum amare aliquid contra Deum, non propter Deum. Melius clariusque doctrinam hanc explanabit, quod habet *in Ciuitate Dei*: vbi dicit Deum ab omnibus amari, ſed modo diuerſo. Malus propter ea quæ in mundo ſunt, Deum colit: neque enim communi luce frui poteſt, non valetudinem, non ſalutem ſatis tueri, niſi auxiliarem manum porrexerit Deus. Alij res huius ſæculi amant, vt Deo fruantur: atque adeo creaturam aliqui pro Deo habent. & ſi Deus dato chirographo illis longam vitam promitteret, Deo ſuum cælum relinquerent, neque aliud cælum, aliumué Deum optarent, niſi diuitias ſuas atque delicias. Alij

habent creaturas quasi pro penula aut iumento, quo citra magnam molestiam vitæ huius iter absoluant, & ad suum Creatorem transeant. Ita vt malus de principali accessorium, de accessorio formet principale: non secus ac lupanaria prostibula illa, quæ infami Amore quæstum faciunt, & nummos magis amant, quam homines. Qui Amor odio vero peior est, & plane iniurius. Bonus verò Deum amat super omnes res, quas habet velut appendices. Isaac benedixit Iacob, & cum eo ad salutem prædestinatis omnibus, ita orsus: *Det tibi Deus de rore Cæli, & de pinguedine terræ*; Cælum ergo præposuit. Cum ad Esau reprobum se conuerteret, vertit quoque benedictionis formulam: *In pinguedine*, ait, *terræ, & in rore cæli desuper, erit benedictio tua*. Quem ordinem seruant improbi omnes: quos vero ad salutem Deus prædestinauit, primo cælum requirunt, deinde ad terram conuertuntur.

Gen. 27.

CAPVT XX.

Amor Angelorum erga homines.

NOlo hic cum Theologis in arenam descendere, & de natura, motu, numero, distinctione, apprehensione, atque illuminatione Ange-

lorum

lorum subtilem disputationem ingredi. nolo inquam tractare rem adeo difficilem atque obscuram, in qua licet multi ad rauim vsque in scholis clamando tantum non enecent sese, credo tamen eos magnam partem, Angelorum essentiam ignorare. Angelica enim natura adeò nostri intellectus tenuitatem exsuperat, vt illum qui diffinire perfectè eam promiserit, temeritatis fastuosæque confidentiæ audeam condemnare. Si, vt Ecclesiastes

Cap. 1. ait, *cunctæ res difficiles*; etiam quæ ante oculos nostros sunt, *nec poßit eas homo explicare sermone*, quomodo inuestigabimus ea, quæ Cælum habet? Tam propinquè, tam venustè, & insigni cum majestate Deum Angelus repræsentat, vt cælesti luce opus sit, ne hallucinemur, & splendore nimio in errorem abducti pro Deo

Cap. 19. adoremus. Ioannes in Apocalypsi ad pedes eius se abiecerat, adorassetque, nisi ab ipso Angelo prohibitus fuisset, errorem que illius ostendisset. Auget difficultatē parua cum eis familiaritas: nisi enim ex auditu quis argumētetur, quis poterit disputare de Angelis nisi diuinando? De ijs Paullus aliquid loqui potuit, cum Cælum ambulatione perlustrasset. Si ego nunc multa de Moscouitis sermocinari vellem, de situ regionis, de frigore, aëre malè tem-

perato, conditione hominum, ritu legibuſque viuendi, manifeſtum eſt, quia non niſi coniecturando loqui poſſum, à veritate ſæpe me declinaturum: & tamen hi vicini nobis ſunt, in eadem nobiſcum continente habitantes. Cum ergò ea quæ proxima ſunt, tam non facilè cognoſci poſſint, quomodo illa apprehendemus, quæ toto cælo diſtant? quid narrabimus de incolis regionis adeo differentis natura, moribus, legibus? De Beatis loquendi facultas nobis multo magis libera eſt, nam & oculis eos vſurpauimus, familiariter cognouimus, & conuerſatione domeſtica mores eorum didicimus, & ortu nobis non diſſimiles fuerunt, educti intra muros terræ, atque vrbis noſtræ: denique videtur licitum eſſe homini de homine ſermocinari. Immò & dicere audeo, narrationem de Deo non eſſe adeo imparem intellectui noſtro: licet enim diſtantia infinita interueniat, vt alia omnis etiam imaginaria longe minor ſit eâ, quæ inter diuinam immenſitatem, noſtrique intellectus anguſtias reperitur, ad Dei tamen cognitionem nobis ipſa ſaxa opem adferunt: *Et hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis.* *Sap. 1.* Cælum, quod cingit amplectiturque omnia, apertam habet Scholam, docetque omnes legere, ſcribere, & numerare Dei

Moyses cum singulari quadam oratione populo suo mundi creationem exponeret, nunquam vllum de Angelo verbum intermiscuit, vel quod gens illa crassa inter cepas alliumque educta tam subtilia non caperet; vel vt ne propenso ad idololatriam populo daret occasionem pro Dijs Angelos adorandi; vel quia si Angelos ceteris creaturis immiscuisset Moyses, non potuisset satis aptè eos honorare illâ scripturâ, quæ loquitur de generali donatione, quam Deus homini fecit, constituens eum Dominum vniuersorum. quamuis enim in quibusdam homine inferiores sint, in pluribus tamen excellunt, adeoque hæc negligere debuisset. Ita licet in sacris libris nullus de Angelis sermo fiat, qui non spectet ad bonum, commodumque hominis, nullus tamen est qui subijciat eos hominibus, priusquam Deus ipse homo factus est. Pòst tanquam rem omnibus manifestam scribit ad Hebræos Apostolus; *In eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei.* Et Christus apud Matthæum ait, *Angeli eorum.* sicut dici solet, serui horum vel istorum Et quemadmodum nos Angelos Dei, ita Deus vocat Angelos hominum. *Heb. 2.* *Matth. 18.*

Omittendo igitur ea, quæ profundis tenebris natura abscōdidit, ad lucem cer-

tam exeamus. Ex sacris literis habemus Angelos esse, qui nos obseruant, seruant, tuentur: & vt minimum fidelis quilibet habet suum. Hoc adeò indubitatum est, vt negare tutò nemo queat. Christus in Matthæo: *Videte* ne scandalizetis, *ne contemnatis vnum ex his pusillis; dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis*, adstant patroni & negatiatores eorum, & *semper vident faciem patris mei, qui in cælis est.* Hoc est argumentum Psalmi nonagesimi, in quo Vates loquitur de securitate & confidentia iustorum, & vita quam viuere possunt sine cura. *Non accedet ad te malum*, non nocebunt tibi impij; *Quoniam angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Græcus textus & phrasis Chaldaica habent, *mandabit de te.* Quæ varietas interpretationum aperit ostenditque perpetuam tui curam, quam Deus agit, vt te suis Angelis commendet, ne vsquam offendas, aut offendaris. Quare tutò ambula per huius mundi scandala, securus intuere omnia, quia habes, qui tuum latus stipant, satellites inuisibiles, habes qui tibi lucernam præferunt, & cauent, ne in viam ingrediaris peccatorum. Dormi in vtramque aurem absque solicitudine, habes, qui ad custodiam tui excubant: quid tibi nocumento esse po-

Matth. 18.

Psal. 90.

terit, qui diuinam custodiam, tuam habes? *Super aspidem & basiliscum*, qui solo visu nternecat homines, *ambulabis*, *& conulcabis Leonem* ferocissimum ferarum, *& Draconem* terribilissimum: Angeli enim ora eorum concludent, & vires adiment. Pleni exemplorum sunt libri sacri, qui pasim ostendunt curam, quam pro iustis olicitam egerunt Angeli. Quid Tobiæ patri & filio præstiterit, omnes sciunt. *Tob. 6.* Angelus fuit, qui liberauit Loth de inendio Sodomæ. *Gen. 19.* qui in lacu Leonum eruauit Danielem, fuit Angelus. *Dan. 14.* Fuit Angelus, qui liberauit Israëlem à jugo Egyptio, interimendo vna nocte omne *Exod. 12.* rimogenitum in vniuersa Pharaonis diione. Angelus fuit, qui in castris Afyriorum Solymam obsidione forti preentium vnâ nocte percussit centum *4. Reg. 19.* ctoginta quinque millia. A camino ignis rdentis tres pueros Angelus, Angelus à *Dan. 1.* athenis Petrum, Angelus Iosephum Virinemque Matrem cum filio à manu per *Act. 12.* equentis Herodis seruauit. *Matth. 2.* Quæ testionia S. Scripturæ & alia multa licet pro ustis sint, nemo tamen inficias ire poerit, quin etiam improbis custodes Aneli dati sint. alioqui in extremo die reus eccator, sua delicta excusaret, & pœas non iuste sibi à Deo infligi quere-

retur. diceret enim: Domine, tuæ Maiestati mirum videri non debet, si ego tot obsessus inimicis, tot petitus insidijs, tot lacessitus insultibus, victus sum: potentior enim hostis erat, quam vt possem resistere, & nullum habui Angelorum, qui hostium impetum frangeret, qui mihi pugnanti vel solum animum adderet Periclitaretur quoque Dei prouidentia, quæ generalis est & vna in omnes, & semper bonum malo vicinum esse voluit pro remedio & restauratione. Vipera tumidam veneno linguam habet, sed ex eadem theriaca componitur. Canis rabidus lethalem morsum facit, sed iecur eiusdem salutare est. Boues seruare sanos ob Cæli malam temperiem India non potest: sed flumen habet & lignum, quæ gustata sanitatem restituunt. Pari modo æquum erat, vt peccatoribus, quos infernalis rabies exagitat, adhiberentur Cælestes genij, protectores. hæc veritas exemplo clara fiet. Daniel in luctu magno, & longa oratione, continuoque ieiunio tres hebdomades compleuerat, supplicans Deo, vt populum suum liberaret à Babylonià captiuitate; & ecce apparuit ei Angelus, dixitque: *Ex die primo, quo posuisti*

cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua. & cura mihi hæc demandata est, vt exequerer, quæ tu rogas: *Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus.* Principem vocat Angelum, cui regnum hoc commissum erat: Prouinciæ enim singulæ habent præsides suos Angelos, mali auerruncatores, iuxta illud Deuteronomij apud 70. interpretes: *Constituit fines gentium secundum numerum filiorum Dei.* & ab inferno habent cacoangelos, omnis boni & bonorum hostes. Nam & inter Dæmones quædam politia est, vt sic aliquam cum Deo similitudinem habeant. Et hoc ratio dictare videtur: Licet enim quilibet in suis ædibus rex sit, & muros portasque suas custodiat, non ideo ciuitati Præfectus dari non debet qui regat, & præsit. & rursum, quamuis vrbes singulæ habeant gubernatorem suum, non ideo frustra sunt generales Præfecti aut otiosi, vt non solicite vigilent pro bono regni, quod administrandum susceperunt. Omnium ergo conscientijs præsident singuli Angeli, rursum alij ciuitatibus aut oppidis, Prouincijs iterum alij, denique vnus cui data est generalis cura huius vni-

Deut. 32.

Dan. 11.

Dan. 11. Consurget Michaël Princeps magnus, qui stat pro filijs populi mei.

uersi, & hic est Angelus Michaël, sub cuius præsidio tunc Synagoga, nunc verò Ecclesia est. Sed ad historiam nostram regrediamur. Volunt quidam hunc nequam Angelum fuisse, regni Persarum præsidem, qui bono restiterit conanti Israëlitas in libertatem restituere, & Medos atque Persas instigauerit, vt ne liberum hunc populum abire sinerent, spem sibi faciens maiora damna acceptu-rum Israëlem per longam cum idololatra atque impia gente familiarem conuersationem. Gregorius verò cum Hieronymo contendit bonum fuisse Angelum, Persicæ ditioni Præfectum, qui alteri contraierit: non pauci enim Persæ per societatem cum Hebræis ita coniunctam ad Deum conuertebantur; vt ergo bonum hoc non pessum iret, interturbauit conatus Angeli prioris, & moram iniecit libertati obtinendæ, donec supremus omnium Angelorum Princeps Michaël veniret in adiutorium populo Dei: ita vt Persarum licet impiorum curam Angeli boni non omiserint. Et consequenter dicere possumus peccatori quantumuis improbo nō deesse suum custodem Angelū. Et hæc est opinio Hieronymi, Theophylacti, & Ioannis Chrysostomi ad illa verba Matthæi, *Angeli eorum sem-*

Greg. Mor cap. 18. Hier. super Dan. c. 10.

per

per vident faciem patris, tametsi verum sit, Ioannem Chrysost. autumare, quod sicut Dei erga iustos maior & solicitior est prouidentia, ita Angeli iustorum custodes sint præstantiores. Thomæ Aquinati videtur hoc ita vniuersaliter verum, vt asseueret quoque Antichristo assignatum iri custodem bonum Angelum, qui aliquando mala impediat. Solus Christus non habuit hunc custodem: hoc enim fuisset Philosopho absolutissimo, & in omni scientiarum genere exercitatissimo dare infantem magistrum: habuit tamen famulos angelos, qui post tentationem in solitudine, vt habet Euangelista, *accesserunt & ministrabant ei.* vbi non dicit, descenderunt de cælo in hac necessitate, quod alibi legitur, sed *accesserunt.* steterant enim reuerentiæ ergô, nonnihil ab illo remoti, sicut mos est ministris, quando Dominus fluctuat consilio, & huc illuc se versat, exitum præstolantibus.

Matth. 18.

Matth. 4.

Angelos itaque tutores hominibus & protectores datos esse satis dilucidè monstrauimus, reliquum nunc est vt ostendamus Amorem, quem grandem erga homines portant. Testimonia huius sunt opera; Amoris enim probatio, vt ait Gregorius, executio est operis. vt ergo illum, quantus sit, examinemus, inuestiganda

ſunt & numeranda beneficia, quæ quotidie accipimus de liberali manu eorum. Licet enim ex Amore diuino, cui inhærent contemplando, & fruendo inardeſcunt, Amorem Angelorum recte demonſtrare liceat, ſicut nonnulli explanant hunc locum Petri. *In quem deſiderant Angeli proſpicere*, vt igneſcant in Amorem hunc intuendo; quia ſicut Amor diuinus in nos rapitur, ſecum abripit quoque Spiritus cæleſtes, atque ita ſatis ex *cap. 12.* in quo Dei Amorem immenſum demonſtrauimus, Angelorum Amor pateat: tamen manifeſtius ex operibus probari videtur.

Primum quod de Angelorum manibus recipimus, beneficium eſt, quod nos è mille malis, è mille periculis eripiant. Non dico, conſeruent: hoc enim eſt inter maxima & celeberrima Dei beneficia; ſed auertunt nos, arcentque ab ijs, quæ poterant nobis eſſe nocumento, & adferre non exiguum malum. Nunquid aliquando contingit te ambulare per viam aliquam & detineri nulla de cauſſa, & ignorare quo ſpiritu mouearis, & ruere ad pedes tuos tegulam aut petram aliquam, quæ, ſi vnum paſſum longius proceſſiſſes, tibi caput comminuiſſet? Non vſu venit egredi te domum aliquam, & paullo poſt te-

ctum

ctum subcidisse? Non accidit mutasse te communem semitam leui ductum ratione, & effugisse manus latronum, qui te expectabant? Retro actæ vitæ cursum iterum cogitatione percurre, & casus non absimiles multos reperies, quibus præsentia sæpe pericula euasisti. Gentilitas videns contingentes casus, caussas vero non intelligens, Fortunæ proprios fecit, ob quos illi quoque Deæ nomen affinxit. quod Poëta quidam expressit:

Te facimus Fortuna Deam, cæloq; locamus. Iuuenal. Sat. 4.

Alij Prudentiæ attribuerunt, quod homo prudens liber sit à casibus fortuitis: quare idem canit.

Nullum numen abest, si sit prudentia.

Alij Dijs Penatibus, alij Lari, alij Genio curam horum successuum committebant. Seneca in epistolis, singulis hominibus assignat Deum pædagogum, qui eos in omnibus instruat. Vt summatim dicam, velut cæci vbique impingebant, & longè à vero opinabantur. Nos verò, quibus fidei aurora illuxit, hos effectus Angelis custodibus acceptos referimus, & gratias agimus pro vigilia diligenti. Id Iacob expressit cum Iosephi liberis benediceret: *Angelus*, inquit, *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Gen. 48. Iudith partâ de

Holo-

Holoferne victoriâ, & capite tyranni onusta cum Bethuliam reuertisset, ait: *Viuit Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem & ibi commorantem, & inde huc reuertentem, & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari* manibus barbaris impurissimi impijssimique Tyranni. Filijs Israël Dux erat Angelus *per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Huc spectant ea quæ supra attulimus, vt probaremus Angelos curam habere & iustorum & non iustorum.

Exod. 13.

Vt autem melius hæc beneficia cognoscantur, supponendum est Deum solicitè curauisse semper, vt homines in ciuitatem cælestem Ierusalem ciues adscriberet: & ex finibus ille non vltimus est, cur carnem humanam induere, & terram inhabitare voluerit, quia vbi Rex, ibi & regia esse dicitur. Et quantumuis non ita propriè ciues Cœli, vt Angeli appellari possimus, quia illi aliam patriam ignorant; desiderat tamen Deus, vt nos fruamur per gratiam, quo illi gaudent per naturam. Omnibus vrbibus, atque prouincijs, quæ sese Romanis subdebant, concedebantur priuilegia atque immunitates Quiritium, ita vt etiam qui in Iudæa aut Græcia nati erant, ciues essent Romani per gratiam, & Romæ honores atque munia

ciui-

ciuium obtinerent. Quod facile liquet ex Actis Apostolorum, vbi Paullus vinctus lictorem rogat: *Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare?* Quod cum lictor Tribuno indicasset: Tribunus verò ad Paullum: *Dic mihi si tu Romanus es? At ille dixit; Etiam. Et respondit Tribunus: Ego multa summa ciuitatem hanc consecutus sum.* Cum igitur extraneus esset, & peregrinus, officium tamen inter Romanos velut ciuis, administrauit. Itaque licet non simus quoque nos ciues Cæli per naturam, quia neque in Cælo nati, neque enutriti sumus, sumus tamen ex priuilegio & diuina indulgentia. Hoc est quod ait Paullus. *Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum & domestici Dei.* Idem dixit Angelus Ioanni iam procumbenti in genua, vt eum adoraret: *Vide ne feceris, conseruus tuus sum*, famulamur eidem Regi, gaudemus iisdem priuilegijs, viuimus iisdem legibus, accumbimus ad eandem mensam, vescimur eodem pane. *Panem Angelorum manducauit homo.* Hoc vno solo differimus, quod tibi ambulandum est per iter sentibus tenebrisque horridum, mihi non item. Via quæ ad nos tendit, vt nobis sorte & conditione pares sitis, difficilis, plena est pœnarum, atque insidiarum; adeoque periculosè angusta,

Act.22.

Ephes.2.

Apoc.19.

Psal.77.

vt multi cespitent & prolabantur in Acherontem. Quare æquum erat, vt Deus errantibus Ducem adderet, qui animæ deuianti aut non satis cautè sibi prouidenti inculcaret aliquando: Caue, quia in perditionem tuam rectà abis. Hanc curam inter se ac nos diuisit benignus Deus: ille quia summus Amor, Dux noster est; ille illuminat, gubernat; *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, & viam eius volet.*
Psal. 36. *Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Nunquam mouet pedem homo, quin præambulo Deus viam quasi sternat, scrupulos tollat, fossasque complanet. Si fors lapsus fuerit, non est periculum vt ceruicem frangat, aut cerebrum comminuat, supponit enim pro thoro illi Deus brachia, & cadentem in vlnas suas recipit. Interim taciti adstant Angeli, & si opus foret, mille concurrerent legiones, ad opem ferendam. Fremebat aduersus Elisæum Rex Syriæ quod astus suos, insidiasque Israëlitis frustra poneret, videlicet quas Propheta tam citò indicabat, quàm Rex concepisset. Cum ergo eum morari in Dothain cognouisset,
4. Reg. 6. *misit illuc equos & currus & robur exercitus: qui cum venissent nocte, circumdederunt ciuitatem. Consurgens autem diluculo minister viri Dei,* Giezi, *egressus est, viditq;*

exer-

exercitum in circuitu ciuitatis, & equos & currus: nunciauitq́ ei dicens: Heu, heu, heu, domine mi, quid faciemus? perijmus, perditi sumus. *At ille respondit. Noli timere; plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis. Cùmq́ orasset Elisæus, ait: Domine aperi oculos huius, vt videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus, equorum, & curruũ igneorum in circuitu Elisæi*; qui erat exercitus Angelorum. Et si tot militum cohortes mittit Deus in defensionem viri sancti vnius, quæ non castra muniet pro suæ Ecclesiæ protectione? ita nonnulli illud Cantici interpretantur; *quid videtis in Sunamitide nisi choros castrorum?* circumdata est Sponsa mea agminibus Angelorum, qui eam tuentur Circumstant autem flammei, vt denotetur promptitudo & feruor Amoris, quo nobis succurrere in omni necessitate desiderant. Simul vt Daniel in lacum Leonum missus est, aduolauit Angelus, vt obturaret ora Leonum. Et hanc ob caussam illi alas addunt pictores. Esaias vidit Seraphinos ante thronum Dei, & quilibet habuit alas senas. Huic consonat illud psalmi: *Qui facit Angelos suos Spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Angeli venti sunt, sunt ignes; venti propter agilitatem, qua subito aduolant ad auxilium; flammæ per le-

Dan. 7.

Esa. 6.

Psal. 103.

uita-

Ezech. 1. uitatem & Amorem. Ezechielis prodigiosa animalia habebant *aspectum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectum lampadarum.* Postquam Deus se mortalitate vestiuit, dicit Origenes super Lucam, creuit hæc cura atque Amor Angelorum ab exemplo Redemptoris. Si Rex aliquis luto immersum homuncionem obuiam haberet, quam bestia immunda supplantaret, ille verò ex equo subitò descendens, eruensque hominem, solatia etiam adderet, & blandientibus verbis Amoris signa multa daret, indubium est, aulicos Regis comites, imitaturos factum regium, si talis se casus offerret. Denique non tam curiosè respicit vllus Sponsus amasiam suam, aut salutis eius tam anxiè satagit, vt Angelus nostræ. Miratur Bernardus quomodo verecundia quosdã detineat præsente mancipio, nihil autem erubescant ad præsentiam Angeli, qui eis comes indiuiduus adest à primo vsque ad extremum vitæ anhelitum. Si aliquis ambiguus quærat, quomodo Angeli latus nostrum stipare possint continuo, cum Christus dicat eos in cælis semper videre faciem patris eius, in quo beatitudinis summa consistit? Respondeo cum D. Gregorio non esse in cælo per præsentiam realem: scriptura enim testatur Deum able-

Matth. 18.

...ib. 1. Mo-
...al. c. 2. &

gare

legare eos ad sua ministeria, & non eodem tempore in diuersis locis esse: verum ait illos in Cælo versari per contemplationem diuinæ essentiæ, quia Deus omnibus rebus adest præsens, & quolibet in loco potest Angelos beatificare.

Obstat his, quod in prima Petri epistola legitur, putà Angelos desiderare visionem sancti Spiritus. *Spiritu sancto misso de Cælo, in quem desiderant Angeli prospicere.* 1. Pet. 1. Sed huic difficultati obuiat S. Pater Augustinus, dicitque sacras literas loqui interdum de gloria, quæ desiderium satiat, & satisfacit, adimpletque penitam cum corde animam. de quo est illud Psalmi: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Psal. 16. Nulla res in Cælo, nulla in terra sedat famē meam aut sitim extinguit totaliter, nisi vna tua gloria. Cui respondent Lucæ verba: *Mensuram bonam & confertam & coagitatam & superfluentem dabunt in sinum vestrum.* vbi promittitur summi boni abundantia, cum alibi tamen dicatur gloria desiderium generare. Qui duo effectus licet prima fronte aduersari sibi mutuo videantur, nullo tamen modo contrarij sunt. Satietas enim ac desiderium alia sunt in Angelis & Beatis, alia in nobis: Nos cum saturi sumus, desiderare cessamus, immo non infrequenter fastidimus; sic verò deside-

mus, non vt saturemur aliquando, sed doleamus carere nos eo quod appetimus. In gloria vero satietas desideriumq; vna sunt, neque per satietatem desiderium, neque per desiderium satietas desinit. Non enim vllum in satietate tædium aut fastidium est, quod tollat desiderium: adeò vt Beati cum Angelis desiderent infinitum illud bonum, & fruantur plenissimâ cum satietate. Licet hic non bene conueniant aut morentur vna in sede satietas & desiderium, quia defectus contrarios annexos habent, nempe pœnam desiderium, satietas nauseam, suprà tamen ab omni defectu libera sunt, amica, & familiariter vna in mensa conuiuantur. Quod ad desiderium
1. Pet. 1. attinet, dicit Petrus: *In quem desiderant Angeli prospicere.* Quod spectat ad gaudium & satietatem fruitionis, dicit Christus:
Matth. 18 *Semper vident faciem patris mei, qui in Cælis est.*

Alterum beneficium Angelicum est, quòd à luce, quam primum nati aspicimus, ad vsque noctem, quam denati ingredimur, comes adsit spiritus, tam fidelis & verus amicus, vt nunquam nos deserat, licet videat profundo cœno immersos peccatorum. Quod genus Amicos hodie non reperies: eodem enim passu ambulant amicitia mundi & eius bona. Ad opes

cur-

curritur ſpiritu indefeſſo: paupertatem omnes oderunt peius cane & angue. Quibus Rex fauet, fauent vna lingua omnes: omnes ſpuunt in eum, cui Rex male velle videtur. Virginem ætate floridam, & forma decoram adorant omnes, omnes adamant, eius juſſa atque imperia omnes accipiunt cum libentia: vbi flos ille intercidit, & frons rugas contraxit, fortaſſe ſolens more ſuo imperare volet, ſed nemo obtemperat. Angelus verò, tanto in homines Amore rapitur, vt licet in xenodochio miſeros videat, à bona ſorte derelictos, naturæ & gratiæ donis ſpoliatos, videat ſordidatos, carbone atro atriores, nō deſerit tamen, non negligit. Et quod pluris æſtimandum eſt, Apoſtolus ſeruos eos nuncupat & *adminiſtratorios ſpiritus miſſos in miniſterium* hominum. quæ famulantium propria ſunt vocabula, vt non erubeſcant, aut dedignentur inſeruire homini abiectiſſimo, & nudiſſimo omnigenis bonis. Verum eſt magnam Amoris partem pendere ab eo, quod ignoret Angelus ad ſalutem né prædeſtinatus ſit, quem in tutelam ſuam accepit, an à Deo reprobatus: ſi enim ſciret clientem ſuum ſub vitæ finem cum Dæmonibus partem habiturum, habitaturum Acheronticum carcerem, futurum æternum Dei hoſtem, for- *Heb. 1.*

tasse non tam sedulo excubaret pro eo, non adeo curiosè obseruaret: sed quia omnia ei secreta sunt, & simul videt, Deum odisse quidem culpam, misericordiæ tamen oculum non remouere à peccatoribus; deinde nihil adeò in Scriptura sacra repetitum, experientiâ cognitum atque exploratum, vt est Amor Dei; præter ista, quia charitas Angelica infinitæ charitatis diuinæ aliquid participat, donec in animæ abscessu audiat peccatori nigrum mortis æternę Θ. dari, ne tantillum remittit de suo Amore.

Tertium beneficium. Quando per suggestionem Diaboli, aut mundi, carnisue instinctum, præcipites jamjam ruimus in peccati foueam, nulla mora adest Angelus, & motionibus, internisque adspirationibus pedicas nobis inijcere conatur, & sufflaminare currentes in perditionem. Neque vllus homo est, nisi de quo iam diu conclamatum est, qui non sentiat inquieti animi quosdam veluti pulsus, & trepidantis cordis frequentia verbera; quæ non nisi voces Angeli sunt, territantis hominem, vt sępe determinatam iam voluntatem retro ire cogat, & horrere à culpa, in quam toto animo ruebat. Non producit odium quidem, aut desiderium excitat, sed ingentem rerum catalogum obijcit

oculis, veluti per numerū arithmeticum, ingentem vim bonorum quæ deperduntur, myriadem malorum, quæ præ foribus sunt, imminentque peccaturo. Ibat Balaam ad maledicendum populo Dei; opposuit se Angelus in angustijs duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur, gladio euaginato. Clauserat Dominus oculos Balaam, vt ille non Angelum, sed asina sola videret, cui insidebat, & auertit se de itinere, & ibat in agrum. Non tamen ideo Propheta retrocedere statuit, immo frequentatis ictibus ad semitam redire compulit. nempe in proposito suo cæcus obstinatusque pertinaciter, & durior ipsâ bestiâ atque infractior peccator est. Iunxit se asina parieti, & attriuit pedem insidentis. at ille ingeminatis verberibus nihil de sua ferocia remittebat, donec illinc territa minantis Angeli & iam vibrantis gladio, hinc fracta rabientis fere viri acutis tunsionibus concideret sub pedibus sedentis. Quapropter vates pænè exiens de potestate mentis, totusque ardens furore, fuste latera eius cecîdit insanum in modum, adeò vt tantùm doleret machæram sibi deesse, quò illam exanimalem vitæ suæ redderet. Soluitque Dominus linguam asinæ, vt queri inciperet, se nimium duriter atque diriter, nulla de caussa, summa *Num. 22.*

Num. 22. cum iniuria ab hero tractari. *Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem in via euaginato gladio, adorauitque eum pronus in terram. Cui Angelus: Cur, inquit, tertio verberas asinam tuam? Ego veni vt aduersarer tibi, quia peruersa est via tua, mihique contraria, & nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti, te occidissem, & illa viueret.* Idem obtingit Angelo nobiscum, si quando ruimus præcipites in peccatum. Primum stricto minatur ense; & sic præsignat rigorem iustitiæ diuinæ. Non times deserere Redemptorem tuum, qui Amore tam grandi te prosequitur, qui tam largum imbrem gratiarum in te pluit, qui vibrat gladium, tendit arcum, leuat flagellum, qui te cum anima & corpore proijcere potest in extremas æternasque tenebras? Secundò in angustia viarum tibi obuiat, statuit te cogitatione, in mortis arctissima semita, non potes cursum retro flectere, non licet tibi annos præteritos repetere, frustra est omnis appellatio vt præsentes transeant, non valent preces vt viuas annos futuros. O quam seriò tunc optares non offensum à te Dominum, in cuius manibus vides pœnas & præmia, tormenta & coronas, æternam mortem & vitam. Tertio inter macerias duas multum angustas collocat, putà iu-

dicij

dicij & inferni, vtrumque timoris atque horroris plenum, tam necessarium tamen, vt nemo queat effugere aut declinare. Hæc Angelorum consilia ac minacriæ caussare solent tantum boni, vt resipiscamus frequenter à cœpto, & medio ex itinere reflectamus deuiantem pedem, lachrymantibusque oculis veniam rogemus Patrem misericordiæ.

Quarto benefici Angeli sunt, quia videndo nos neque potuisse hoc instinctu moueri interno, neque frenari his lupatis, sed fractis ceruicibus cæco impetu transilijsse limites recti, & diuertisse in hospitium ad peccatum; constitutam animam in nocte tenebricosa, quæ pro reliquijs fructus peccatoribus manet, consolator accedit Angelus atque ita compellat: Qui fructus tibi reliquus est ex flagitijs? Quid nunc habes, quia insensato appetitu in Amorem vilium abiectarumque creaturarum te demisisti? Si Dominus nunc te manifestarium furem in ipso actu deprehenderet? Si tibi vitæ filum subito præscinderet, quid de te fieret? neglexisti facultatem tuam, non fuisti salutis tuæ memor, vitam decurtasti, accelerasti mortem, thesaurizasti tibi iram in die vindictæ, deni- *Rom. 2.* que summum atque infinitum bonum

Deum perdidisti, & cum Deo omnia. oculos tuos aperi ô infelix. Igitur si dolorem pœnitentiamque differimus de die in diem, neque curæ nobis est monitor Angelus, qui terroribus, pœnis, casibus insperatis & repentina morte aliorum, morbis, melancholicis passionibus, doloribus (quæ omnia pro spinis sunt, quibus Deus obserit semitam peccatorum) denique omnibus modis nos excitat ad frugem, obtinget nobis quod Saluator prædixit in concione populo cuidam in via impia longius progredienti. *Arborem*, inquit, *fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat? At ille respondens dicit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora.* fortasse hactenus indiligens fui. *& si quidem fecerit fructum*, videbis & gaudebis; *sin autem, in futurum succides eam.* Vinitorem hunc esse Angelum custodem affirmant Sancti viri omnes. Vbi enim videt Deus nos esse arbores infrugiferas, inutiliter agrum Ecclesiæ suæ occupan-

Luc. 13.

tes, in quo alij plantati fructum producerent, iubet nos luce communi defungi; ſed tutor Angelus flexo poplite ſupplicat diuinæ Maieſtati, vt patienter expectet aliquantum: Domine, hoc anno illum exhortabor, increpabo, caſtigabo, excubabo pro illo noctes totas atque dies. Satisfacit Deus voto Angeli, qui ſubitò occurrens peccatori, ſeueris cordis pulſibus illum non ſegniter monet atque mouet. O cor ſacrilegum, ô anima excommunicata, proſcripta à Deo: Saluator tuus tam diu ſe fatigat te expectando, tu vero non laſſaris illum offendendo? Diuina clementia, pietas, patientia, longanimitas, benignitas, te ad pœnitentiam adducere debebant, vt addiceres te nouæ vitæ, promitteresque ſerio nunquam reuerti ad commiſſa ſemel flagitia; & tu ita ingrata, ita inuerecunda es, vt quotidie ad noua ſcelera tranſeas, accumules peccata peccatis, cathenã vnam flagitiorum facias; & à patientia eius offenſam auges, & pœnas coacerwas in judicij die. Poſtquam ingreſſi eſſent Iſraëlitæ in terram promiſſam, & tradidiſſet Deus vicinas gentes in poteſtatem eorum, quarum aliæ tributariæ manſerunt, aliæ penitus fugatæ atque exterminatæ ſunt, aliæ deletæ ad internecionem, aſcendit Angelus Domini de Galga- Rom. 2.

lis in campum latè patentem; & ad vniuersum populum longam orsus est orationem, cui subnexuit anacephalæosin seu reductionem omnium beneficiorum, quæ illi & antè maiores eorum acceperant de manu Dei, deinde scelera eorum quibus hæc bona malè compensauerant. adeoque potentibus verbis, & penetrantibus animum castigationibus vsus est, vt quam latus campus est vnus omnium lachrymantium eiulatus audiretur, & à gemitibus planctibusque eorum Cælum quasi ingemisceret, & iuuaret sono plangentes, omnesque publico atque vnanimi & seria protestatione fidem suam Deo addicerent, iurarentque sese abituros à semel malè initâ semitâ, & ad viam rectam transituros. Tam lachrymabilis planctus fuit, vt nomen loco dederit, & campus vocatus fuerit, *Locus flentium siue lachrymarum.* & addit scriptura: *immolaueruntque ibi hostias Domino. seruieruntque Domino cunctis diebus eius* (Iosue) *& seniorum, qui longo post eum vixerunt tempore, & nouerant omnia opera Domini quæ fecerat cum Israël.* Insuper internis animi cogitationibus proponunt Angeli vitæ breuitatem, falsitatem diuitiarũ, personatum vultum histrioniæ mundanæ, vitæ pericula & mortis, judicium, gehennam, & gloriam.

Iud. 2.

Sci-

Sciunt quid lucri nos faciamus seruiendo Deo, hoc enim nunc gaudent illi, quod nos speramus. Non ignorant, quid perdamus diuina mandata præuaricando: vident enim socios spiritus ex summo Cælorum in barathrum profundissimum præcipites datos esse, & nunc sedem occupare longe diuersam ab ea, quam appetiuerant. Quare se offerunt Deo, ad prædicandum; Domine, inquiunt, nos annunciabimus viam salutis. Supplicant Deo, & patientiam rogant, vt diem pœnitentiæ obtineant. Quando igitur vident aperiri oculos hominibus, & surgere ad verum animi dolorem, & seriam de commissis delictis pœnitentiam, toto Cælo festum diem agunt.

Quinto bene hominibus faciunt Angeli, quia orationes, jejunia, pœnitentias, & pia alia bonaque opera sistunt præsentantque Domino. Cum in Mesopotamiam abiret Iacob, *vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens Cælum: Angelos quoq; Dei ascendentes & descendentes per eam,* Hoc ex officijs Angelorum vnum est, offerre Deo virtutes & bona opera nostra. Domine, ecce; obsecro Majestas tua intueatur in tropæa & victorias, quas creatura vna infirma, fragilis, in terra obtinuit aduersus spiritus decem ex Gen. 28.

inter-

inferno robustissimos, qui in eum conjurauerant. Videat tua Maiestas diuina, num sanguis ille pretiosus fructuosè sparsus sit in monte Caluariæ, num beneficia, tametsi multa & magna rectè impēderis. Domine, Maiestas tua recipiat pro ijs vestimentum, quo nudū cooperuit, quia videre se credidit imaginē filij tui Iesu Christi. Domine, Maiestas tua intueatur in lachrymarū fontem quem perennē exprimit viduæ huius feruens oratio. Respice ad pœnitentiam huius monachi, qui viuit quasi mortuus, in carne, quasi extra illam, non aliter quam indigetum aliquis. Attende ad sacrificium illius presbyteri, qui facit memoriam tuorum mirabilium, memoriam tuæ passionis & mortis. Canonis verba exprimit iste: *Omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu diuinæ maiestatis tuæ.* Interdum quia lances parum mundæ sunt, parum quoque gratum est obsequium ministrantium. Deus benigne, quia manus meæ & cor meum non satis nitent in conspectu tuo, transeat hoc sacrificium ad manus puriores. Dicit Scriptura ascendisse & descendisse per scalam Angelos: non quod Angelis motus corporalis competat, sed quia nostri sunt in terra protectores, curant negotia etiam

nostra

nostra non aliter quam fidi amici aut fratres in Cælis: & sæpe preces eorum atque intercessiones suspendunt aut omnino tollunt diuinam vindictam. Quando inter aulæ magnates aliquis Regem offendit, commodum est, si amicum aliquem habeat, qui à cubiculis regijs est, & verbis mollibus aut precibus mitigare potest Regis offensi choleram. Id Angeli nobis præstant in aula Cælesti. Domine, quomodo audeam ego parere coram oculis tuis, qui tam largiter mihi, tam bene & voluisti & fecisti, contulisti plura beneficia, quam habet littus arenulas? ego verò pro his omnibus tibi mille reposui maleficia. Consolatur me, quod Amicos meos familiares in Cælo tibi Angelos esse sciam; sciam Diuos, & primam inter eos Virginem Matrem tuam, omnium & meam patronam, cum quâ Beati simul meas culpas deprecantur, & pro venia supplicant Clementiæ tuæ & Misericordiæ inexhaustæ.

Sextum bonum ab Angelis recipimus, quando ante thronum diuinæ iustitiæ queruntur de iniurijs, quibus pauperem opulentus, miserum Tyrannus afficit. Hoc Christus ipsemet testatur. *Ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia* quiuis eorum quantauis scabie prurigi- *Matth. 18.*

nosus,

nosus, ipso etiam Lazaro purulentior, habet Angelum indiuiduum comitem, *qui in cælis semper videt faciem Patris mei*: & confestim querelam mouebit super contumelijs, ludibrijs, oppressionibus iniustis, expedietque contra vos diplomata denunciatoria carceris & vinculorum. Sunt non pauci, qui tam vili æstimant miseros & abiectos, vt vix pro hominibus agnoscant, & eodem in pretio habeant seruos & canes suos: & tamen clamat Dominus. Caue here tractare mancipia tua in eum modum, quia tibi asseuero, quod Maurus ille, qui ferro obuinctum collum circumfert, & cruribus ambulat cathenatis, quem vides prodire è stabulo, & strigilem manu tenere, cui non aliud nomen quam canis dare didicisti, habeat comitem Angelum, qui lamentatur queriturque coram Altissimo, tam vili pendere te eius minimos. Huc spectat, quæ apud eundem Matthæum est Christi parabola. Rex, inquit, fuit, qui *voluit rationem ponere cum seruis suis. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta. Cum autem non haberet vnde redderet, iussit eum Dominus eius venumdari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autem seruus ille orabat eum dicens: Patientiam habe in me, &*

Matth. 18.

omnia

omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum & debitum dimisit ei. Egressus autem seruus ille inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum dicens: Redde quod debes. Neque misertus deprecantis, *abijt & misit eum in carcerem. Videntes autem conserui eius quæ fiebant, contristati sunt valde: & venerunt & narrauerunt Domino suo omnia quæ facta fuerant. Tunc vocauit illum Dominus suus, & ait illi: Serue nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonné ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoad vsque redderet vniuersum debitum.* In qua parabola nota eos qui apud Regem questi sunt, non habuisse curam male habiti serui, sed solâ commiseratione ducti sunt: quid igitur facient, imò quid non facient Angeli, qui pauperibus Patroni dati sunt? Ne date vnquam sinistrum responsum misellis hominibus, alioqui nomen vestrum deferent accusabuntque apud Deum (non satis recte loquor) apud Patrem eorum, inquam: in hoc enim tribunali pauperibus Angeli patrocinantur, Pater judicat. Quare non dixit Christus; Angeli eorum in Cælis semper vident faciem Dei sed Patris; indicans quam certa & grauis vindi-

cta sit futura, quam sumet de filij sui inimicis. In aula terrena nemo pluris habetur, quam cui Rex fauet plurimum: si quando regiâ excidit gratiâ, desinit quoque esse apud alios in pretio. hac ergo de caussa non vexate aut molesti estote inopiosis homuncionibus, quia magni æstimantur in Cælo. Qui à cubiculis Regi seruiunt, etsi magni sint, cedere tamen debent ijs, quos à secretis suis Rex habet: neque enim omnibus ad eum & semper liber aditus est. Cum verò libellus illis aliquis offertur, sæpe primum conclaue recludunt, vt ij qui foris morantur & pendent à Regio responso, credant eos Regi loqui familiariter: at miseri pòst illi Regis sententiam accipiunt super scripto, quod nullus Rex vidit. ita falsam de se hominum opinionem conantur non deperdere. Angeli vero nostri semper assistunt, semper memoriales libellos offerunt, & præsentes queruntur, & pro vindicta contra pauperum oppressores interpellant.

Septimum beneficium est tristitiæ melancholicam nubem depellere, labores subleuare, & gaudio reficere solicitos. Oculis semper-vigilibus excubate aduersus famem, sitim, terræ sterilitatem, ac vitæ securitatem quærite; nulla ea vsquam est, inutilis erit ista quæstio: immò vnde tran-

quillitatis ſperabatur occaſio, turba naſci ſolet & mœſtitia. Quomodo enim expectes lætam vitam, ex qua tot luctuum quotidie noui fontes ſcaturiunt? Nihil plus alijs omnibus habet juſtus, deperditos annos, tempus male collocatum, inanes ſuos labores eſſe queritur: *Triſtitia*, inquit Apoſtolus, *mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo.* Stimulus doloris immenſi intimam animam mihi pungit: quia tempus mihi ſine fructu effluxit, video fratres meos incidiſſe in laqueos & caſſes, produci dies exilij mei, incurrere nouum quotidie moleſtiarum agmen: deniq; tot mala ingruunt indies, vt ad plorandum nulla ſatis lõga ſit vita. Officium vero Angeli eſt detergere atq; exſiccare lachrymas afflictorum, ſolari, auxilium polliceri, ſpem addere. Quam tragicum fuit Abrahami ſpectaculum. Brachium leuauerat, enſem ſtrinxerat, focus lucebat, filius inſons flectebat pro victima, filius inquam patri plus oculis ſuis dilectus; ſub ictum exclamat Angelus, ferientiſq; jam patris brachium apprehendens, oſtendit agnum, quem vicem filij ſacrificet. Solatio quidem fuit Abrahamo hoc factum Angeli, ſed tamen quia joci aliquid immiſtum habere credebat, mõti nomen impoſuit, *Dominus videbit.* Vbi notat Rupertus per anticipationem no-

Rom. 9.

Gen. 22.

Lib. 9. ſuper Gen. cap. 18.

men hoc monti datum esse, impletum autem, quando eodem in monte Christus mortuus est: qui, vt in traditionum lib. adnotat Hieronymus, pluribus vocibus appellabatur. Quasi diceret Abraham. Hic iocus Amico diu ante præluditur. Iucundum fuit Deo videre me anxium, cursitare tristi animo continuos tres dies, & locum hunc inquirere. Volupe illi fuit cernere promptum animum atq; obedientem filij mei. libens adspexit aram, ligna, ignem, gladium. Quare *Dominus videbit.* videbit in monte hoc experieturq; in se verè, quod mihi quasi per ludum accidit: hoc præludium est eius tragœdiæ, quæ post exhibebitur. Vt summatim omnia dicam: deleuit ex animo eius nebulas omnes tristitiæ, lætitiaque pectus eius serenauit. Bonus ille senecio Tobias viuebat omni solatio destitutus. cæcitas illi jucundam lucem Solis ademerat; delicias ætatis grandæuæ filium habebat locus peregrinus: & tamen cordis angustias explicatâ & virili frõte, vt potuit, dissimulabat. Sed mater, vt sexu naturaque infirmior, parum distans ab insanâ per vias publicas quiritabatur; *Heu heu me, fili mi, vt quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ?* ...b.1.
Angelus Raphaël cispellit vtriusq; mœrorem;

rem; reddit oculos patri integros, filium matri, adeoque obligauit totam domum suis beneficijs, vt nescirent, quibus gratijs illi respondere. Agar deficiente aquâ, & cum aquâ filio, ipsa quoque cum aquâ & filio animo cœpit deficere, *abijciensq; puerum subter vnam arborem, & contrà sedens leuauit vocem suam & fleuit: vocauitq; Angelus Dei Agar de Cælo, dicens: Quid agis Agar? noli timere: exaudiuit enim Dominus vocem tuam, & pueri de loco in quo est. Surge, tolle puerum, quia in gentē magnam faciam eum. Aperuitq; oculos eius Deus, & puteum aquæ* ostendit. Gen. 21.
Turbauerat Danielem visio arietis & hirci terribilis, in quo Antichristi regnum figurabatur; suspensum quoque tenebat eum reuelatio *septuaginta hebdomadarum post quas finem acciperet peccatum, & delenda erat iniquitas, & vngendus sanctus Sanctorum.* Submisit vero Deus Gabrielem Archangelum, qui Prophetæ visionis mysteria omnia interpretaretur. Corruentemque Prophetam erexit Angelus, & pristinis viribus restitutum solatus est, docuitq; quæ ventura erant in nouissimis diebus. Angelus Præambulonem Christi Ioannem Baptistam annunciauit; annunciauit Saluatorem. Natum Christum deprædicarunt Angeli, Cælumque & terram multiplicatâ vocibus Musicis gloriâ impleuerunt. Euā- Dan. 8. 9. & 10.

gelium hoc ab Angelis paſtores accepe-runt; mulieres ab ijſdem gaudium reſurre-ctionis. Videntur cum Deo pactum ſecre-tum inijſſe, & ſupplicauiſſe, vt nihil donet hominibus, cuius illi nuncium nõ appor-tent, vt lucrũ reportent & præmium. Neq; tantum in hac vita triſtitiam nobis abſter-gunt, ſed in purgatorijs quoq; flammis ad-dunt ſolatia, viſunt animam torminibus afflictam, oſtenduntque quam breues ſint pœnæ, quã certa ſpes, fugitiuum tempus, præmium grande, miſericordia Dei multa, portus ſecurus, & jam pericula omnia ſu-perata. hac formulâ blandiuntur animis tantum non oppreſſis, & leuant magnam partem tormentorum.

Octauum beneficium eſt. Vinciunt An-geli, incarcerantque Dæmones, noſtri per-ſecutores atque hoſtes crociſſimos, ſi di-uinæ gratiæ ope adiuti nõ negligimus ſan-ctas eorum inſpirationes. Dæmones enim doctiſſimi Aſtrologi, obſeruant ſolicitè quò maximè propendeat animi noſtri in-clinatio: hanc importunè ſolicitant, exſti-mulant, & quò ſponte ſua quaſi rapitur, magno impetu propellunt, & reportant non raro de nobis ſuperbiſſima tropæa. Quare cognitu facile eſt, quis quem Dæ-mon hominem plurimum perſequatur: & hunc incathenat Angelus, quando locum

dari

dari videt suis inspirationibus. Elegantissimam historiam dictant sacræ literæ. Erat *Sara filia Raguelis in Rages ciuitate Medorum, quæ tradita fuerat septem viris, & Dæmonium nomine Asmodæus occiderat eos, mox vt ingressi fuissent ad eam.* Tobias junior cogitans eam in coniugem sibi assumere, tutorem propugnatoremque suum Raphaëlem elegit, qui dixit illi: *Audi & ostendam tibi*, quomodo coniugium hoc tibi felix fortunatumque euenire possit, & quod septem prioribus accidit, tibi non contingat octauo. Animaduerte igitur, jam demonstrabo *qui sint, quibus præualere potest Dæmonium. Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus quibus non est intellectus; habet potestatem Dæmonium super eos*. atque ita septem illi perierunt. *Tu autem*, veluti Deum timens, & stirps non degener sanctissimorum parentum, *cum acceperis eam, ingressus cubiculũ* per tres dies continens esto ab eâ, & nihil aliud nisi orationibus vacabis cum eâ: ita fugabitur à thalamo coniugali Dæmonium, desiderioque tuo satisfiet, & *in semine Abrahæ benedictionem in filijs consequeris.* Cum ergo nuptialis nox aduenisset, & juxta cõsilium Angeli Tobias viueret, credebat Raguel cum suis non aliter illi successuras has

Tob. 3.

Tob. 6.

nuptias, quam septem alijs, quibus in matrimonium tradita fuerat. Circa gallicinium ergo surrexit Raguel, & auxilio famulorum fodit sepulchrum, cui Tobiam vtilli putabant, jam enectum mandarent. Sed nouorum conjugum orationem exaudiuit Deus, *& apprehendit dæmonium Angelus &* Tob. 8.
religauit illud in deserto superioris Aegypti: & sposis incolumibus gratulat⁹ pater, vicinis amicisq; omnibus solenne epulũ preparauit.

Nonum est. Protelant omnes hostium furores in vitæ vltimo articulo, animamque egredi de corporis ergastulo parantem egregiè defendunt. Verum est toto vitæ nostræ decursu sedulò prouident, vt ne ab inimicis opprimamur, horam tamen mortis obseruant diligentius, vt periculosissimam, quæ victores præmiat, victos cõdemnat. Propter continua prelia, quæ cum iuratis animæ hostibus committunt indefessi, vocantur in scriptura, *exercitus, legiones, castra,* quæ sunt bellicæ & militares voces. vbi in Psalmo habet communis textus,
Psal. 33. *Angelus Domini in circuitu timentium eum,* legunt alij, *Angelus Domini castra metabitur.*
Gen. 32. Iacob dixit: *Castra Dei sunt hæc.* Christus dicit, patrem se rogare posse, & exhibiturũ
Matth. 26. *plusquam duodecim legiones Angelorum.* & S.
Luc. 2. Lucas: *Facta est cum Angelo multitudo militiæ*
Cant. 7. *Cælestis.* Et sponsa: *Quid videbis in Sunamitide*

nisi

nisi Choros castrorum? Quod, vti suprà adnotatũ, de Angelis multi interpretantur. Deniq; militaria omnia hæc nomina sunt; ex quib⁹ collige vires hostiũ, & pericula quib. obijcimur; cum ad defensionẽ nostrã tam fortium militũ præsidio opus habeamus. Omnium tamen periculorum summũ est in mortis articulo: tunc enim insanissimis clamoribus perstrepunt Cacodæmonum improbissima colluuies; *Deus*, clamant, *dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum, quia non est, qui eripiat.* Cum sola instãtium pœnarũ meditatio Seruatori nostro in horto Getzemani sanguineum sudorem qui terrã depurpurabat vndiq; eliceret, & in extrema agonia cõstitueret; quod nihil aliud indicat quam pugnã inter sensitiuas potentias & rationalem, adeoq; opus esset ope Angeli, qui eum cõfortaret: quid mirũ sub finẽ vitæ hominẽ ingredi agonem, pati angustias, timore premi? nempe qui solicitus hæret de sorte sua, dubitatq; an frumẽtum esse debeat, ex quo panis fiat mensę diuinæ inferendus, an palea flammis æternis immittenda. Frangit animũ eius numerus peccatorũ. Bellum, quod ꝑ anima eius gerunt Angeli superi atq; inferi, auget angustias. Extẽplo custos adest cælestis, dubięq; animę auget fiduciã, & sperare jubet firmiter, in magna, quæ super omnia opera Dñi

Psal. 70.

 est,

est, misericordia. Quia multa licet & fœda sint scelera nostra, maior tamen eius clementia atq; pietas est; & vna vnica gutta sanguinis Iesu Christi superabundanter satisfacit ꝓ totius mundi delictis. Et quemadmodũ candela priusquã omnino consumitur atq; extinguitur, maiorẽ flammam excitat; ita æger videtur à solatijs Angeli maiorẽ accipere animũ, viresq; ad extremũ vsq; anhelitũ. Tunc eum oẽs homines deserunt, vxor, liberi, ꝓpinqui, affines, bona deniq; huius vitę: & quando vidẽtur abundè fungi suo officio, aduocant religiosũ aliquem aut sacerdotẽ, qui eum spirituali alloquio cõsoletur; sed Angel⁹ perpetuus illi socius adhæret, nõ derelinquit vnquã, non recedit ab eo vel latã stipulam. Quare occinit Ecclesia; *Occurrite Angeli Domini, suscipientes animã eius:* Cælo protinus delabimini ad auxiliũ huius animæ, quã totus mundus deseruit. Postquã anima corporis ergastulo soluta, dissipatas videt nebulas spiritualiũ oculorum, si Dei inimica moritur, casus ei paret nunquã visus, terga illi vertit custos Angelus, &, Abi inquit, maledicta à Deo anima, postquã frustra tot annos pepuli fores cordis tui, noctes diesq; tui curã anxius habui, terrui inspirationib⁹, horrorẽ infernaliũ tormentorũ incussi, imo non incussi, ferrea enim eras, & nescia flecti ad emen-

datio-

dationē. Si indignationis motū pati Angelus posset, grauissimè indignaretur animā perditam iri, quā ita vehemēti amore prosecutus fuerat. Si posset verecundiæ notam accipere, erubesceret ad conspectum Dæmonum superbè triumphantium de victoria acquisita. Ad hunc sensum dicit scriptura: *Angeli pacis amarè flebunt.* Quod conditionalem interpretationē habet: Si dari posset res aliqua, quæ lachrymas doloremque Angelis moueret; plangerent obstinatum pectus hominum multiplicantium culpas suas quotidie, multo magis lugerent pertinaciam in ijsdem morientium. Conuertit se ad socios Angelos, & cum Hieremia ingemiscit inanem à se operam datam. *Curauimus Babylonem, & non est sanata.* Atque ita respondere videtur tacitæ obiectioni, quasi nullum fuisset remedium aptum medicari ægrienti animæ. *Nunquid resina non est in Galaad, aut medici non sunt in Hierusalem?* Non est sanguis Christi in terra? non sunt Sacramenta, aut Sacerdotes? hoc est pretiosum balsamum, hi expertissimi medici, qui curant animam. hoc verò est responsum, *Curauimus Babylonem*, grandior fuit plaga, quam vt curari posset. Solicitudo adhibita est non exigua, medicamenta applicata pretiosa, medici multi defatigati in exa-

Esa. 33.

Hierem. 51.

Hierem. 8.

minando pulsu, non potest illi esse occasio querendi, non potest dicere se neglectam, aut non bene curatam: sed fateatur necesse est, parum sibi curæ fuisse suam salutem, lethalemque infirmitatem.

Beneficium postremum Angelorum est, quod duces sint ad æternam felicitatem. Si anima migrat ex corpore in gratia Dei, in amplexus Angelicos recipitur, auditque: Veni Sponsa Iesu Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus ab æterno præparauit. Si flammis adhuc purganda est, ab Angelico comitatu accipit solatium: *Ecce*, inquit, Dominus, *mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat te in locum, quem præparaui.* Vbi tria Angelorum ministeria significantur. primo sunt ductores & anteambulones nostri. Cum Tobias occurrisset Raphaëli quæsiuit ex eo, *an viam nouisset quæ ducit in regionem Medorum? Cui respondit* Angelus. *Noui, & omnia itinera eius frequenter ambulaui, & mansi apud Gabelum fratrem nostrum*, qui multâ patri tuo necessitudine conjunctus est, *& moratur in Rages ciuitate Medorum. Cui Tobias* vix capiens se præ gaudio, *ait: Sustine me obsecro, donec hæc ipsa nunciem patri meo.* In hac vita munus nostrum est itinerari, & hinc hospites, aduenæ, ac peregrini voca-

Exod. 23.

Tob. 5.

mur,

mur, qui *non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus*, tendimus ad patriam nostram, sed viam non satis rectè callemus, quia nunquam hoc iter ingressi sumus. Deus cum Adamum humani generis & mali primum autorem Paradiso excluderet, quasi præ foribus illum constituit, tum vt dolorem hoc illi augeret, tum vt non omnem omnino huius loci & voluptatis cognitionem amitteret: nos verò ita procul abijmus, ita omnem ex mente nostra eius loci memoriam ejecimus, vt neque iter, neque semitam, neque vestigium, neque regiam viam, neque ambages vllas sciamus, quæ huc nos euntes possint ducere. Nulla de salutis via cognoscenda nobis spes reliqua est, nisi Angelum interrogemus, an ille non possit nobis monstrare iter in Cælum? Respondebit scio, non ignorare se, & ambulauisse creberrimè, familiariter quoque se nouisse ibi Saluatorem nostrum, Virginem Matrem eius, nostram Patronam, & Sanctos intercessores. Secundum ministerium quod locus scripturæ supra citatus demonstrabat, est, quod Angeli nos protegant ac tueantur, vt clarissimis ante rationibus probatum est: In quo Deus manifestauit, quam curiosè salutis nostræ satagat, quanto in pretio habuerit animam, Heb. 13.

cui

cui Angelum creaturarum excellentissimum addidit custodem. Æternus Pater nobis donauit filium suum & Doctorem & Redemptorem, ipsum quoque Spiritum sanctum, Amoris certè infiniti clarissima testimonia: vt porro nihil reliquum in Cælo esset, quod donari posset, Angelum quoque custodem nostrum esse voluit. Saluator esse non poterat, quia non satis potens; non pignus, quia non satis tutum fuisset, socius ergo, & comes, & pædagogus datus est. Quid potuit amplius facere vineæ suæ, quàm ad omnem palmitem adhibere vnum ex ijs, qui ad Dei custodiam astant? S. Ambros. supra Psal. *Beati immaculati*; Terra, inquit, remediorum plena est, quia plena laqueorum. vbi alludere videtur ad frequentiam Angelorum, qui ad conterendos Inferni laqueos multi occupantur. Tertium ministerium, quod hoc loco indicatur, est, quod Angeli nos veræ nostræ patriæ restituant. In historia quæ de Lazaro, & epulone illo purpurato apud Lucam est, ita scribitur: *Factum est vt moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*, qui tunc paradisus erat iustorum: nunc vero in Cælum transportant animas, Deoq; presentes sistunt, cum laudabili quadam arrogantia ostentantes tropæum suum, iubilantes-

que

Matth. 17

Psal. 90.

Psal. 118.

quæ videre commiſſos ſibi clientes gloriæ diademate coronatos. Cum Redemptionis noſtræ myſterium adimplere Christus vellet, priùs illud in Cælo obtulit Patri æterno, & dixit: *Pater, venit hora, opus quod dediſti mihi vt faciam, conſummaui* propter amorem tui, & obedientiam, quam tibi ab æterno præſtiti; ecce regnum, quod mihi tradidiſti, reſtituo. Quot accepi, tot reddo tibi homines, inire potes rationem. nam *quos dediſti mihi, cuſtodiui: & nemo ex eis perijt, niſi filius perditionis.* Et quemadmodum Christus princeps ſacerdotum fuit, & *Rex regum ac Dominus dominantium, primogenitus ex* viuentibus & *mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens*, ita voluit quoque Angelis principari, adeoque Deo Patri rationem ponere de totius humani generis regno accepto, ex quo nihil deperdidit, vt cognoſcerent Angeli quoque non Chriſti culpâ reprobos datos eſſe in damnationem. Ad modum Principis ſui & Domini Angelus quoque dicit Deo: Domine, huius animæ curam mihi demandaſti, vt noctes dieſque pro ſalute eius excubarem: *opus conſummaui, quod dediſti mihi.* tametſi aliæ non paucæ in terris animæ defecerint & peſſum ierint, hæc in fidei petra immobilis conſtitit; immò tantillum cuſtodiæ illi exhibere obligabar,

Ioan.14.
1pet.19.
Rom.14.
Coloſſ.1.
1Cor.15.
Ioan.17.

quæ

quæ ſeipſam tuâ adiuta gratiâ tam ſedulò cuſtodiebat, vt nullam mihi moleſtiam addiderit: Domine reſigno eam in manus tuas, precorque ſupplex, vt qui tam liberalis omnium remunerator es, liberaliter quoque compenſes, quæ ab hac anima recepiſti, ſtolâ gloriæ indue eam, & ſic mihi quoque abunde curas meas præmiaueris.

Hæc ſunt beneficia, quæ in nos Angeli conferunt, propter quæ merito, omnem eis honorem, reuerentiam, atque amorem debemus. Tobias cum filio, adeò ſe Angelo Raphaëli deuinctos agnouerunt, vt perplexâ inter ſe conſultatione dubij dicerent: *Quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit eſſe beneficijs eius?* Et pulchrum erit, ſi nos dixerimus cuſtodibus noſtris Angelis: quæ ſatis magna gratiarum actio, quæ obſequia paria eſſe poterunt beneficijs ab Angelica manu receptis? Auguſtinus; *Scio*, inquit, Domine, *quod ingratitudo multum tibi diſpliceat, quæ eſt radix totius mali ſpiritualis, & ventus quidam deſiccans & vrens omne bonum, obſtruens fontem diuinæ miſericordiæ.* Si ingratitudo id efficiat, quid non faciet obliuio ita impudens, ita ſupina, infamis, fœda negligentia, vt hæc eſt, non amare, non ſeruire, non exhibere reuerentiam cæleſtibus

Tob. 12.

Solilog. 18.

bus ſpritibus, à quibus tam magna beneficia quotidie accipimus?

CAPVT XXI.

Proximo Amorem debemus.

DIuino Amori proximus eſt Amor proximi, quem Deus & naturâ & præcepto coniunxit. Interrogauit Dominum vnus ex Phariſæis, legis doctor, tentans eum: *Magiſter quod eſt mandatum magnum in lege?* Voluit Dominus hanc queſtionem moueri à Phariſæis in quibus minimum Amoris erat, ſicut à Sadduçeis illam de reſurrectione, quam negabant. Reſpondit illi Dominus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* adeoque magna ſunt; vt *in his duobus mandatis vniuerſa Lex pendeat & Prophetæ.* Videtur amplius reſpondiſſe Dominus, quam Phariſæus rogauerit, atque ita peccauiſſe in legem prudentiæ, quæ in reſponſionibus vetat multiplicare verba ſine neceſſitate. Quod de Chriſto affirmare nefas eſt atque impium. qui cum ſit ſapientia infinita, non poteſt vel in minimo verbulo

Matth. 22.

delinquere; sed indicare voluit alterum esse prioris mandati partem, aut interpretationem. quare dicit Chrysost. magis necessariam esse prædicationem Amoris proximi, quam Dei, quia ad Amorem Dei totus mundus nos excitat, totus vero mundus auocat auertitque nos à proximi dilectione. Posito hoc fundamento, conabor rationes varias adducere, quæ nos ad hunc Amorem inuitare queant: quæ à laudibus eius potissimum sumentur. tametsi fortasse melius foret honorare silentio eum, quem sermone nullo satis laudare possumus.

Prima ratio est. Quia Dei hęc vltima voluntas & testamentum fuit, quam abituriens ex hoc mundo lachrymantibus oculis, mœrentique animo Discipulis commendauit tanto vehementius, quanto fortius infiguntur audientium cordibus, verba in vltimo morientium spiritu prolata. Docent ratio atque experientia signum imprimi facillimè in subiectum mollissimum. In arena non est difficilis scriptio, sine magno labore cera sigilli figuram accipit: verum hoc grande commodum non est sine incommodo etiam grandi: facile enim tollitur, quod impressum est facile. atque ideo quę in chalybe, ferro, aut adamante sculpuntur, difficul-

tatem habent, sed durant. Exemplo tibi sit cor humanum: quod vbi citò amat, citò obliuiscitur, & quod non sine labore indipiscitur, seruat tenacius. In vna eademque re vnum idemque cor molle simul & durum inuenies, videlicet quando abit ab eo, quem verè amat. hinc quasi colliquescit, & fluidum est amplius quam cera igni admota: illinc ita induratur verbis valedictorijs, vt scribi in silice aut ferro videantur, & hæc sunt quæ viscera ipsa penetrant. Nulla est vidua quæ non habeat memoriam recentem verborum quæ vltima protulit maritus moriturus. Neque vllus filius, in quo gratitudinis signum aliquod natura posuit, qui non frequenter repetat consilia patris exspirantis. Dicit Apostolus inualidum esse testamentum, dum viuit, qui testatus est: sed vbi testamentum, necessarium quoque esse, vt intercedat mors testatoris. Si ergo testamentum exaratum in papyro valorem accipit à morte eius qui illud condidit: non durabit testamentum scriptum, non in charta, sed corde; scriptum non atramento, sed sanguine, ab Amico obeunte, vel abeunte? Animalibus quibusdam si fides historicis tribuenda est, cor, quod ex communi carne habent, post mortem ita indurescit, immò saxescit, vt illud non

Ad Heb. 9.

aliter quam ſaxum vocare poſſit, qui naturæ ſecretum ignorauerit. Si amans moritur morte magis viuâ, quàm amicus qui verè moritur: & valedicens ſentit dolorem maiorem, quam ſi mortem ipſam obiret; mirumne erit, ſi conglaciatur aut induréſcit cor, & verba quæ in eo adhuc molli ſcripta ſunt, ſeruet jam induratum, ad memoriam ſempiternam? Cum igitur hæc vltima Christi ad mortem ſeſe accingentis verba fuerint; in quibus velut compendium dedit ſermonum omnium, & orationum à ſe deprædicatarum; nihil magnum eſt, ſi animæ, cordiſque penetralibus inſideant, & æternum ſui ſculpant monumentum. Diſcipulorum ſuorum pedes abluerat, & quia factum eos admirari videbat, dixit: *Vos vocatis me Magiſter, & Domine; & bene dicitis, ſum etenim.* quare vobis quoque vt Magiſter lectionem jam jam præſcripturus ſum. *Si ergo ego*, ex Amore immenſo quo feror in vos, *laui pedes veſtros Dominus & Magiſter: & vos* ex Amore tali *debetis alter alterius lauare pedes.* Et cum multa in parabolis, varijſque ſignis myſteria profundiſſima aperuiſſet, omnia complexus eſt, dicens: *Hæc mando vobis vt diligatis inuicem.* Videbat eos grauiſſimæ ob futuram abſentiam triſtitiæ immerſos, & quaſi inſepultos

Ioan. 13.

Ioan. 15.

cogi-

cogitationibus imminentis mortis, quare nitebatur eos nunc verbis ſolatorijs, nunc paſſionis breuitate, nunc pollicitatione ſancti Spiritus confirmare: pro veſtra, inquit, conſolatione, ſi opus eſt, Cælum & ea quæ Cælo continentur, rogate Patrem meum; *Amen amen dico vobis, ſi quid petieritis, dabit vobis.* Denique poſt has aliaſque rationes, quas in dulciſſimo hoc alloquio profatus erat, quando vidit triſtitiæ nubilo obducta corda eorum, perennibus lachrymis pæne corruptos oculos, pectora inſtar liquentis ad ignem ceræ, emollita: *Hæc*, ait, *mando vobis, vt diligatis inuicem.* Diſcipuli mei, ſexcenta & tredecim præcepta obſeruet Hebræorum Synagoga, ſi fieri poteſt, in memoriam reuocet quotidie atque exerceat ceremonias Exodi atque Leuitici; omnes vitæ ſuæ dies terat in quærendo, quo temporis momento in ara ponendum ſit incenſum, cuius coloris vellus habere debeat immolandus agnus; ſtudeat quomodo capræ aſſandæ, vituli coquendi ſint: totum denique teſtamentum ſuum peruigili cura ac ſtudio ſcrutetur, meum in vno digiti vngue totum perſcribi poteſt, & paucis literis abſoluitur, *vt diligatis inuicem.* Nõ amplius duodecim aut quindecim horis vitæ conceditur mihi ab inimicis: populus vniuerſus cum Prin- Ioan. 16.

cipibus ac Sacerdotibus edixerunt sententiam, reum me scripserunt, & hominum consortio proscripserunt: cras hac hora animam exspirauero, piget me viuere, lux oculos meos offendit, mortis desiderium me totum absorbuit; si vos deuinctos mihi aliquo pacto habeo, ostendite & probate in hoc, *vt diligatis inuicem.* Patriarcha Iacob è viuis sublato, crediderunt filij, fratrem suum Ioseph posse in memoriam reuocare iniurias, *& reddere eis omne malum, quod fecerant. venerunt ergo ad eum & proni adorantes in terram, dixerunt: Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus, Obsecro vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati atq; malitiæ, quam exercuerunt in te.* Emolliuerunt viscera Ioseph hæc verba, genasque eius madidauerunt pleno flumine lachrymarum. Et quem non mouerent hæc verba, verba prolata à patre tam bono, tam bene amato, & in vitæ hora extrema? Eadem proponere possumus Christianis omnibus, quæ paullo ante passionem suam Iesus Christus Pater & Pastor noster discipulis, & fidelibus omnibus dixit: Discipuli mei, ecce venit hora vitæ meæ nouissima, vnũ vobis mandare volo prius, quam moriar. Manda ô benignissime Iesu: maledictus esto ille, qui non audierit atq; obedierit

Gen. 50.

dierit præcepto tam boni patris, dato tali tempore. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*: vt obliuione sepeliatis injurias omnes, quæ vobis illatæ sunt. Certe indignus est nomine filij, qui datum sic præceptum patris tam beneuoli negligit. *Ioan. 15.*

Altera ratio est. Quia huic Amori Deus promittit præmium summum, quod donatur legem vniuersam conseruanti. Apostolus, *Qui diligit*, inquit, *proximum*, *legem impleuit*. Nolo hic loqui de præmio, quod in altera vita exspectamus, quia neque illud oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis cuiusquam vnquam descendit, atque ita linguâ exprimi non potest: tantum sermo mihi erit de eo, quo in hac vita fruitur, qui hunc Amorem possidet. Primò venit ad hominem & mansionem facit in anima eius tota Trinitas sanctissima: quare qui hospitem tam locupletem habet, non potest non locupletari. Cum ergò lux sit, tollet glaucoma oculorum, & splendoris sui radijs illustrabit; quia ignis est, expurgabit: quia panis vitæ æternæ, vitam quoque æternam dabit: quia fons aquæ viuæ, sitim extinguet, fœcundabitque cordis aruum: denique quia omnium thesaurorum thesaurus, & bonorum omnium bonum optimũ maxi- *Rom. 13.*

mumque est, elargietur sui partem, à cuius micis solis ita repleberis, vt nihil aliud desiderare possis aut velis. Secundo addit promissum, quod non potest, nisi à Deo proficisci. Si mandata mea seruaueritis, obtinebitis quidquid desideraueritis: non est nisi rogato opus; *petite & accipietis*. Quid huic bono æquiualere queat? minores sunt thesauri omnes, præ hoc regna sordent. Reges optant sibi, quæ impetrare nefas est, animo tendunt, quo nunquã corpore attingunt, & cum hoc desiderio, immò non raro ex solo hoc desiderio moriuntur. Multos grandesque animi motus impetuosos reprimere debuerunt Imperatores, quia vires sibi opesque deficere animaduerterunt. Verum qui legem meam seruauerit, dicit potentia infinita, cui nihil obuiare potest aut refragari, si quidquam appetiuerit, petendo obtinebit: *dilata os tuum*, dicit Dominus, *& implebo illud*. & Psalmistes; *replet in bonis desiderium tuum*. Neque solicitum te reddat, quod gratiarũ vberem messem à liberali patre acceperis, quia infinitum sine termino est, neq; vnquã rogando frustraberis. Si lubido tibi est Solis cursum sistere, aut retro flectere in ortum, vide quid Iosue atq; Ezechias impetrauerint. Si vis montẽ tibi locum dare, & cedere, vade ad Thaumaturgum, & audi quid dicat apud Mat-

Psal. 80.

Psal. 102.

thæum

thæum Christus: *Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc: & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* Si in feras imperium postulas, jam id multi Sanctorum exercuerunt: si in mare & ventos, tibi obsecundabunt. Scribit D. Hieronymus de S. Hilarione, quod cum mare olim exæstuaret, superatoque littore nouum diluuium vrbibus multis, populisq; minaretur, Beatus Abbas signo Crucis præuio jusserit continere se intra terminos à Deo præscriptos; vndatimque ascendentes aquæ crystallinos quasi montes vsque ad Cælum erexerint, viroque sacro obtemperauerint. Gestit Deus mirabilia sua patefacere, nam præter honorem & commodum quæ homini obtingunt, resultat in Deum multa gloria. Hinc Bernardus; nulla, inquit, res magis Dei omnipotentiã manifestat, quam facere omnipotentes eos, qui sperant in illum. *Matth. 17.*

Tertia est; Quia hic Amor ita naturalis est, vt debitum quasi sit & vectigal à natura pectori humano impositum, quod omnes soluere coguntur: ita vt regula hæc nullam exceptionem patiatur. Patet in eiusdẽ speciei creaturis etiam inanimatis. Aqua aquã nunquam oppugnat, imò coniungitur illi, & quasi amantibus vlnis complectitur. Signa certe Amoris sunt, quæ non etiam

ignratque aëri ostendit. Nazianzenus pro exemplo dat magnetem, qui amicitię quodam motu naturali & arcano ferrum ad se trahit. Idem clarum est in volucribus aliisque animantibus; lupus nō ruit in lupum, aut leo in leonem: neque serpens inuenenat aut internecat serpentem. Solus homo & lupis & serpentibus & leonibus truculentior est. Eusebius Emyssenus ad illa verba Isaiæ: *Calamum quassatum non conteret*, dicit volucres illas, quę cum Solę regionem mutant, portare infirmiores in alis: ceruos ambulare gregatim, inualidos claudi medio agmine, quo à venatorum jaculis securi sint; & sæpe animaduersum fœtus impotentes sedere inter matrum cornua, quamdiu intra periculū essent; & quando ad pascua flumen tranandum est, pontem veluti sternere, deponendo caput in tergū prænatantis, quia grauant cornua, & magnum addunt natantibus impedimentum. Dicit Augustinus, frequenter mutari inter eos ductorem, quod facile defatigentur. Et alibi, confundit nostrum cum Amore aliorum animalium, adducitque in exemplum vaccas, quæ lactant vitulos etiam adultos, qui vt lac eliciant, capite in matres impingunt: sufferunt tamen dolorem matres, & discedentes fortè vitulos reuocant etiam suo mugitu.

Isa. 42.

Tract. super Ioan. 8. c. 3. q. 28.

Pro-

Probat etiam Amorem hunc esse naturalem, quod fratres omnes simus, & ab vno omnes patre per rectam lineam descendamus: quod idem Deus noluit in animalibus esse aut Angelis. Dicit Augustinus, nihil in mundo esse, quod tantum discordiarum secum vehat, vt vitium, & è contra, quod pacem vnionemque conciliet vt genus humanum. Eapropter voluit Deus vnum omnibus patrem dare, à quo ceteri per propagines suas pronascerentur, vt sic ad vnum principium & originis suæ fontem respicientes, firmiorem seruarent amicitiæ nexum. Præter ista ipse naturæ autor Deus Amorem hunc cordibus nostris inscripsit, tam grandibus characteribus, vt nemo sit tam barbarus, qui non legat: quare lex hæc ab omnibus recepta est vniuersaliter, donec alia feratur huic aduersaria. Tales sunt humanæ leges, vna aliam destruit: Consul hic Quiritium scholas tollit omnino, ille in integrum restituit. Hanc vero Schytæ etiam nudi & positi in vltimo cardine mundi Garamantes, & impij canum feliumque adoratores confirmabunt. Denique nemo homo tam stolidus est, qui non gaudeat amari ab omnibus. Cum ergo videatur illi hæc lex non iniquè lata in alios, se quoque subijciet tam rectæ legi; nam ex-

De ciu. Dei lib. 12.

leges viuere animantes possunt, homines non possunt. Traianus Imperator iussit Prætorem Siciliæ Plinium, delere Christianos omnes. Plinius verò respondit: Iussum tuum accepi Imperator, sed in prudentia tua vim ponens confidentiæ meæ, ausus sum quod imperasti, non adimplere prius, quam certiorem te redderem, cuiusmodi homines sint, quos vltimo supplicio damnasti. certe illi sunt, qui leges habent has & seruant, non occidere, non rapere alienum, nulli iniuriam inferre, denique amare omnes, odisse neminem. Ita vt debitum naturæ rectè Amorem dixerimus. Quod insinuare quoque Apostolus videtur, cum dicit: *Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* vbi S. Augustinus: Charitas, inquit, licet debitum soluat, non liberat tamen debitorem, sed magis magisque obligat. Creditores alij apocham scribunt, liberumque debitorem fatentur: Charitas verò semper mancipes sibi tenet, manibusque addit manicas, pedicas pedibus, quia non nisi cum vita satisfit debito. Generale tributum est, quod quia maxime proficuum est generi humano, omnes homines obligat: nam sicuti ad bonum Reipublicæ aut Regni vectigales subditos faciunt Reges: ita ad salutem humani ge-

Rom. 13.

neris

neris omnibus hominibus natura impoſuit vectigal Amoris.

Quartam rationem facit ſpiritualis fraternitas. Dicit Auguſtinus; Quà homines ſumus, fratres ſumus, quia parentes eoſdem Adamum atque Euam agnoſcimus: quà verò Chriſtiani, multo magis fratres ſumus, quia præſtantiores parentes habemus Chriſtum atque Eccleſiam: adeoque tanto melior eſt ſpiritualis fraternitas, quanto meliores hi parentes prioribus. Chriſtus apud Matthæum: *Patrem* inquit, *nolite vocare vobis ſuper terram*, qui vos corporaliter progenuit (non enim ille pater ſed vitricus eſt) *vnus eſt pater veſter qui in cælis eſt.* Porrò melior eſt mater Eccleſia, ex cuius ſinu hauritis vitam gratiæ, quam prior, à qua non habetis niſi eſſe naturæ. Deinde hæreditas, quæ in terra obtingit, non infrequenter ex præda eſt, & rebus malo lucro acquiſitis, quæ poſtridie in fumum euaneſcunt, & non durant ad tertiam quartamuè generationem: non poteſt autem in comparationem venire cum primogenitura illa, quam in Cælo adipiſcimur, quæ neque tempore corrumpitur, neque caſu interit, neque vllo pacto commutatur. Et ſi, vt Paullus ait, filij gaudent venire in partem hæreditatis paternę quę diuiſa in plures, multum decreſcit; at-

Lib. de diſc. Chriſt.

Matth. 23.

que imminuitur; & quia vnius patris filij sunt, & facultates vnas partiuntur, Amoris quasi mutuo vinculo obstringuntur: illi qui vnius in Cælo Patris filij sunt, & sperant singuli venire in partem diuitiarum infinitarum, quæ diuisæ in multos augentur atque excrescunt, quia Beatorum animæ omnes à felicitate aliorum plus gloriæ accipient, quanto magis amare inuicem tenentur? Præterea singulari respectu obseruant filij naturales eum, quem plus alijs pater diligit, aut quia similior illi est, (similitudo enim maioris Amoris caussa est) aut quia carius ei constat salus eius, lachrymis putà & sudoribus, quæ vera Amoris testimonia sunt; quo tu pacto respicies illum fratrem, quem tanto Deus Amore prosequitur, non tantum quia eum refert, est enim imago illius ac similitudo, sed quia tam magno constitit; pro quo non lachrymas tantum ac sudorem, sed ipsam vitam profudit. Dicit Apostolus: *qui dilexit me, tradidit semetipsum pro me* Ergóne ô bone Paulle, tibi soli mortuus est Christus? tu solus illo bono frueris? Ita dico, & tanto cum Amore pro me passus est, vt si necesse fuisset pro me vno solo mori, pro me vno solo mortuus fuisset. Et quomodo contemni poterit illud, pro quo effusum est pretium,

Gal. 2.

quod

quod est supra omne pretium? Mirum est Angelos tanti æstimare homines, amare, reuereri, custodire, pro ijs dormientibus noctes oẽs vigilare, homines verò Angelos parui pendere. Ambrosius velut Pastor oues suas alloquitur: Non minus, ait vos amo, quos generaui ex pulpito per verbum prædicationis, quam si vos genuissem per communem viam generationis. Basilius verò argumentatur ab Amore, quo feruntur erga se inuicem membra, auxilianturque, & tuentur sese mutuò, mutuisque damnis ac doloribus compatiuntur. Quod idem pro argumento assumpsit Paullus in epistolis ad Romanos & Corinthios: *multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Quam allegoriam deriuare poterat ad vniuersam Rempublicam Christianam, cuius caput Christus, nos autem singuli membra sumus. Chrysostomus adducit officia publica, quæ administrant homines, non sui caussa, sed pro communi bono proximorum. Descendit quoque ad lapides, qui concurrunt & quasi sibi mutuo succurrunt ad fornicem ædificij firmandũ. Quibus addit illud Paulli: *Charitas est vinculum perfectionis.* vocatque charitatem neruos, quibus corporis ossa compaginantur, clauos trabales, qui ædificij

Lib. de off.

Epist. 68.

Rom. 12.
1. Cor. 12.

Hom. 6. in Matth.

Hom. 7.

Coloss. 3.

lacu-

lacunaria murosque configunt; picem ac bitumen nauigij consolidamina. Omnibus tamen arctius firmiusque hanc fraternitatem stabilit Cælum, quo eam Christus sustentat, quod est propria eius caro atque sanguis. Omnes qui cum Lucio Catilina in perniciem vrbis Romæ jurauerant, vt refert Salustius, voluerunt ex vno calice sanguinem bibere humanum: quo significare volebant non remissuros quicquam de data semel fide, perpetuò vnanimes atque vnicordes fore, tametsi patrem, patriam, moresque non vnos haberent. Commentum fuit sæuitiæ humanæ, vt coirent in vnam Rempublicam crudelium hominum, non hominum. Ita pietas diuina vt amantium atque miserantium hominum fundaret firmaretq; Rempublicam, commentus est aliquid multo subtilius ac diuinius, vt nimirùm non tantum sanguinem eius omnes biberent, sed carnem quoque manducarent, vt vnanimes atque concordes amicitiam quoque inter se perpetuam seruarent.

Quinta est. Quod lex hæc ita breuis metiatur Dei voluntatem, vt nulla eius desiderium clarius aperuerit: quia non satis illi fuit sese Amore ferri in hominem, sed à toto mundo voluit hominem adamari. Leges quasi filiæ Principum, eorum conditio-

ditionibus non dissimiles sunt. Si legislator seuerus, ac militaris est, omnia tendunt ad tumultus bellicos, arma, carceres, supplicia. Si ferox ac crudelis, indignationem vindictamque clamant omnia. Verùm si lex fertur ab eo, cuius viscera Amoris ignis inflammauit, omnia spectant publicum bonum. Cœpit porrò simul vt mundum condidit, hanc legem promulgare. Bernardus super Cant. dicit Deum ideò non respexisse ad Caini munera, quia Abelum fratrem suum oderat. Apud Matthæum ait: *misericordiam volo & non sacrificium.* vbi non significat non gratum sibi esse sacrificium, sed ingratum esse proximi odium. Apud Marcum: *diligere proximum tanquam seipsum, maius est omnibus holocautomatibus & sacrificijs.* In veteri testamento, prohibitum est coquere hœdum in lacte matris suæ, & sanguinem comedere: præceptum verò, spicas inter metendum relinquere, quas pauperes postea colligerent, & in vindemia vuas quas peregrinis decerpere liceret. Vetitum offerre agnum recens natum, qui non matris suæ delicijs octo diebus fruitus esset: interdictum quoque eodem die agnum simul & matrem victimam facere. Mandatum vt anno semper septimo agri nouales essent, fructus quoque pauperibus

Matth. 9.

Marc. 12.

Exod. 23.

Leuit. 23.

atque

Levit. 23. atque animalibus concederentur. Quo ſpectant hæc omnia, niſi vt Hebræi ad miſericordiam Amoremque commouerentur, in quibus natura impietatis atque ſæuitiæ radices egerat. vnde in ſingulis mandatis notabitis adeò feruẽter miſericordiã Amoremque exegiſſe Deum, vt humanæ neceſſitati feſta ſua poſtpoſuerit. In lege Moyſis non licebat ſacra vaſa abluere in Sabbato, non adornare altaria, non ignem accendere; immo lapidibus obruebatur, qui die Sabbati ligna collegiſſet. Apud Matth. 12. Matthæum Chriſtus inquit; Audite, quid velim feſtis meis tribui; non volo ſic coli feſtum meum vt periclitantibus fratribus non liceat auxiliari: feſtum enim mihi eſt, benefacere vos hominibus, quos premit caſus aliquis neceſſitatis. Ita placuerunt, & iratum Deum ſæpe placauerunt aliquando viri ſanctiſſimi; & quo Deo gratiores, eo clariores fuerunt, perfectioresque in proximi dilectione; ſciebant enim non eſſe aliud medium accõmodatius aut efficacius, ad Amorem Dei lucrifaciendum. Certe auſus fuit Moyſes Exod. 32. dicere Deo; *aut dimitte eis hanc noxam; aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Sedit in pinnis muri ſemi-rupti & corrupti, defenditque contra Deum conantem ſtirpitus omnem Iſraëlem perdere:

quod graphicè Psalmistes depinxit. Optauit Paullus anathema esse à Christo pro fratribus suis. Omnis hæc imperterrita fiducia erat; in qua Amoris vim magnam ostendebant, dicebantque blanditias; Deumq; placabant, à quo laudē quoque & præmium expectabant: sicut ille quoque mereretur, qui animaduertens furere iracundia patrem aduersus filium, quem amat tenerè, & commota bile verberare natum, sequester venit, filiumque in patris gratiam restituit. Elias indignabatur animo aduersus populum suum: tantus enim zelus illius erga Deum erat; vt indignum judicaret conuersari cum hominibus: immò displicere illi videbatur; quod Deus adeo beneficus esset hominibus, quasi Dei indulgentia eos perderet; vti filios sæpe parentum conniuentia fecit deteriores. Semel ergo iterumque Deus Eliæ seuerum animum mitigare, iræque eius moderari conatus est. Primò postquam Prophetas Baal quadringentos ille ipse propriâ dexterâ occidit: quod facinus à crudelitatis opinione zelus tantum vindicauit. Intelligens enim quod Iezabel iniquo animo ferret, & non ignorans quàm fera sit mulier quam atra bilis agitat; profugit ad montem, in quo tantus eum mœstitię inuasit turbo; vt ad solatium

Psal. 105. Rom. 9. 3. Reg. 18.

V eius

eius Deus aduenirent & rogaret: *Quid hic agis Elia?* Domine quid agere queat homo proſcriptus? *Altaria tua deſtruxerunt, Prophetas tuos occiderunt, & derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam vt auferant eam.* Dominus: *Egredere* de cauerna tua, *& ſta in monte, coram Domino:* volo à te videri. Poſuit ſe Elias ad latus montis. *Et ecce Dominus tranſit:* præibant cuſtodes Domini, robur exercitus magni, pedites, equites, baliſtarij, cataphracti; *inde ſpiritus grandis & fortis* æquans itinera omnia, *ſubuertens montes, & conterens petras ante Dominum: & poſt ſpiritum commotio,* quæ terram ipſam à fundamentis leuare videbatur, atque aperire chaſmatibus terribilibus. *& poſt commotionem ignis,* qui voraci flammâ conſumebat omnia. *& poſt ignem ſibilus auræ tenuis.* Vbi textus indicat aduenisse Dominum. Fuit hæc præfiguratio ſtatuum, quos habitura erat Reſpublica illa, & conditionum, quibus poſtſecuturi Principes Haſaël, Iehu, Elizæus eam eſſent adminiſtraturi. Et Dei quoque typus fuit, qui poſt omnes venturus erat non in ſpiritu grandi, aut terræ motu, aut igne, ſed in aura ſuaui & quaſi blandiente. Antè Elias cælum cõcluſerat, & nubibus ſeram induxerat, clauemque dependerat ad cingulum ſuum, adeo vt Deus videretur illi ſubditus eſſe

3. Reg. 19.

atque

atque obedire: ita justis amicus est. Conabatur Elias per famem veluti funem trahere populum ad cognitionem, ac cultum Dei: & licet Deo placeret zelus viri, putauit tamen medium nimis seuerum esse, atque ipsum Eliam exstimulare fame atque inedia cogitabat. Iussit eum morari ad ripam torrentis, quem scriptura Carith nominat, præcepitq; coruo, vt pasceret eum, quotidieque panem ordinarium apportaret. Vbi pij viri interpretantur factum, putantque Deum ita voluisse mouere Eliam ad clementiam. inter omnes enim volucres nulla coruo crudelior est, qui pullos suos recens natos deserit, & Deo commendat. At illi à naturæ prouidentia hianti rostro cibum postulant, & audiuntur: producit enim generalis mundi administra natura muscarum quoddam genus, quod circumuolans in aperta eorum rostra inuolat, & seruit pro nutrimento. Vnde Deus quasi monere videbatur Eliam: Pius esto in fratres tuos, ecce coruus natura sua crudelis in te pius tamen, arguit te damnatque nimiæ seueritatis. Si crudelia viscera tui miserentur tamen, tua quæ humana sunt, cur humana esse prohibes? Tandem frustra seruiebat Eliæ pro cellario coruus: paullo post riuulus quoque ille exaruit; & Dominus ad eum: *Surge & vade in Sarephta Sido-* 3.Reg. 17.

niorum, & manebis ibi, præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt pascat te. Surrexit & abijt in Sarephta. Cumq; venisset ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna. Cogitate obsecro, quo vultu eam adspexerit. Verùm quàm inops, tam liberalis erat: quę cum nihil haberet, *nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paullulum olei in lecytho*, pararetque illud sibi & filio, vt comederent & morerentur, omne cum seruo Dei partitus est liberalissimè. Sed optimè remunerauit hanc mulieris pietatem Deus: Hydria enim farinæ non defecit, nec lecythus olei imminutus est, donec pluuiam daret Deus super faciem terræ. Bene agebatur cum Elia, fiebatque satis cordi illius, quòd vindicaret se de cholera, quam populus illi mouerat: donec inopina morte filius viduę iaceret extinctus, quę plena doloris atque angustiarum ad Prophetam conuersa: *Quid mihi*, inquit, *& tibi vir Dei? ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?* Hærebat obstupidus Vates, & visũ illi miraculum potius, quàm casus naturalis, ac suspectas habens Dei cogitationes, dixit: *Domine Deus meus, etiamne viduam apud quã ego sustentor, afflixisti, vt interficeres filium eius?* Capio, Domine, quid velis: vt mihi bene à te fiat, opus est, vt ego quoque be-

ne

ne huic populo faciam . Tantumq; abfuit, vt diceret, Ne pluat fuper terram; vt etiam afcenderet in verticem montis Carmeli & pronus in terram poneret faciem fuam inter genua fua & veluti in globum fe curuaret; quæ formula quafi erat Deo culpam fuam fatendi. Hebræi enim qui in feruos fuos aniamduertere volebant, in hunc modũ eos vinciebant. Quod expreffiffe videtur Dauid cum diceret: *Ecce in flagella paratus fum.* Domine, ecce me, velut mancipium denudatum cum flagro in manu, ficut Monachus præparatus fum ad difciplinam. Alludit ad illud quod Iob ait, cum tyranni feritatem depingeret: *Terrebit eum tribulatio & anguftia, vallabit eum ficut Rex qui præparatur ad prælium*, alia lectio habet, *ficut vir qui præparatur ad gyrum.* ficut mancipium agnofcens delictum fuum, procidit ad pedes Domini fui, demiffoque intra genua capite, dicit: Puni, & fume quam vis de me vindictam Domine, peccaui & reum me fateor. ita Elias: Erraui Domine, non rectè me geffi, pœnam grauem meritus fum fateor, propter famem, quâ vexatum volui Ifraëlem: ecce me, culpã agnofco. Simile quoque Ionæ contigit. Sedebat fub vmbra hederæ, vt expectaret quid accideret ciuitati, quam Dominus fubuer-

Pfal. 31.

Iob. 15.

tere cogitabat. Et vermis arrosit eius radicem, & Solis æstas adussit folia, denique ipsius Prophetæ caput: tantumque Ionas afflictus est, vt veniret Dominus cum eo in iudicium, & bilem eius desideriumque temperaret.

Sexta est commodum bonumque huius legis. Omnes omnium Rerumpublicarum leges à quibuscunque latæ semper in pacē concordiamq; ciuium directæ sunt. Adeò, vt nullum mandatum validum esse queat, nisi in commodum Reip. ordinetur: quæ tunc bene administrari dicitur, quando cuiuis securè licet ambulare, neque vis vlla timetur aut tyrannis, præterea justitiæ ratio habetur, vt nemo famem, nemo penuriam patiatur. Dei Resp. principiū habuit in Abel, & non desinet nisi cum ipso mundo, tantum leges secundum tempora mutari visæ sunt. Prima lex naturæ, pòst scripta fuit, nunc vero lege gratiæ fruimur. & quemadmodum finis aliarum Rerumpublicarum est homines vitę suæ securos reddere; ita Christianæ Reip. finis est certam facere gloriam. Aliæ per leges pacem inter ciues: Ecclesia per pacem fidelibus Cælum procurat. Ante Messiæ aduentum in hac Republica grandis erat legum etiam difficilium numerus, quare legem veterē Paullus *iugum seruitutis*, nouam, *libertatē* vocat.

Gal. 5. Rom. 6.

Et ad Coloſſenſes, *Induite*, inquit, *vos, ſicut electi Dei, ſancti & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam; ſuper omnia autē hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis*, & velut manicæ, quibus ſeruus Dei arctiſſimè ſtringitur. Vt in carcere noxij ſine metu detineantur, nō ſatis eſt pedes vincire, adduntur vincula manibus: quia non eſt ferrum aut chalybs adeo durus, quem nō rumpere manus ſolutæ, & comminuere poſſint. Ita Paullus arbitratur, multitudinem legū ſuperfluam eſſe, ſi deficiant Amoris manicę, quę pro carcere bene munito ſunt. Quis vno in monaſterio clauſas ſeruat perſonas tam multas, tam multis moribus diuerſas? Amor. Quis eadem in menſa conuiuere jubet? Amor. Quis vno ſub tecto dormire, eadem in æde orare? Amor. Hoc vno vinculo ſecurius ſeruatur homo, quàm legibus omnibus, quas humana vnquam prudentia adinuenit. & fructus charitatis ſunt, inquit Paullus, pax, benignitas, manſuetudo, fides, continentia, caſtitas. Si liquefiant in vaſe vno omnes leges quæ à mundo cōdito latę ſunt, non poterit colligi ex omnibus fructus tantus, quantus ex hac vnâ ſolâ. Hæc alacres, vnanimes, cōfidentes reddit. Medetur eſurientibus, cōmodat abundantibus, fidem amicorū ſeruat, veritatem

Gal. 5.

n epist. ad Galat.

aperit omnibus, lucrifacit pro vita mortali æternā. Narrat de Ioanne Euangelista Hieronymus, quod cum Ephesi moraretur, & plenus dierū vix inter discipulorū manus ad Ecclesiā deferretur, nec posset in plura verba vocē contexere, nihil aliud ad populū protulerit, nisi hoc: Filij diligite alterutrū. Cum vero discipuli & fratres qui aderant, tædio affecti, quod eadē semper audirent, dicerent: Magister quare hoc semper loqueris? respondit: Quia præceptū Domini est, & si hoc solum fiat, sufficit. Cum Christus ad quæstionem legisperiti respōdisset in lege primum mandatū esse, Deum diligere, alterum, diligere proximum; subdidit, legē vniuersam pendere ex his duobus mandatis. Quod ita intelligendum est, vt ex singulis pendeat lex tota, quia Amor proximi Dei amorē; Dei verò Amor, proximi Amorē includit aut supponit. Quare Amorē Dei volens definire Dionysius, dixit circulum esse, qui circum semper gyratur ex vno in aliud bonum. Sume circinū, firmansque certo in puncto vnum illius, vt sic loquar, crusculū, alterū cōtinuo motu circumducito, redibit ad locum vnde moueri cœptū est. Dicit Marsilius Ficinus bonitatē in centro sitam esse, quod est Deus: à quo deriuatur per lineas rectas ad circūferentiā, Amoris verò iter esse à circumfe-

Matth. 22.

rentia

ferentia ad centrum, & rursum à centro ad circumferentiam; atque ita fieri non potest, vt aliquis Deum amet, nisi proximum simul amet, & è conuerso.

Et hæc ratio est, ob quam Deus præcepta hæc diuiserit: voluitque signum esse ac notam, qua sui ab alijs distinguerentur. Non enim poterat prophetia differentiam ponere, nam & Baalam & Caiphas vaticinati sunt; & multi in vltimo judicij die dicent: nunquid Domine in nomine tuo prophetauimus? Non martyrium, quod quiuis subire potest ob commodum suum. Non miracula, quia & in nouissimo die plurimi venient: Domine nunquid in nomine tuo dæmonia eiecimus? Amor solus probabit seruos Dei, qui est velut in Cælo axis, ad cuius motum mouentur sidera omnia; & velut radix, quæ ramos, foliaque sustinet; est regula atque amussis omnis boni; est securitas nauis in medijs vndarum fluctibus; est saburra pondusque eius; denique est ornamentum, & gloria Christianorum. Et quemadmodum Lacedæmones gloriantur à legibus Lycurgi, Athenienses à legibus Solonis, & Paullus, priusquam ad Christum conuersus esset, doctus ad pedes Gamalielis, magni se fecit, quia obseruabat patrum suorũ traditiones, ita æquum rationiq; consonũ,

Matth. 7.

vt Christiani glorientur à lege tradita, lata à Christo summo & generali legislatore.

CAPVT XXII.

In dilectione proximi modus seruandus.

TRes Amoris species habet Scriptura, ad quas Amorem metiri & ponderare opus est. Primus est Amor sui. hinc apud Matthæum & Lucam, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Alter est Amor Christi erga genus humanum: de quo in Ioanne: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Tertius apud Paullum est Amor membrorum mutuus. Quod ad primum attinet, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, duobus modis potest intelligi. vel diliges proximum tuum eadem de caussa, qua teipsum diligis, propter gratiam in hac, propter gloriam in altera vita: vel facies hoc proximo, quod velles tibi fieri ab omnibus; quod verò tibi fieri doleres, caue quoque illi facere, & hæc legis naturalis summa est, quam ipsa natura dictauit. Curam proximi inculcat Tobias filio verbis grauissimis; omnibus vero Christianis Seruator noster apud Matthæum. Vbi aduertendum nonnullos esse, qui transcendunt præceptum diuinum, & non tantum volunt diligere proximum tan-

Matth. 22. *Luc. 10.* *Ioan. 15.* *Rom. 12.* *Tob. 4.*

quam seipsos, sed plusquam seipsos. Quos comparo infirmis, qui mederi student malo alieno, & sui non reminiscuntur. & Medico, qui curat vicinum, & se negligit. cui dictum est; *Medice cura teipsum.* Quod vitium licet non exiguum sit in morbis corporalibus; in spiritualibus tamen multo grauius est: Sunt enim ecclesiastæ & verbi diuini vocales præcones, qui pro concione hortantur omnibus viribus vnumquemque ad virtutes, vt illi ipsi autem eas obtineant, minimùm laborant. Quos Bernardus super Cant. amarioribus verbis castigat, concluditque in hunc ferè modum: Caue frater charissime, vt ne charitas, quæ alijs beneficio est, tibi sit tribulationi. non oportet nimium esse iustum, & diligere proximum plusquam teipsum; cùm Deus non jubeat nisi amare vt teipsum. Gregorius in Moralibus, Curæ esse debet, ait, concionatori, vt non negligat animam suam, qui alias fœcundat doctrinæ suæ semine; & qui tam multos à peccatorum somno excitat, ille iaceat sopitus. Apostolus, *Inexcusabilis es,* inquit, *ô homo, omnis qui iudicas. in quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas.* Quod adulterum carceri mancipes, latronem furcæ, triremibusué adfigas, non potes excusari, si tu adulter fortasse nequior

Luc. 4.

Rom. 2.

aut

aut latroes. Idē aſſero de verbi diuini miniſtro, qui prædicat cordis munditiam, & impurus eſt; humilitatem, & arrogans eſt; miſericordiam, & immitis eſt, amet alios, ſe vero non amet, inexcuſabilis eſt. Multo potius eſt, ſalutis ſuæ ſatagere, quam miracula patrando curam ſui deponere.

Verum enimuero ſicut hi per exceſſum, ita per defectum peccant alij: quia non eodem oculo ſe & proximum intuentur, aut eadem bilance librant ſua & aliena. Et hoc eſt quod abominatur Dominus. Sapiens dicit, *Intellige quæ ſunt proximi tui ex teipſo.* Vis cognoſcere tua? pone in proximo tuo; vis aliena? in teipſo colloca. Non habet homo oculos vt ſua vitia perſpiciat, quia trabs illi paret feſtuca; ſed ſi in alium tranſtulerit, iam ex feſtuca trabs magna excreſcet. Non habet homo oculos vt virtutes alienas iudicet, nam omnibus vitij nomen imponit: verum in ſe migrare iubeat, derepente virtutum præclaros titulos accipient. Miſerias proprias aſpicit homo ruptis aut corruptis oculis, & intolerabiles vocat; in fratrem transponat, ſubitò imminuentur. Ad ærumnas aliorum homo ſemper cæcutit, aut ſi viderit, leues omnino putabit: in ſe recipiat, ipſæ quoque recipient ſuam

Eccleſ. 31.

grauitatem. Adeò vt proximus tui, tu illius speculum sis, ideoque iuberis diligere proximum tuum sicut teipsum.

Nota fieri non posse, vt, qui se non amat, proximum amet. Augustinus testis est: Tange, inquit, ô frater primò pulsum tuæ voluntatis, & vide an tuite temet ames, an oderis: & si certum erit, quod teipsum ames, poterit Amor tibi proximi commendari. Et alibi. Si te interrogem, an teipsum diligas? affirmabis: quia quis seipsum odio habuit? inquies. At ego tibi cum psalte regio respondebo: *qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Quod de vita quoque rectè asseritur: nihil est enim, quod eam ita vili pendit, hominemq; citius ad tumulum comitatur quàm culpa, ita vt perditissimi quique neque se, neque animam, neque vitam diligant, immò aduersentur maximè atque odio prosequantur. Si igitur homo proximum amaret tanquam seipsum; vti seipsum ita quoque proximum perderet, quare potius est non amare.

De Verbis Domini.

ib. de disc. p. Christ.

Psal. 10.

Alterum Amorem Christus apud Ioannem declarauit, & quasi voluntatis vltimæ elogium in codicillis euangelicis nobis reliquit. *Hoc est, ait, præceptum meum vt diligatis inuicem sicut dilexi vos* Et alibi: *præceptum nouum do vobis.* vocat nouum,

Ioan. 15.

quia

quia amare proximum, vetus erat, adeo vt natura legem hanc tulerit, ſed amare ſicut nos Chriſtus amauit, hoc inauditum eſt. Si aliquis quæſierit, quo modo Chriſtus amauerit? Reſpondebit Chriſtus apud eundē Apoſtolum: *Sicut dilexit me* (quatenus homo ſum) *Pater, & ego dilexi vos*, atque ita volo vos amare inuicem. Præuenit me Pater ſua gratia præter meritum meum, dedit poteſtatem ſuper omnia, gloriæ coronam immarceſſibilem, & ſupremam mihi præparauit: ita ego vos præueni mea gratia; vocaui ad lumen fidei; imperium conceſſi in vitam atque mortem, & ipſa dæmonia; denique ſedes vobis duodecim præparaui. Sic æquum eſt, vt alter alterum Amore præueniatis, & vbi tempus locusque commoda ſunt, benefaciatis: neque ſpectetis ametné vos proximus & veſtrum Amorem mereatur: ſi enim amatis eos à quibus amamini, quid præmij exſpectatis? quid vobis debeo? Pater amando me ſupra omnes creaturas, accumulando in me bona infinita, iuſſit me mortale corpus induere, in hanc miſeriarum vallem deſcendere, & mortem oppetere pro homine: neque amare deſijt ideo, quod videret me laboribus pæne ſuccumbere, aut flagris lacerari. Ita quia vos plus alijs diligo, qui eſtis primitiæ Ec-

Ioan. 15.

clesiæ

clesiæ meæ, & Spiritus sancti, mando vobis, vt per vniuersum orbem deprædicetis euangelium & doctrinam meam. Non latet me, quid vobis euenire debeat. Secti, lapidati, mille tormentis excarnificati, occumbetis sub manibus tyrannorum, non tamen ideo refrigescet in vos Amor meus. Non aliter vos, quia fratres vestros diligitis, vocate illos in obsequium Dei & proximi, neque vllam admittite personarum exceptionem; quantumcumque viles abiectique & miseri sint, non decrescat ideo vester in eos Amor. Pater me ab æterno, ego vos vsque in finem vitæ meæ dilexi, ita vos decet amare perseueranti affectu: nam qui hodie diuitem diligit, cras pauperem odit, fortunam magis amat quam personam. Quod mundus diuitias sectetur, inquit Seneca, non mirum est, nam & mel muscæ, morticinum canes, frumentum formicæ, eodem studio vulgus quæstum appetit. *Vos autem non sic.* Denique conditiones veri Amoris considerate, reperietis omnes in illo, quem Pater mihi, quem ego vobis demonstraui: *exemplum* autem *dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.*

Tertius Amor, quem scriptura in exemplum nobis proponit, est membrorum eiusdem corporis inter se: quia non est

exi-

exigua proportio quam cum naturali habet corpus Ecclesiæ mysticum: ea propter Apostolus hac allegoria non semel vsus est:

Primo; nullum adeo abiectum est membrum, quod alteri inuideat præstantiori. non manus pedibus, non pedes auribus, non aures oculis: quia vt dicit Apostolus; *Si totum corpus oculus esset; vbi auditus foret? Si totum auditus; vbi odoratus?* Si ergo singula membra suum actum habeant, neque vnum æmuletur aut inflet ur pro alio; ita in mystico corpore; quod est Ecclesia; non debent membra inuidiæ malo vti, quia non possunt singula omnibus fungi officijs.

1. Cor. 12.

Secundo in corpore naturali vnum alteri membro præstat obsequium. Oculus pedibus lumen communicat; pedes oculum portant. & sic per alia licet discurrere. Ita in mystico corpore decet collatum vobis gratiæ munus liberaliter dispertire in proximum, vt cesset illa Prophetæ querela; *omnes diligunt munera, sequentur retributiones*: Principes ad tinnitum denarij iudicant, sacerdotes pro concionibus stipendium accipiunt, Prophetæ spe lucri vaticinantur.

Esaiæ 1.

Tertio, inter membra corporis naturalis vindictæ appetitus nullus est, nullus

con-

contemptus. Si linguam fortè dens momorderit, quis dentem excîdit? Quia oculus omnibus ſuperior, an ſuperbior eſt, aut pedes contemnit, qui terram calcant? Imò ex bono vnius membri gaudent alia omnia; de malo, dolent omnia. Ita inter fideles vltionis deſiderium nullum, nullus cõtemptus dominari debet: ſed cum flentibus flere, cum gaudentibus gaudere pulchrum eſt, & bonum malúmúe alienum, ſuum æſtimare.

Deniq; ex membris corporalibus auarum nullum eſt, ſed virtutes ſuas mutuo communicant; aut ſi fortaſſe vnum tale erit, tale erit in damnum ſuum: ſubnaſcitur enim apoſtema aut periculoſa infirmitas. Ita qui poſſident amplius quam naturæ neceſſitas poſtulat, non decet illiberales eſſe, ſed inter fratres diuidere, alioqui neceſſe eſt paullo poſt ſuboriri apoſtema aliquod aut morbum exitialem. Dicit Seneca, neminem tam quiete viuere poſſe, vt ſibi ſoli viuat. ſi tibi viuere vis, neceſſe quoque eſt, vt alijs viuas. Phocion Athenienſis cum multa damna iniuriaſque à ciuibus ſuis accepiſſet, nullum tamen odit vnquam. Africanus Maior deſiderabat potius vnum ciuem ſeruare, quam perdere mille inimicos. Serapion Abbas cum prędicare prohiberetur, pro ſeruo venum- Epiſt. 48.

dari voluit: redemptus paullo post rursum sese diuendidit, vt occasionem inueniret conuertendi gentes ad fidem Christianam. Vitalis Monachus Alexandrin9, noctu fornices ꝓstibulaq; ingressus est, ac flexis genibus pernoctauit ibidem in oratione, vt à facinorosa impiaque vita peccantes reuocaret.

Capvt XXIII.

Examinantur difficultates, quas habet dilectio inimicorum.

Nihil adeò naturæ nostræ aduersarium est, aut sensus magis affligit, omnibusque modis impossibile videtur, quam præceptum illud, quo jubemur diligere eum, quem scimus honoris nostri ac nominis boni latronem, atque animæ hostem esse. Synagogæ Magistris adeò rationi consentaneum visum, est non obligare hominem tam crudo præcepto, vt legem naturalem crediderint, cum olim, diuina non esset, odio prosequi inimicum. Dicit Albertus Magnus, Doctores Hebræorum grauissimos Rabbi Iosue, & Rabbi Iona asseruisse, quod Deus in monte Sinai duas leges tulerit, vnam in Leuiticum & Deuteronomium relatam, in corde humano sculptã alteram; & quam-

Matth. 5.

uis inter leges lapidi inscriptas Deus non imperauerit odium inimici, hæc enim vere lapidea lex fuisset, quæ hominem tolerare inimicum suum, atque ita lapideum esse, iussisset: pectori tamen humano clarissime insculpsit. Verusina nepos Ieremiæ ex sententijs moralibus librum contexuit, quem Paullus Figius interpretatus est: in quo tertia sententia hæc est; Qui defert honorem inimico suo, brutum est, quia contrarium natura loquitur. Confirmari videtur ex eo, quod accidit hominibus inimico suo occurrentibus. Vir etiam sanctus, & qui prædicatione solenni suadet populo diligere inimicum, & qui mane multa cum animi cōfidentia stabilique proposito totum se Deo deuouet, si obuiā habuerit illum, à quo accepit iniuriam, commouetur, turbatur, & velut in corde suo gliscere sentit incendium. Neque adeo hoc mirum videri debet, cum infans vixdum matris vterum egressus, fascijs adhuc vinctus, si irritetur, conuertit se ad vltionem, & satis illi fieri videtur, si simules ferire te eum, qui molestus fuerat. Augustinus ad versum illum, *Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea*; Iudicia tua Domine, inquit, omnia miracula sunt, sed inter ea summum est, quod nihil præceperis, quod pugnet cum natura nostra, ideoque *scru-* Psal. 118.

tata est ea anima mea. Et alibi considerans difficultatem huius præcepti, & quam necessarium sit à Cælo auxilium ad hoc adimplendum, Domine, ait, da quod jubes, & jube quod vis: quia rem tam difficilem jubes, da vires quoque adimplendi jussum tuum. Idem dicit ad ista verba Iob: *Posuisti in neruo pedem meum.* Domine cum præcepto fer opem. alioqui si hic rem asperam præcipis, illic ex natura nostra neruum paras & laqueum, quis, quomodo exequi poterit, quod præcipis? Cum Salomon exædificasset magnificam illam & sumptuosissimam basilicam, diuinoque cultui consecrasset, apparuit illi Dominus & dixit: *Postula quod vis, vt dem tibi.* Et cum, qui arbitratu suo quiduis rogare poterat, tantum cor docile, ad judicandum populum Domini, petiuisset: adeò placuit Deo hic sermo vt diceret: *Quia postulasti verbum hoc, & non petisti dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, &c.* Vbi notandũ, quod vitæ & diuitijs intermisceat vindictam inimicorum, vt ostendat, quod ita delectet juuetque humanum appetitum, vt vita ipsa ac diuitiæ. Odij huius signa in viris etiam sanctis paruerunt. Dauid tot elogijs sacræ Scripturæ inter mansuetos celebratus, non semel rogat Deum, de suis inimicis vltionem. Quod magis stupendum

Iob. 13.

3. Reg. 3.

Psal. 82.

dum

dum est, in Beatis quoque notamus vindicandi cupidinem nondum extinctam esse. In Apocalypsi vidit Ioannes *subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & clamabant voce magnâ dicentes: Vsquequo Domine non vindicas sanguinem nostrum de ijs, qui habitant in terra? Et dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicũ.* Si ergo in statu ita glorioso, pleno voluptatum & deliciarum, in beatitate summa hoc desiderium reperitur, signum certum est præceptum esse asperum & parum delectabile. Deniq; August. & Hilarius affirmant in lege veteri permissum fuisse inimici odiũ, vti & repudium. Atque hæc omnia meticulolosi Mundi argumenta sunt, qui velut phantasma nocturnum sibi obijciens, *Diliges inimicum tuum*, recalcitrat, & rectè consulentibus aduersatur. Apoc. 6.

Dico igitur 1. præceptum durum asperumque esse, sed hominibus duris, asperisque, & propter scelera sua Deo Cæloque exosis. Et quia Synagoga multos habuit, in quibus nulla erat mica pietatis, quibus sacræ litteræ crudelitatis dicam scribunt; ac propterea & alia peccata pluria Dei gratiâ exciderant, repererunt occasionẽ prædicandi, quod mandatum Sauli fuerit, vt Amalecitas percuteret, & vniuersa eorum 1. Reg. 15.
demoliretur: præceptum non semel Israë-

litis vt ne cum Iebusæis, aut Cananæis amicitiæ fœdus pangerent: & in textu Hebræo, vbi legitur communiter *diliges proximum*, vox illa secundum Hieronymum sonet *Amicum*. Hinc ergo ex contrario sensu arguendo, legem finxerunt de odio inimici. Ego vero opinor non fuisse legem permissiuam, quam illi confirmarunt de odio inimici; sed potius glossam obstinati cerebri, conceptam in visceribus eorum crudelibus, & à cęco judicio dictatam. Quod probare videntur verba legem reformantis

Matth. 5. Christi: *Ego autem dico vobis*, q. d. ego nunquam id dixi aut permisi. *Deus*, inquit Io-

1. Ioan. 4. annes, *charitas est*, quo modo ergo poterit legem de odio ferre? ille amat etiam eos à quibus odio habetur, quomodo pręcipiet, vt nos odio eos prosequamur? Addo, non tantum diuinæ, sed humanæ quoque naturæ aduersari, vt supra *cap. 21*. probatum est, & nunc iterum confirmo. Dicit Sapiens:

Eccl. 13. *Omne animal diligit simile sibi; sic & omnis homo proximum sibi*: sub quo inimicus non minus quã amicus comprehenditur: quare si naturaliter vnum amat alterum animal, ita vos fratres vestros. & hæc ratio ab Augustino adducitur, probatque inimicum odisse, aduersum esse legi naturali. Cicero virum bonum appellat illum, qui prodest multis, nulli nocet, nisi prius ab alio læsus.

Sed

Sed gentilis hæc doctrina est, quã si Christianus fuisset, sic protulisset, vir bonus nõ lædit etiam illum, à quo ipse læsus est.

Dico 2. non tantum naturale, sed facile quoq; & nõ insuaue esse hoc præceptũ. Sed huic opinioni nemo mundanus suffragabitur: Sicut enim spirituali homini graues videntur leges sæculares, ita terreno diuinæ. Dauid mandata Dei vocat *dulciora super mel & fauum*. Paullus dicit: *Lex iusto non est posita*. q. d. tametsi nulla esset, justus faceret ea, quæ lex jubet. Dicit Christus jugum suum suaue, onus suum leue esse: mundano ferrea aut ænea lex Christi videtur, & si duos dies eam obseruet, phthisicus fit subito aut asthmaticus. Hoc autẽ pronascitur ex eo, quod res omnis in suo elemento minimi ponderis est, extra illam grauat etiam viriles lacertos: Ita mundano mundus non est grauis, quia in suo elemento est, si ad spiritum transierit, hiabit velut piscis quẽ aqua deseruit. Hieronymus ad Damasum, Anathema habe, inquit, illum, qui dixerit præceptum esse à Deo, quod homo adimplere nequit. Conuenit ergo inter omnes Amorem homini magis naturalem esse, quàm odium, nihilque desiderandum quam à Cælo auxilium. Quod jam olim datum est, ait S. Augustinus, semper enim te præuenit Deus sua gratia, ita vt non nisi

Psal. 18. & 118.

ex voluntate tua defectus esse queat. Si mero meridie non videris atomos, non est lucis defectus, sed oculorum tuorum, qui debiles sunt & luscitiosi. Et si præceptum hoc graue aut difficile tibi videtur, non tale est à seipso, sed à tua infirmitate: quia personæ innumeræ sunt, quibus pro facillimo est. Ingredere in pinacothecam aliquā, vbi dependeant omnia armorum genera, enses, loricæ, galeæ, lanceæ, clypei, balistæ, clauæ. inter hæc forte ostende machæram aliquam, quæ manibus brachijsúe tuis inepta sit, clauam qualis Herculi, aut hastam, qualis gigantibus tribuitur; qua nemo vti queat, nisi de robustissimis viris aliquis. Domine, vt quid hæc claua, ista hasta, illa machæra hic pendent, quæ nulli seruiunt? frustra locum tuum occupant. Amice, si tibi parum forti inutiles sunt, quia graues nimium, alij erunt, qui eis vti dexterè poterunt. Dauid fistulæ & baculo assueuerat, armis verò Saul accinctus non potuit incedere aut procedere in campum. Vix annus fluxit, & arma tractauit, euasitque miles ita bellicosus, vt cum fugeret à facie Saulis inermis & fame elanguidus, obuiumque Achimelech interrogaret, num armorum aliquid

1. Reg. 21.

habe-

haberet ad manum, Sacerdos verò responderet non habere quidquam præter ensem Goliad Philistæi, qui à victoria ibi relictus erat, ait Dauid: *Non est huic alter similis, da mihi eum.* Paullo antè arma Saul nimis grauia ac molesta illi fuerant, nunc vero ensis giganteus accommodus est. Vsus certe quod difficile fuerat, facile ei reddiderat. Idem vobis loquor: Si diligere inimicum difficile vobis est, assuescite gestare arma: si nimis magna est animi vestri impotentia, mille reperientur quibus robur animusque non deficiet. Dauidem iniurijs grauissimis Saul affecit; filius refractarius bellum indixit, gessit, patrem vrbe pepulit seminudum, vix palliolo tectum. Fugientem ex plebe homuncio abiectissimus Semei mille contumelijs blasphemijsque insectatus est, inimici alij sexcenti male & dixerunt & fecerunt. De omnibus his pro sua libentia vindictam sumere potuit non semel, adeo tamen procul abfuit ab vltione, vt in psalmo quodam dicat: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.* q. d. Gloria à qua gloriari mihi licet, non est alia, quam quia de fructu ventris mei sede-

1. Reg. 21.

Psal. 7.

bit super sedem regni Israël, à nobis tot votis petitus, *desideratus cunctis gentibus:* hic pro insignibus erit posteris meis, & clypeus armorum meorum: verùm soluatur in puluerem, & euanescat ista gloria, vana sint vota mea, inania desideria, si in animum meum induxi vnquam inimicis meis reddere talionem. Et in alio psalmo *Cum mihi molesti essent inimici, induebar cilicio. Humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur,* vindictamque faciet. humiliando me dicebam; Hæc delicta mea sunt: solitus est enim Deus tribulationibus peccata nostra castigare. Moyses à scriptura sacra hominis mansuetissimi nomine ornatus, cum Amore in fratres vehementissimo arderet, opprobria tamen eorum, iniuriasque passus est, imo beneficijs compensauit. Dathan atq; Abiron cum alijs ducentis quinquaginta viris proceribus synagogæ insurrexerant contra Moysen & Aaron; & eorum vnus maledicentissimus, superbiæ, tyrannidisq; illos insimulabat, quasi imperium in populum Dei sibi arrogarent. additque scriptura: *Quod cùm audisset Moyses, cecidit pronus in faciem.* quasi diceret per hanc ceremoniam: Hominem in conspectu vestro terram deosculantem vos superbum appellatis. Alij putant eum dubitasse

Agg. 2.

Psal. 34.

Num. 16.

tasse, an non Deus vindictam extemplo de illa tam manifesta blasphemia sumpturus esset: quia denique Deum hæc magis offendebant, prostrauit se in terram, vt oratione inflatam atque inflammatam Dei bilem restingueret. Cùm verò terra dehiscens absorbuisset istud maledicorum agmen, *murmurauit omnis multitudo filiorum Israël contra Moysen & Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini. Cumque oriretur seditio & tumultus incresceret, Moyses & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod postquam ingressi sunt, operuit nubes tabernaculum*, vt ne lapidarentur à populo, *& apparuit gloria Domini. Dixitque Dominus ad Moysen: Recedite de medio huius multitudinis, etiam nunc delebo eos. Cumque iacerent in terra, dixit Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum, & hausto igne de altari mitte incensum desuper, pergens cito ad populum, vt roges pro eis; iam enim egressa est ira à Domino & plaga deseuit. Quod cum fecisset Aaron & cucurrisset ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit thymiama, & stans inter mortuos ac viuentes* (fuerunt autem qui percussi sunt 14700) *pro populo deprecatus est*, quem ad internecionem delere cogitabat Dominus, *& plaga cessauit.* Denique ille qui fratrum ergô regnare noluerat, & tam male gratiam relatam

vide-

viderat, vt sæpe inter sacrum & saxum staret; qui ad necem quærebatur ab eis, pro quibus tam frequenter periclitatus fuerat, ille, inquam, non poterat non manifestare suum erga eos Amorem, quoties in angustias eos casus aliquis præ-
Num. 20. cipitauerat. In libro Numeri tria inaudiuerat, quæ singula poterant gigantis etiam animum percellere, videlicet, quod vitæ terminus illi immineret, principatum relinqueret tam augustum, non filijs, aut nepotibus sed illi, quem non cognosceret, denique quod non ingrederetur in terram promissionis. Et in molestijs his tam immanibus non illi curæ est bonum proprium, non laborat pro coniuge aut liberis, sed angitur pro populo, quem sine Ductore videbat, illumque à Deo flagitat.
Gen. 43. Ioseph odio habitus, venumdatusque à fratribus cum epulum cōquisitissimis cibis instruxisset, conuiuasque habuisset traditores suos, priusquam personæ suæ indicium faceret, planxit, profundeque ingemuit.
Reg. 8. Samuel populi sui Iudex sanctissimus lachrymans rogauit Dominum pro ijs qui Regem postulabant, eumque officio submotum volebant. Audite quid
Iob. 31. Iob dicat: *Si gauisus sum ad ruinam eius, qui me oderat: & exultaui quod inuenisset eum malum. Si non dixerunt viri tabernaculi mei:*

Quis

Quis det de carnibus eius vt saturemur? viuum eum deuorabimus. Non faciet scribendi finem, qui recitare voluerit beneficia, quæ sancti viri contulerunt in eos, à quibus male habiti fuerant. Dicet fortasse aliquis; particulari à Cælo gratiâ illi donati sunt, vt tam grandia & mira patrarent: Sed quid dicet, si produxero Ethnicos, luti, lignique cultores, qui solo naturæ opitulamine non minus miranda facere potuerunt? Diogenis faciem conspuebat adolescens quidam effrons: ad quem placidâ voce Philosophus; non irascor, inquit, sed dubito an recte ob tuam impudentiam irasci possim. Alius Socrati pugnum inflixerat: tum ille; nescit homo, quando opus armis habeat. Augustum per vrbem animi gratia deambulantem aliquis de triuio Tyrannum vocauerat: tum Cæsar; si tyrannus forem, foret vox vltima hæc tua. Aristippus à quodam iniurijs multis lacessitus fuerat; vtinam, respondit, tu ita linguæ tuæ dominari posses, vt ego auribus. Lentulus in vultum Philosophi exspuerat, ad quem ille: Qui tibi nullum os esse dicet, dicam ego eum mentiri. Lacedæmoniorum celebri legislatori Lycurgo oculum eruerat iuuenis quidam Alexander nomine, quem cum in carcerem raperent, vt pœnas meritas daret, non

tan-

tantum eum liberum esse iussit, sed in disciplinam quoque suam recepit, & formauit in virum prudentissimum. Phocion Atheniensis clarus egregijs in Remp. meritis, ab æmulis ciuibus accusatus, & vltimo supplicio damnatus, cum à filio suo rogaretur, quid illi postremo mandatum vellet, respondit: Hoc vnũ te rogo, vt ne memor sis iniuriæ, qua me mei ciues afficiunt. Zina fuerat inter coniuratos, *Iulij* Cæsaris interemptores, post in eius filium quoque conspirauerat, qui cùm forte in eiusdem manus incidisset, non tantum vitam illi concessit, sed & bona fisco adiudicata restituit. quem cum iterum in coniuratione alia complicem inuenisset, liberum iterum abire iussit, addens: Gestio videre, vter obstinatior sit, tune in machinando mihi necem, an ego in vitam tibi condonando. Pisistratus à Thrasippo inter cœnandum conuitijs laceratus & animum & vocem cohibuit. Abeuntem quoque veritus ne propter metum maturius se conuiuio subtraheret, inuitatione familiari cœpit retinere. Thrasippus concitatæ temulentiæ impetu euectus, os eius sputo respersit: nec tamen in vindictam sui accendere potuit, filios quoque suos violatæ patris maiestati sub-

uenire cupientes retraxit, dicens: Sistite obsecro, non enim ille nunc, sed in illo alius loquitur.

Dico tertio cum D. Chrysostomo, hoc præceptum à Deo non carni, sed voluntati datum esse: & si voluntas prompta ac parata est satisfacere, nihil refert, quod pars sensitiua agitetur impetuosis illis motibus, quos primos Theologi nuncupant, vt turbetur spectando eum à quo iniquè lacessita est: hoc enim naturale illi, non minus quam agno tremere, venienti in occursum lupo. Basilius corpus nostrum horologio simile facit, in quo foris apparet index horarũ, & motus sonantis campanæ, quid vero intus lateat, nemo scit, nisi qui artis peritus est: ita in corporis nostri machina licet externa quædam membra intueamur, non intelligimus tamen, quæ intus natura recondidit, nisi qui animæ substantiam intellexerit. Sed aduertendum est in parte sensitiua duas habitare potentias, velocem vnam & cholericam, quæ irascibilis dicitur; mansuetam alteram, & amœnam, sed igni magis ignitam, quæ concupiscibilis nominatur. Hi duo appetitus dati sunt, vt animam excitent, quæ alioqui pigritiæ sordibus immersa putresceret. concupiscibilis trahit ad se quidquid placere aut commodare

Tract. de ira.

po-

poteſt: iraſcibilis ſurgit aduerſus ea, quæ animæ ingrata & inutilia ſunt. Et ſic Baſilius quoque cani pecuario comparat, præ quo decem ex grege agnos non æſtimet opilio: non quod lanam aut lac ab eo expectet, ſed quia latratu lupum arcet ab armento: ita iraſcibilis oblatrat aduerſario, hoſtiué ſuo. & ex hoc capite naſcitur difficultas illa, vt perſuadeatur ſubmittere ſeſe & amare illum, cui natura bellum indicit. Verum ergo eſt, in diligendo inimicum difficultatem facere hanc circumſtantiam, quæ eſt, obuiare cum furia tam inſana, cum equo tam feroci: ſed vbi cum intellectu aut voluntate occurritur, quia cum potentijs nobilibus agitur, nulla fit pugna. Sed iraſcibilis & concupiſcibilis potentiæ ſunt infrenes, indomiti equi, canes rabidi: illis tamen equis domitor ac moderator, canibus paſtor ſuus eſt, cuius vocem agnoſcunt, & nutum ſequuntur. Quemadmodum, canis qui in te nihil cogitantem ſubitò quaſi deuoraturus inuolat, vno ſui heri ſibilo reuocatur & quieſcit: ita quantumuis potentes ſint hæ potentiæ atque efferæ, vno tamen voluntatis ſigno comprimi ſolent & cicurari, vt ament etiam, quos primò oderant. Sed hanc Philoſophiam non capit crudelis Rabbinorum Synagoga.

Dico

Dico 4. quando Beati dicuntur Deum rogare vindictam de inimicis suis, in inimicis duo esse consideranda; videlicet naturam, qua nobis proximi sunt, & culpam, qua inimici. & quando jubet Deus diligere inimicos, non jubet culpam diligere, sed naturam. Quem Theologiæ articulum ipse Aristoteles concepit, cum inimicissimo sibi viro eleemosynam elargiretur: naturam, inquit, tuam miseror, nōn nequitiam. Inimicus ergo proponitur nobis, aut vt culpæ velo obtectus, aut vt nudus. nudum diligere oportet vt hominem, tectum culpâ odisse vt inimicum. Eundem enim rectè & odisse possumus & diligere, si ad diuersa respiciamus. Pater me diligit, quia ex eo natus sum, odit, quia mihi vitia adnata. Hebræos quia filios Abrahæ amauit Deus; odit, quia nequitiæ autores. De Iezabel dixit quidam: *Sepelite eam, quia filia Regis est.* David Saulem maximo opere veneratus est, quia *Christus Domini* siue vnctus erat; verùm considerando facta eius non æqua, poterat male illi precari, vt patet ex alijs: omnes enim boni oderant eum. Moyses hominum qui viuebant in terra mansuetissimus, *percussum à se Aegyptium abscondit sabulo.* Quadringentos Sacerdotes Baal interemit sua manu Elias. Dauid ait: *Qui oderunt te Domine oderam, & super*

4. Reg. 9.

Exod. 2.

3. Reg. 18.

Psal. 138.

inimicos tuos tabescebam. Perfecto odio oderam illos. Sed hic dubium alicui posset suboriri, quomodo Propheta vocet odium perfectum, cum odium, quia charitati aduersum, imperfectionem inuoluat, atq; adeò perfectum esse nequeat. Nodus ergo ille ita soluitur dicendo odij duas species inueniri: vnum ab Amore, à maleuolentia oriri alterum. Si, quia summè Deum amo, proximum odio prosequor, qui Deum offendit, hoc est odium perfectum; neque pugnat cum charitate, vt etiam ex illa pronascatur. sed attendendum est, vt dirigatur hoc odium recta in culpam, non in hominem. Deus enim licet infinitè peccatum oderit, tamen infinitè quoque amat peccatorem. neque alia de caussa in hanc vallem mundi descendit ex sinu Patris, quam vt peccatum occideret, viuificaret peccatorem. Sicut ille qui byssum aut sericum amiculum emaculare nititur, studium eius est sic maculam tollere, vt vestem seruet. & eum qui sagittam vibrat in serpentem, qui puerum medium amplexus est, industrium esse oportet, vt serpentem feriat & pullum non attingat: ita vos prudentiæ omnes neruos intendere debetis, vt peccata odio, peccatores Amore prosequamini. Dicit Augustinus in quadam homilia: *Inimicum odisti forsitan, & proximum odisti.*

Mul-

Multi Iudici supplicant, & satis sibi fieri rogant pro iniurijs acceptis, & jure merito, vt notat Fabianus Papa: honor enim, & fama & eiuscemodi bona habent pretium suum, & licitum est cuiuis pro illato contra hæc damno vrgere satisfactionem. Vnde Augustinus ait posse opera charitatis esse, sed examinare prius jubet, quæ caussa nos moueat. Hinc Dauid; credo Domine me seruum tuum esse, verum vt ne fallar, *Proba me Domine & tenta me, vre renes meos & cor meum*, vt ne similis fiam Lamech, qui *occidit adolescentulum in liuorem suum*, & non feram; vt ne oderim, quos amare oportebat, aut amem, quos decebat odisse. quare *Vide si via iniquitatis in me est & deduc me in via æterna.*

Psal. 25.

Gen. 4.

Psal. 138.

Dico 5 animas Beatorum clamare non aliud, quam olim sanguis Abel, & nunc Christi, & peccatũ Sodomæ, quæ non nisi inuocant diuinam justitiam. Gregorius in Moralibus ait hunc animarum clamorem desiderium illud fuisse, de quo Psalmistes: *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus; præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Si aliquis obuiet, dicatque Beatis conuenire potius intercessionem & orationem pro suis persecutoribus, quam desiderium vindictæ: Respondebit pro nobis Augustinus, animas nihil petere aduersum ho-

Psal. 9.

serm. de temp. lib. 1. serm. in ...nte.

 mini-

minibus, sed rogare Deum, vt peccatis, quæ late dominantur, & sanctos persequuntur, finem imponat, omninoque eradicet. Et alibi. Sancti, inquit, qui Domini maiestatem stipant magna cum reuerentia, hoc solum volunt, id vnicum efflagitant, quod Deo placitum esse sciunt: rogant nihilominus de inimicis suis vltionem, desiderantque extremum judicij diem adesse, quo videant regnum peccati euersum, sui corporis damnum reparatum per vniuersalem resurrectionem. Non aliud asserunt Gregorius, Ambrosius, Beda, Primasius, & clare dilucideque ostendunt desiderium hoc recte stare cum charitate.

Serm. de sanctis.

Capvt XXIV.

Adferuntur rationes quæ mouere possunt ad diligendum inimicum.

Prou. 12.

Dicit Sapiens fatuum indicare & alere iram suam, sapientem vero dissimulare, atque extinguere. Nolim ego hic multiplicare rationes, quibus moueam stultum à concepto semel furore: pertinax enim est, atque obstinatus ad vindictam. Sed prudenti ostendere gestio, quod studiosè quærit, anxieque desiderat.

1. Ergo ratio est, quia Deus singulari cum em-

emphasi hanc legem tulit, conceptisque verbis, quibus demonstrat particularẽ erga hanc affectum. Deinde quia *legislator, judex*q; vniuersalis *est, qui potest perdere & liberare*, vt Iacobus loquitur, à quo nulla est appellatio. Præter hæc non modo supremus, sed iudex est *Iesus Christus heri & hodie, ipse & in sæcula*, vt ait Apostolus: qui stabiliuit leges, naturalem, scriptam, atq; Euangelicam, & justitię vniuersæ, legibusq; humanis suã communicat autoritatem. vnde dicit: *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Deniq; sunt nonnullæ, quas sibi placere eximiè certo modo demonstrat: quarũ vna est, quam cõmendant plena grauitatis hæc verba: *Ego autem dico vobis.* Non est vulgaris emphasis in hoc pronomine ego. Ego, cuius autoritatẽ negare, sacrilegium est: Ego Magister vester, Rex, Dominus, Caput corporis huius mystici, & supremus legum humanarũ simul & diuinarum lator: Ego qui olim inter Angelos medius legẽ vobis scripsi digito meo, qui creaui vos, & conseruo: Ego qui à vobis tolero, quæ neq; mater quæ vos genuit, patienter ferret; à vobis, qui vestra sponte discipuli mei esse desideratis, quorum cura esse debet imitari me, vitamq; meam, exemplum, & doctrinã; quibus condonare culpam indies necesse est: *Ego*, inquam, *dico*

Iacob. 4.

Heb. 13.

Prou. 8.

Matth. 5.

vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Coniunctio *autem* aduersatiua est, vnde sequi videtur, legem priorē præcepisse cōtrarium. & est opinio Basilij, qui ad huc locū dicit: Si Deus Amor est, indubiè odiū erit Dæmonium; si Deus jubet inimicos diligere, odisse eosdem præcipiet Dæmonium. Vnde tres hic legislatores & tres leges habem⁹. Prima est, amare amicū, & hanc fert mundus: quæ licet suauis, plenaq; mellis videatur, nō tamen omnino & semper vera est, habet enim & fel suū, atq; angustias. Vidimus domū non vnā funditus euersam, solū conspersum sale, quia Amico Amicus opē ferre conatus est, & legē hanc seruare. multi honoris, multi opum, multi vitę, multi deniq; deplorandā animę jacturā fecerunt. Altera lex est, odio habere inimicum: cuius lator Dæmon est. lex plena semper doloris & ruinæ, vt hic latiùs probabitur. vnde cōsequens ęst, facere male ijs, qui bene faciunt, non esse legem Dæmonij, sed malitiam omnibus infernalibus statutis nequiorē. Tertia lex jubet, diligere cum amicis simul inimicos, & hanc tulit Seruator noster: lex plena omnis boni, plena lucri, & omnib⁹ modis suauis atq; amœna: quibus etiā remotis succedit autoritas eius, qui vult atq; imperat. Quādo Absalon

man-

mandauerat pueris suis, vt fratrē suum, primogenitū regię familię, Amnon interficerent, tremorē animi, incōstantiamq; in eis quandam animaduertens: *Nolite*, inquit, *timere, ego sum qui præcipio vobis.* Atq; hac Dñi sui autoritate confisi perpetrarunt facinus, quo vix vllum atrocius in historijs legitur. Dæmonij autoritas persuasit olim hominibus, vt filios filiasq; suas sacrificarent idolis, quæ adorabant, liberorum suorum funderent sanguinē, & vitam, raris exquisitisque tormentis. Autoritas Mahometis tanta est vt homines ad stellarū vsq; exortū jejunos detineat; animum tollat, vt vereantur in disputationem prodire cum suo Alcorano. Vos autoritate amici alicuius moueri soletis vt conceptam iram remittatis, & recipiatis in gratiam, licet ingratijs, eum qui maximis cōtumelijs se vobis apertū hostē demonstrauit. Autoritate magistri puer reprimitur, vt erubescat rogare, cur hoc A. illud B. nuncupetur. Discipuli Pythagorā ita reuerebantur, vt eum locutum esse sufficeret, adderentq; αὐτὸς ἔφα. Rex in diplomatibus suis signat: Ego Rex. Prophetis pro virga erat; *Hæc dicit Dominus.* Et tibi nō sufficiat autoritas Regis tui, Capitis tui, Legislatoris tui, Dei tui? Iacob clam se proripuit è domo soceri sui, verebatur enim vt obicē illi poneret: Rachel autem furto asportauit

2. Reg. 13.

idola, quę pater adorabat. Laban indignissimè ferens & furtũ & furtiuum abitũ, persequi cœpit, & insecutus est die septimo in monte Galaad. *Viditq; dicẽtem sibi in somnis,* qui suorum curã gerit, *Dominum: Caue ne quicquã asperè loquaris contra Iacob. Iamq; Iacob extenderat in monte tabernaculum: cumq; ille consecutus fuisset eum cum fratribus suis, in eodem monte fixit tentorium; Et dixit ad Iacob: Quare ita egisti? Valet manus mea reddere tibi malum: sed Deus patris tui heri dixit mihi: Caue, ne loquaris contra Iacob quicquam durius.* Omnimodis ad vltionem extimulabar, sed quis Dei mandato obniti audeat? Hoc est, quod Dauid scripsit: *Principes persecuti sunt me gratis:* ego autem non adeo imbellis aut vilis eram, vt me vindicare de illis non possem, *sed à verbis tuis formidauit cor meũ.* Dominus volens corripere ac corrigere populum suum, sceleratum, indoctum seruare disciplinam, aut mandatis obedire, vocat Ieremiam, & dicit. *Vade ad domum Rechabitarum: & loquere eis, & introduces eos in domum Domini in vnam exedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum;* inuitabis, vrgebis, & persuadere conaberis. Porro Rechabitæ stirps erant Ietro soceri Moysis, magnamque partẽ pij, Deum verentes atq; reuerentes, quorum princeps fuit Rechab pater Ionadab, à quo etiã nomen acceperunt

Gen. 31.

Psal. 118.

Ierem. 35.

runt. habitabant autē in tabernaculis vagi per campos, vt hodie Arabes. Cũ verò rex Nabuchodonozor in terram eorum ascendisset in manu potenti, mouerunt secum illis simul, & migrarunt Hierusalem velut in vrbem regni principem. Fecit ergo Ieremias, quod imperauerat Deus, *& posuit coram filijs domus Rechabitarum scyphos plenos vino, & calices, & dixit ad eos: bibite vinum.* nolentibus quoque importune beneuolus fuit. *Qui responderunt: Non bibemus vinum: quia Ionadab filius Rechab pater noster præcepit nobis, dicens; Non bibetis vinum vos & filij vestri vsque in sempiternum.* Tum rursum Dominus ad Ieremiam: *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël; Vade & dic viris Iuda, & habitatoribus Ierusalem, Nunquid non recipietis disciplinam, vt obediatis verbis meis, dicit Dominus? Præualuerunt sermones Ionadab filij Rechab, quos præcepit filiis suis, vt non biberent vinum; & non biberunt vsque in diem hanc: ego autem locutus sum ad vos, de mane consurgens & loquens: Nolite sequi Deos alienos & non colatis eos: & non inclinastis aurem vestram, neque audistis me. Idcirco hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: Ecce ego adducam super Iudam, & super omnes habitatores Ierusalem vniuersam afflictionem, quam locutus sum aduersum illos, eo quod locutus sum ad il-*

los, & non audierunt: vocaui illos & nō responderunt mihi. Domui autem Rechabitarum dixit Ieremias: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël. Pro eo, quod obedistis præceptis Ionadab patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, & fecistis vniuersa, quæ præcepit vobis, proptereà hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël; Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus. De Christianis hodie non aliter queritur & minatur Dominus; quod mundi legem accipiat atque obseruet inuiolabiliter; quod libellum duelli offerat; ad vnam vocem, mentiris, pugno respondeat; pro pugno remittat pugionem; pro pugionis vulnere necem machinetur: & infamis, ac consortio hominum indignus sit, qui non custodierit hoc præceptum infernale. Quod verò Dei legem toties datam, repetitam in dies & in horas negligant omnes. Indubium est Deum aliquando fore vltorem.

Secunda ratio vim addit primæ. Amor Dei quo erga te fertur, & bonum, quod tibi largitur quotidie, tantum est, vt quidquid illi præstiteris, minus quam nihil sit, ad illa comparatum. Thecuitis rogabat veniam Dauidem pro filio, duasque caussas proferebat, quæ illi nomen prudentis cordatæque mulieris fecerunt. Prima

erat. *Omnes ô* Rex *morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.* Nihil agimus ſtudioſius; omnes ruimus in mortem. *Quare cogitaſti huiuſcemodi rem,* vt quod à filio tuo per ſingula momenta exigit atque exequitur, tu velis præſtare, *& non reducas eiectum tuum?* Altera cauſſa. *Nec vult Deus perire animam; ſed retractat, cogitans ne penitus pereat, qui abiectus eſt.* q.d. Vide quam ego tibi indulgens fuerim, volo igitur vt tu quoque ſeuerus ne ſis. quando me offendiſti, non procurri ſtatim ad vindictam, vt te è viuis tollerem, cum in manu mea eſſet; quomodo ergo voles, immò velle poteris, vitam tollere filio tuo? Prouerbium eſt, dicit Ieremias; *Si dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum, non reuertetur ad eam vltra: polluta enim, & contaminata erit,* adeoq; infamiam publicam viro inureret. *Tu autem Sponſa mea, fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus. Saltem amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* Vnde aduerti poteſt, non ſatis diſertam eſſe linguam vllam humanam, quæ Deo ſatisfaciat, ſi non vt olim Moyſi, ille ipſe reuelauerit. Non tantum, inquit, meretrix eſſe, ſed videri quoque talis voluiſti, & proſtituiſti omnibus verecundiam tuam. nihilominus tamen, Ier. 3.

men,

men, dic mihi, Pater meus es tu, tu es Deus meus, quem primùm agnoui & colui, iterum te passis vlnis recipiam. Hæc ad Ieremiam & Moysen olim Deus, nunc Christus ad populum Christianum clamat: Dicite mihi, Pater noster qui es in cælis. Nulla enim vox adeò blanditur auribus, ita emollit viscera, vt hæc prolata seriò à corde hominis verè pœnitentis. Moyses, qui tam ardenter populum suum adamabat, videns adeo rebellem atque incredulam, dubitare cœpit, an Deus moueri posset, vt bene faceret hominibus tam incredulis ac refractarijs, & dixit: *Audite rebelles & increduli; Num de petra hac vobis aquam poterimus eijcere?* Iratus est Deus & hallucinantem in fide Moysen castigauit. *Quia*, inquit, *non credidisti mihi, non introduces hos populos in terram, quam dabo eis.* Non vult Deus, vt dubitemus de beneficijs eius, quę elargiri paratus est etiã in immerentes. Plurimi Sanctorũ tam feruenti zelo in Deũ & honorẽ eius accẽsi sunt, vt crediderint Deum omnẽ misericordiæ suæ thesaurũ exhausisse. Opinionẽ hãc imbibit Elias, quãdo cæli fores oppessulauit, ne pluuiã daret. & Esaias, cum videret tam multũ esse Dominum ad ignoscendũ, populum vero nõ minus pertinacẽ ad peccandũ, exprobrabat quasi Dño: *Indulsisti genti Domine, indul-*

Num. 20.

sti genti: nunquid glorificatus es? elongasti terminos terræ: ruit mundus in interitū tua cōniuentia. Cum verò animaduerteret Propheta nihil proficere querelas suas, Deum indies fieri indulgentiorem, conuertit sermonem: *Sine dubio*, inquit, Domine gloriaris in peccatorum remissione, & dulce tibi ac iucundum est veniam dare delinquentibus. Ita qui confessionibus pœnitentium præfectus est, quando peccatorē soluit atq; absoluit à vinculis criminū, his vocibus vti potest: Benignissime Seruator, non parcus aut illiberabilis Pater es, dum veniam tribuisti pœnitenti, quia tantum tibi gaudium est in misericordia, ac si beatitatis tuæ potior pars ab ignoscendo dependeret. Quod Paullus & Barnabas insinuarunt populo volenti iam sacrificare & adorare illos: *Et nos*, inquiunt, *mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis conuerti ad Deū viuum*, qui bene etiā fecit hostib[9] suis, quod docebunt retro-acta sæcula, *qui in generationibus præteritis dimisit omnes gentes ingredi vias suas*, & pro arbitratu viuere. Hi ambiuerunt honores, illi diuitias sectati sunt, alij ventrem suum pro Deo, alij pro Dea libidinem coluerunt. *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit*, ostendit se Deum verum esse, *benefaciens de cælo, dans*

Esa. 28.

Act. 14.

pluui-

pluuias, & tempora fructifera, concedens Romanis victorias tam opimas, & ipsis idolis tam ingentes thesauros. Idem professus est Christus; *qui Solem suum oriri facit super bonos & malos.* non mirum quod bonis bene sic faciat qui eum venerantur; sed quod malis tam bene velit, stupendum est. Et hæc Deitatis signa manifesta sunt. Finge & propone tibi aliquam tabulam, cui varios colores induxeris, in qua hominis figuram faberrimè expresseris, cui formam, esse, vires, vitam denique ipsam donaueris: vix bonum tam grande in hanc collocaueris, & exurgat subito figmentum tuum, manum protollat, palmaque excussissimâ te feriat: Aut cogita te lucernam accendere, & præferre illi, qui plaustro iniuriarum te onerat, tolerantem tamen adeo te esse, vt nolis eum tenebris relinquere. Hæc tibi Deus præstat. Imago es, penicillo eius ducta; ab eo formam, esse, vires accepisti. Et tu adeo ingratus esse potes, vt hæc vsurpes aduersus eum, qui donauit? Ille te illuminat, & tu illum calumniaris? quam bene posset te *collocare in obscuris, sicut mortuos sæculi?* Sed hinc Deus esse cognoscitur. Ligna ignem concipere nihil magnum aut mirum est: sed ignem fouere in aqua aut glacie, est inauditum. Si amantem redamas, hoc tecum

Matth. 5.

Psal. 142.

infi-

infideles faciunt, faciunt bruta animalia, ſed amare inimicos diuinum eſt. Quod explicabit rectè parabola. Deus habuit duos, amicum vnum, inimicum alterum: amicum filium, inimicum hominem peregrinum, ægrum, multis vulneribus ſaucium. Sed inimicum Deus proſequebatur Amore tam raro, vt filium ſuum vulneraret, & ex cruore eius balſamum conficeret, aptum inimici vulneribus medicamen. Dauid regio ſolio poſitus edictum tale promulgari iuſſit: *Nunquid supereſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam Dei?* non dicit miſericordiam hominis, qui non facit bene, niſi bene facientibus, ſed *Dei* qui facit bene etiam ſui calumniatoribus. Non poſſunt calamo ſcribi omnia flagitia, quibus Deum ſuum irritauit populus Hebræus, & tamen apud Dauidem ait Dominus: *In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi. Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius.* Et profectò ſi paſſis brachijs filium prodigum, ſubſtantiæ omnis & tantæ diſſipatorem inſignem non reciperet; ſi non quæreret ouem, quæ perijt, & in humeris ſuis ad caulam reportaret, ecquando Cælum ciuem nouum videret? Si in teſtamento veteri iræ ſuæ frenum injecerit, quia populum illum in curam ſibi peculia-

2. Reg. 9.

Pſal. 88.

Luc. 15.

rem assumpserat, quid non faciet qui sanguinem vitamque suam pro nobis effudit? Clamabant Iudæi: *vnus moriatur homo pro populo. Sanguis eius super nos & super filios nostros.* Christus verò in cruce: *Pater dimitte illis.* Videntur riuales fuisse Amor atque Odium. Quando diaboli suggestione eo dementiæ processerat Iudas, vt jamjam Dominum traditurus esset, blandè cum Iuda Christus egit, immisitque in os eius buccellam sapidissimam. Quando Iudas signum militibus dare festinabat, vt prehenderent Iesum, & ducerent cautè, compellat illum voce Amici. Petrum vero à mortis desiderio auertere conantem Sathanæ nomine obiurgat. Clauis affixus cruci immisericorditer, linguâ aridâ, & post amaro felle vexatâ, clamantibus & ioco scurrili ridentibus inimicis, vt è cruce descenderet, ista voce raucâ, & nimium delassatâ dicit: *Pater dimitte illis.* O vocem nunquam auditam! Quis videns insontem rapi ad supplicium, morte infami multari, & damna inferri semper noua, nouas semper iniurias ore blasphemo in eũ euomi, non exclamet, ô tempora! ô mores! & tam enormis flagitij vindictam flagitet à Cælo? Quis Rex spem certam concipiens postridie sceptro suo potiri, liberè, & plenum potentiâ ac maiestate re-

Ioann. 11. Matth. 27. Luc. 23.

gnum accipere, non talionem iuraret talibus? quod ab Apostolo bene ponderatur. Verũ ab eo tam longè abfuit, vt etiã veniam rogaret pro delictis inimicorum suorum, & autumans tempus veniæ nimium proferri, hanc summâ cum pietate querelam exorsus est: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Non queror, quia ligno fixus sum, sed quia à te non exaudior, & satisfit voto meo. Deus meus, Deus meus, audi quod rogo, concede quod postulo; & queri desinam: immò non male mihi erit, tametsi derelicto. Quid igitur non dixisset, si misericordiam illius efflagitassent? Theophylactus atque Eutimius dicunt Latroni in mentem venisse vt à Domino misericordiam peteret, quia videbat eum orare pro eis, quibus tam bene fecisset, & à quibus tam male habitus fuisset. Si enim Romani aut Barbari ita eum tractassent, non caderet factum in admirationem tam magnam. Denique opera sua omnia Deus obseráuit hoc velut sigillo, videlicet orando pro inimicis suis. In omnibus eius virtutibus quidam gradus erat perfectionis; (huic consonum est Euangelium; *crescebat ætate & sapientiâ*) eoque auctus, exaltatusque est, vt pro suis inimicis etiam vitam profunderet, quo cum nihil sublimius inueniret, dixit: *Con-*

summatum est. Et cum ſpiritum vltimum emiſiſſet, lancea quoque pectus ſibi aperiri voluit, vt quod ſupereſſet ſanguinis, hoc omne profunderet, & oſtenderet nihil ſibi reliquum eſſe, quo bene facere poſſet, nihil habere ſe, quo male vellet illis, qui eum vitâ exturbarant. Ira enim eſt recurſus ſanguinis ad cor: quare ſi aliquid ſanguinis illi ſuperfuiſſet, potuiſſent ſuſpicari quidam remanſiſſe in pectore feruorem aliquem; quare cum vita omnem quoque ſibi ſanguinem exhauriri voluit. Dicit Anſelmus, quod milites Chriſtum ſibi pro obiecto aſſumpſerint, in quo myindam luderent, ſiue quem obuelatis luminibus ferirent, & dicerent, *Diuina, quis te percuſſit?* Et ludus non ludus fuit. vnus enim vellicabat illi barbam, alter depilabat caput, alius alapis cædebat, alius conſpuebat in faciem eius: vt ſummatim dicam, tantum iniuriarũ in Chriſtum effuſum eſt, vt Hieronymus dicat, non poſſe numerum earum ante judicij diem fieri. & voluit manſuetiſſimus agnus ſibi oculos obtegi, vt ne videret eum, à quo iniuriam acciperet.

Ratio 3. eſt, quia Deus interdixit omnibus ſuâ gratiâ & gloriâ, qui non diligunt inimicos ſuos. Apud Matthæum iubet
Matth. 18. *vnumquemq; fratri ſuo remittere, vt & Pater*
Matth. 6. *cæleſtis ipſis remittat.* vbi græci legunt, *abſol-*
Marc. 11.

uere.

uere. Videtur vnumquemque præficere cõfeſſioni fratrum ſuorum, & dicere: Abſolue illos ab injurijs, quibus te affecerunt, ſi vis vt Deus & Dei vice Sacerdos te abſoluat ab ijs, quæ in eum deliquiſti: alioqui ſi non abſolueris eos, nec ille te abſoluet. Quædam ex naturâ ſuâ aſpera ſunt & difficilia, ſed alijs admixta mollia redduntur & facilia. Medicamenta amara & inſipida ſunt omnia, quibus ſi malum cydonium aut aliud ſimile appoſueris, dulceſcunt; ſi ſanitatis quoque deſiderium coniunxeris, poterunt delectare. Rogauerant Dominum diſcipuli, vt eis formulam orandi traderet: & cum eis dictaſſet, quod nos quotidie recitamus, *Pater noſter*, clauſulamq; ſolennem *Amen* addidiſſet, repetiuit velut omnis boni clauem, hunc ſermonem; *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis pater veſter cæleſtis delicta veſtra.* Hoc eſt quod ſibi ad imitandũ Eccleſia debet proponere in capite jejunij quadrageſimalis. Sicut enim temporis ſancti, & exercitiorum ſpiritualium, quæ in eo obimus, obſeruationem ordinamus ad veniam peccatorum noſtrorum ſeu iniuriarum, quibus Diuinam Maieſtatem laceſſiuimus, & ad remedium eorundem, ſiue lethalis infirmitatis, quæ frangit vires animæ noſtræ: ita monemur fruſtra nos ma-

cerare carnem quadraginta diebus, si non ante fratris injurias dimiserimus; & vanam esse nostrorum delictorum coram Sacerdote in sacra hebdomade enumerationẽ; inutilem in Paschate synaxin, si non prius fratribus nostris suas noxas ignouerimus. Fatuus est homo, qui curandam offert Medico animæ suæ conscientiam, & tacet quod iam imbibitum est altiùs venenum. Chirurgi in capitis vulneribus crustam tollunt, expurgant solicitè, vt ne quo tabo aut sanie per vulnus diffusâ applicandorũ medicamentorum virtus hebetetur: Ita in vulneribus animæ mortalibus, sanies vindictę odijque tolli debet studiosè, hęc enim confessionis, sacramenti, ieiuniorum, orationis, aliorumque remediorum, quæ animæ sauciæ adhiberi solent, efficaciam omnino pessumdant. Quod in confessionibus Augustinus aperuit, in hæc fere verba: Tu Domine scis, quam longe alius sim ab eo, qui iam-pridem esse solebam: quia tu es, qui compescuisti animum meum sine habena currentem in vindictam; quia per tuam misericordiam dimittenti mihi debitoribus meis, dimisisti quoque infinita debita mea. In Exodo dixit Dominus populo suo: *Inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te:* quod ipsum hodie quoque pergit facere. Reperire est homines non-

Exod. 23.

nullos,

nullos, qui nunquam jurgati sunt, non cõtenderunt lite vnquam sui caussa, sæpe tamen Amicorum, quia videbant eos aut incidisse in sortem malam, aut periclitari. Ita Moysi cum Deo controuersia frequens fuit, non sui, sed, quos ardentissime amabat, fratrum caussâ. Dei conditio talis est: si bene tibi cum eius Amicis conuenit, rarò tecum in iurgium descendet: at si ferox es atque immanis in illos, galeâ tibi & clypeo opus est. Decies mille talenta debitori quidam condonauerat; verum vbi accepit, illum ipsum atrociter in conseruum suum irruere, & pæne suffocare pro talento vno, quod ei concrediderat, accersiuit, verbisq; asperrimis castigatum abstrusit in ergastulum. Idem dixit Psaltes Regius: *Si reddidi* Domine *retribuentibus mihi mala,* si vindictam de injurijs sumpsi: tu quoque vindex meus esto, *& decidam merito ab inimicis meis inanis, conculcent in terra vitam meam.* Verum si toleraui contumelias, & tacui; *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis eius.* Nam *qui vindicari vult,* inquit Ecclesiasticus, *à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit.* Ignosce primum fratri tuo, si vis Deum habere misericordem. Tu præceps ruis in vltionem, & fraterno sanguine tinctas habes manus, & vis vt Christi sanguis tibi salutaris sit? inter-

Psal. 7.

Eccl. 28.

emisti filium, & veniam rogas patrem? Nescio quid præter furcam sperare queas, qui caro es, fragilis inquam, & pronus ad ruinam, qui cras in laqueum incides, & deprehendet te Deus in furto manifesto, in ipso facinore, & potes fouere bilem aduersus fratrē tuum, & Deum sperare propitium? Minatur quoque per Zachariam Dominus: *Ira magna ego iratus sum super gentes opulentas.* Quia cum iniurijs atque periurijs nomen meum sanctum violant, cum sexcentis flagitijs in me delinquunt, intumescit quidem bilis mihi, & reprehendo atque punio, sed nunquam pœnâ illâ, quā promerentur: ad primum enim ex profundo animo suspirium, ad vnas dolentis oculi lachrymas, detumescit rursum mihi cholera, & pristinum amicitiæ fœdus cum eis renouo: sed vehementissima mea indignatio est in eos, quando leui fratris noxâ offensi, nihil spirant præter vulnera & necem, circumferunt annos totos omni mari turbato pectus magis turbulentum. *Ipsi vero adiuuerunt in malum.* tesseram amicitiæ fregerunt nunquam reparandā. Vbi notandum in omnes quidem iniurias atq; odia Diuinum excitari odium, præcipuè tamen in tria ferri. Primū in odium inueteratum, & animæ quasi multorum annorū solibus incoctum: alterum in iniurias affli-

Zacch. 1.

ctis tribulatisque inflictas: tertium in molestias ac grauamina pauperum. Quod ad primum attinet, nonnulli sunt qui irarum quasi struem exstruunt, & quotidie multiplicant caussas inimicitiæ, jurauerúntque, vt ait Zaccharias, non remittere quidquã de concepto odio; & horâ lethali sonante non rarò velut primogeniturã relinquunt filijs ex testamento. In quorum animis ponit Apostolus *omnem amaritudinẽ, & iram, & indignationem, & clamorem, & blasphemiam*, vt in Esau aliquo, quem plusquam nouercali in fratrẽ odio flagrantem *dixisse in corde suo* ait scriptura: *Venient dies luctus patris mei, & occidã Iacob fratrem meum*. de quo Apostolus; *reprobatus est: nõ enim inuenit locum pœnitentiæ, quanquã cum lachrymis inquisisset eum*. Neq; enim Deũ mouet planctus viscerum crudelium. Vt in Absalone aliquo, qui occultum odij ignẽ sæuo in pectore duos annos circumtulit, quotidie cõuiuando cum fratre suo. Vt in aliquo Saule, qui Dauidẽ tam diu tam moleste persecutus est, à quo tam multis beneficijs & ipsâ vitâ donatus erat nõ semel. Ab ægritudine periculosa & longa pauci ad sanitatẽ redeunt: porrò inimicitia pestilẽtissimus & periculorũ plenus morbus est, quem si longũ esse contigerit, ad salutẽ non resipisces sine miraculo. Vti in damnato corpore vniuer-

Eph. 5.

Gen. 27.

Heb. 12.

2. Reg. 13.

1. Reg. 18. & 23.

ſim membra omnia ſpẽ ſalutis amiſerunt: ita animã odij longo igni exardeſcentem, mortuã cogita, nõ quia ad medendum remedia Deo, aut voluntas deficiat ad curandum; ſed quia ipſa nulla admittit medicamenta. Hæc ſunt peccata, quæ Ioannes in epiſtola ſua Canonica vocat *peccata ad mortem*, ſiue immedicabilia. Perpetui Iſraëlis hoſtes Ægyptij, Babylonij, Idumæi, Philiſtæi, Ammonitæ, Moabitæ, Syrij, Palæſtini, Tyrij, Sidonij fuerunt, ſed in damnũ ſuum. Quibus omnib⁹ licet cum Ezechiele Prophetæ alij grauiſſime minitati ſint, particulariter in Palæſtinos iraſcitur Domin⁹: *Ecce*, inquit, *ego extendã manum meã ſuper Palæſtinos, faciamq; in eis vltiones magnas arguens in furore, pro eo quod fecerũt Palæſtini vindictã & vlti ſe ſunt toto animo, implẽtes inimicitias veteres*. Quod ad ſecundũ ſpectat, teſtis libro Regum ſecundo facta eſt fames in diebus Dauid tribus ãnis jugiter. Diu multumq; laborauerat Rex, vt huius mali originẽ cognoſceret. Anno primo naturalem eſſe opinatus eſt: altero ſuſpicatus eſt proficiſci à Deo propter idolum quoddam in tribu Dan repertum: tertio vero, cum peſſumdato idolo, nõ decreſceret fames, *conſuluit Dauid oraculũ Domini. Dixitq; Dominus: Propter Saul & domũ eius ſanguinũ, quia occidit Gabaonitas*. Porro Gabaonitæ vt dicit

1. Ioan. 5.

Cap. 21.

ſacer

facer textus nõ erant de filijs Iſraël, ſed reliquiæ Amorrhæorũ, quibus jurauerunt Ioſue & poſt electi Principes nullũ eis vnquã bellũ aut etiã damnum inferendũ eſſe. quorũ jure-jurãdo cum Saul obſtringi noluiſſet, ſed magna eos clade affeciſſet, Dauid quoq; hanc injuriã ita manifeſtam caſtigare negligeret, afflixit vniuerſum populum fame miſerandã vſq; dum ex poſteris Saul ſeptem cruci affixiſſet. Nemo ignorat triſtem caſum Naboth, & vineæ confiſcationem multo injuſtiſſimã, & ſimul infelicem necem Iezabel, atque Achaz mariti eius, aliorumque tyrannorum, qui ſubditam ſibi plebem immeritò grauiterque diuexarunt. Vt de tertio addamus aliquid, grauibus pœnis vindicat Deus injurias miſerorum. Percute primum caput Abdiæ, in quo Dominus aduerſus Edom (quia nunquã niſi culpis noſtris prouocatus, ad caſtigandum mouetur) iratiſſimus inſurgit; *Propter interfectionem*, inquit, *& iniquitatem in fratrem tuum Iacob* (quo nomine Iudæi, poſteri Iacob intelliguntur) *operiet te confuſio & peribis in æternũ.* Idumæi enim ſemper Iudæis infenſi atq; infeſti erant. præſertim cũ victores & deſtructores Solymæ Chaldæi vinctũ cum populo Regẽ traherent inſtigabant barbaros filij Edom ad crudelitatẽ, vt quia in partẽ ſpolij veniebant, veni-

Abd.1. rent quoq; in sceleris cōmunionem. vnde Propheta: *In die cum stares aduersus eum, quando capiebant alieni exercitum eius, & extranei ingrediebantur portas eius, & super Ierusalem mittebant sortē: tu quoq; eras quasi vnus ex eis.* Hoc est quod Psalmistes ait: *Memor esto Domine filiorū Edom in die Ierusalē. Qui dicunt, Exinanite, exinanite, vsq; ad fundamentum*

Psal. 136. *in eâ.* Et visa est Deo hæc iniuria tam non ferenda, vt diceret: *Non despicies in die fratris tui, in die peregrinationis eius; & non lætaberis super filios Iuda in die perditionis eorum; & non magnificabo os tuum in die angustiæ.* q. d. ad talem adeoque miserandum statum ego te adducam, qui vobis tollat animum gaudendi super malis & afflictione aliorum; quod significatur per *magnificare os*: qui enim ridet alios, solito amplius os diducit atque aperit, vt Iudæi

Matth. 27. olim ad pedem Crucis, dicentes: *Vah, qui destruis templum.* quod etiam Regius vates indicauit: *dilatauerunt super me os suum; dixerunt, Euge, euge.* interiectio enim

Psal. 34. hæc non rarò ludibrij & contemptus est. Aduersus Edom quoque est illud Amos

Amos. 1. vaticinium: *Super tribus sceleribus Edom, & super quatuor non conuertam eum: eò quod persecutus sit in gladio fratrem suum.* Et minæ omnes Ezechielis in ciuitatem & gentem immersam in profundum peccato-

rum,

rum, non obijciunt nisi vnum scelus crudelitatis, in fratres mœstos desolatosque. Dauid rogat Deum seu Iudicem suum gratiam, vt agnoscat caussam suam, atque ignoscat: *Quoniam quem tu percußisti, persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* multiplica super eos flagella tua. *Appone iniquitatem super iniquitatem*, permitte eos labi ex vno in aliud peccatum, ex vno malo in aliud, donec miseriarum omnium miserrimis ærumnis oppressi *deleantur de libro viuentium.* Semper enim in sæuos Deus suam seueritudinem demonstrat. Psal. 68.

Ratio quarta. Quia Deus iniuriarum omnium certus vltor est. Quæ Dei laudes maiestatem adauctant plurimùm, duo attributa sunt, iustitia ac misericordia. hæc sunt, quæ veluti bases solidant, sustentantque Cælos ac terram, quæ sonitum maximum strepitumque edunt vtroque in mundo, vt Psaltes dixit: *Duo hæc audiui*, quę te magis diuulgant ac manifestum reddunt, *quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* Eorum vnum adeo dulce sapidumque est, vt solo eo homo delectari abunde possit, iuxta illud Dauidis: *Iucundus homo qui miseretur:* alterum insipidum ac durum, nemo enim libenter illud in hospitium suum admittit. Ipse Dominus Psal. 61. Psal. 111.

iusti-

iustitiæ debitum munus non administrat, nisi compulsus, & inexplicabili cum dolore, quem multi Prophetarum varijs in locis insinuarunt: transigit enim tecum, vt triplam quintuplamuè pœnæ simul & culpæ partem condonet, incastigatamque prætereat. horum enim duorum dulce tibi potius donat, vt lætam iucundamque vitam tuam reddat, id est, vt misereat te fratris tui; insipidum amarumque sibi seruat id est iustitiam & iniuriarum vindictam relinqui sibi postulat. *Mihi vindictam*, inquit, *& ego retribuam*. Ego *Deus vltionum Dominus*, nolo vt quisquam sibi appropriet, quod meum est: ita vindictam administrabo, vt omnibus satisfaciam. Vobis iudicare non rectè conuenit: sæpe enim cæcutitis, immò cæci omnino estis obsidentibus lumina vestra passionũ nebulis, vt non cernatis aut discernatis quidquã, & trabem non raro pro festuca habeatis. Sæpe tempus modumque vindicandi præteritis, neque operiri potestis occasionem rectè vlciscendi, aut cum præsente hora quæ de omnibus rebus triumphare solet, flaccessit desiderium, voluntas mutatur, obliteraturque omnis acceptarum iniuriarum memoria. Mihi committite aut permittite vltionem: qui in manu pondusque mensuramq; & mo-

Rom. 12. Psal. 93.

dum

dum circumfero: mihi, qui tempus nescio, non patior memoriæ defectum, non ſubeo immutationem. Dolorem vobis iniuriarum leniat, quod ſit qui iudicet & vindicet: & ſi vobis ſerum videbitur, ſcitote, quod commoditatis articulum expectem. Lamech per directam generationis lineam abauum habuit Cain, fuit enim filius Mathuſael, filij Mauiael, filij Enoch, filij Cain. Non fruſtrà deduco hanc ſeriem. Si enim aliquis dixerit Cain interemiſſe fratrem ſuum Abel, & longum annorum circulum euolutum eſſe, & vixiſſe etiam tum & vidiſſe non modo filios, ſed nepotes, pronepotes, & abnepotes; vnde ſuſpicionem facere poſſet, quaſi Deus parum tenacis memoriæ eſſet, & de clamore ſanguinis Abel non meminiſſet amplius, ac necem tam iniuſtã perpetuâ obliuione ſepeliuiſſet. Amputauit ergo hanc ſuſpicandi anſam Deus, permiſitq; vt abauum ſuum Cain pro ferâ occideret. Et facere hoc poterat operâ non deditâ: Cain enim vagabatur per nemora & montes humore obſitus melancholico: Lamech vero venandi appetens, cum obtuſiorem haberet aciem oculorum, comitem arbitrumque puerum ſemper aſſumpſit, quem quod erroris illum non præmonuiſſet, ictu vno in terram & mortem dedit. Vxores

igitur

igitur Lamech, aut quia regulis Iustitiæ terrere, venenoué perdere volebant, aut quia vociferabantur eum aliquando fore alijs victimam, sicut ille morti puerum abauumq; sacrificauerat; stabant attonitæ; quas maritus placare studens ait: *Audite vocem meam vxores Lamech, auscultate sermonem meum: occidi virum in vulnus suum, & adolescentulum in liuorem meum. Septuplum vltio dabitur de Cain: de Lamech vero septuagies septies.* Meum enim crimen à malitia profectum non est, vt Cain; non me ante Deus monuit, neque tam sinistrè sensi de misericordia Dei, vt ille: vnde si necem Cain Deus septies vindicauerit, meam vindicabit septuagies septies. Ita commentatur hunc locum Hieronymus, melius omnibus alijs interpretibus, vt ego opinor. Verum licet huic & quibusdam viris Sanctis non videatur ideò Cain fuisse mortuus, quod *posuisset Deus in eo signum, vt non interficeret eum omnis qui inueniret eum*, & verbis claris addidisset, eum à nemine interfectum iri; quæ omnia facile Lamech ignorantia excusaret: vt vt sit tamen, satis facit ad propositum nostrum, quod cuiuscumque iniuriæ vindicta Deo relinquenda sit. & qui præuenire ausus fuerit, seuerius in illum animaduertetur. Ne cogitet quisquam, quia multorum

Gen. 4.

Gen. 4.

annorum curriculo tacet, ideo immemorem quoque esse Deum; vult enim vlcisci suo tempore, & hanc præterea vindictæ moram grauitate compensat. Qui audiuisset Dauidi additam esse ad fouendum, Sunamitidem, scripsisse eum & obsignasse testamentum, hæredem designasse, an non credidisset cum Dauide necem quoque Principum Abner & Amasa sepultam iri, Ioab vero impunem admiraturum calceos suos sanguine adhuc humano tabidos? Verum contrarium vsu venit, in vltimis enim præceptis quæ filio moriturus dedit, hoc vnum fuit. *Tu nosti, quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israël, Abner filio Ner, & Amasæ filio Iether, quos occidit. facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacifice ad inferos.* 3. Reg. 2.
Non multo post fato Dauid functus est, functus quoque Salomon præcepto patris sui, & dixit: *Quia interfecit duos viros iustos, melioresque se, reuertatur sanguis illorum* occisorum, *in caput Ioab* viuentis, *&* quem *posuit in balteo suo, qui erat circa lumbos eius* cum ludibrio, *& in calceamento suo quod erat in pedibus eius*, cum fastu: reddat nunc Deus in caput eius, & tollatur è consortio hominum. Non meminerat Israël 2. Reg. 21.
iniuriarum, quibus Gabaonitas Saul op-

presse-

presserat, sed refricuit illis memoriam Deus pestilentia triennali. Iezabel, vt loquitur scriptura, faciem suam stibio depinxerat, compserat caput, & oblita vineæ atque Naboth, ingredientem Iehu de fenestra spectare, & placere laborabat: verum ita imperante Iehu præceps in terram data est, *aspersusque est sanguine paries; & equorum vngulæ conculcauerunt eam, & carnes eius canes comederunt.* Fratres Ioseph trepidi verebantur, vt de acceptis olim iniurijs pœnas vindices sumeret, sed ille, ait: *Nolite timere* fratres charissimi, *num Dei possumus resistere voluntati?* vbi textus Hebræus habet, *Nunc Deus ego sum.*

4. Reg. 9.

Ratio secunda, quæ ad diligendum inimicum flectere hominem potest, hæc est, quod nihil maius, honorificentius, aut præstantius sit quam iniuriam condonare: vilius è contra aut impotentius nihil quam eandem vlcisci. Vxor Oseæ peperit altero partu filiam, cui nomen Deus imposuit *Absque-misericordia*: Qui partus vt alij oēs, mysteriosus erat, quo monebatur Propheta prędicare populo Dei iudicia. Hæc, inquam, filia significabat immanitatem Iehu: quem cum Elisæus Regem designaret, fleuit: interroganti vero Iehu, cur fleret, respondit: *Quia scio quæ facturus sis filijs Israël mala. Iuuenes eorum interfici-*

Osee. 1.

4. Reg. 8.

terficies gladio, & paruulos eorum elides, & pregnantes diuides. at ille obstupefactus: *Quid enim*, ait, *sum seruus tuus canis, vt faciam rem istam magnam?* Quando ergo nata est Oseæ filia, dicere voluit: Iehu gaudet, quia in cruore inimicorum lauit manus suas, verùm hortare illum vt ne glorietur, opus enim femininum est. Vbi nota quod in *lib. de doctr. Christiana* monuit Augustinus, vnam rem alio nomine vocari in S. Scriptura per analogiam seu proportionem. Quia mõtes Libanus & Carmelus feracissimi sunt, res fœcundę Libani Carmelique nomine appellantur. vnde ad Sponsum suum Sponsa: *Caput tuum vt Carmelus.* i. fertilissimum. Quia Rachel tenerè adamauit filium suum, matres liberos suos amarè deflentes Rachelis nomine nuncupantur. Quia Sacerdotes vbique gentium venerabiles sunt, scriptura Sacerdotes vocat eos, quibus reuerentia singularis debetur. Iuxta quem sensum accipiendus est locus ille in lib. Regum, vbi filij Dauid Sacerdotes dicuntur, cum extra dubium sit, ad sacerdotium non potuisse assumi aliquem ex tribu Iuda, vt affirmat ad Hebræos Apostolus. Et phrasis in omni pæne lingua communis est crudelibus Neronis, liberalibus Alexandri, sapientibus Salomonis nomen dare. & frigidos glaciem, cali-

dos ignem appellare solemus. Atque ita hîc quod veluti facinus magnanimum jactabat Rex Iehu, vocat Deus nomine timiditatis, & mollitiei, nomine inquam mulieris, quæ à molli aëre vocis originationem habet. Volens Deus rubore infamis verecundiæ vultum, vt sic loquar, Dæmonij confundere, dixit: *Inimicitias ponam inter te & mulierem; ipsa conteret caput tuum.* Quod idem est, ac si quis diceret, cædam te vulpina cauda. In Leuitico præcipit Deus, vt anima quæ labijs peccauerit *offerat de gregibus agnam siue capram*, femellam inquam: vitium enim linguæ mulieribus proprium est, in quibus virium imbecillitatem natura linguæ virulentiâ compensauit. Brutorum animalium vilissima, inquit Seneca, magis ad vltionem procliuia sunt, quæ si calce fors proteras, subitò in te dentes acuunt. Si catello molestus fueris, nemo eum latrantem intra duas horas compescere poterit. Canem Gallicum si irritaueris, morsu tacito in brachium tibi aut gulam insiliet. Ita mulier, quia infirmior atque debilior, magis prona est ad vindictam. Vnde Sapiens: *Non est ira super iram mulieris.* & Poëta:

Gen. 3. *Leuit. 5.* *Eccl. 25.* *Iuuenal. Sat. 13.*

---continuò sic collige, quod vindicta
Nemo magis gaudet quam femina.

Sene-

Seneca; Ignoſcere, inquit, regium eſt, & à corde generoſo, ac liberali pectore nata virtus. Hugo *lib. 6. de anima* dicit, vindictam nobilem eſſe victo condonare, & gloriam maximam non damnare eum, cuius vitam in manibus habeas. Cicero: vincere animum, iram frænare, moderari victoriæ, lapſis ſuccurrere, non eſt hominum ſed Deorum opus. Iulius Cæſar celebri aliquando victoria potitus, poſtridie publicam & comunem veniam promulgari iuſſit inimicis ſuis, & qui ab eius partibus ſtare vellent, omnibus ſe liberalem propitiumque fore pollicitus eſt. Ad quem deinde ex Amicis quidam, Maiorem hodie, inquit, ô Cæſar triumphum, quam heri promeritus es. Cui ſimilem adulationem ſcripſit quoque in epiſtola quadam Cicero: Multum, ait, in te mihi confidentiæ ſitum eſt ô Cæſar: nullius enim niſi iniuriæ obliuiſci potes. Dixerat quidam Regi Ageſilao, Regis munus eſſe præmijs Amicos, pœnis inimicos afficere: cui reſpondit Ageſilaus: Quin potius dixiſſes Regis officium eſſe inimicos ſibi Amicos facere beneficijs. Lacedæmonij in ſacrificijs rogabant Deos ſuos auxilium, quo reuocare mentem poſſent à vindicta inimicorum: putabant enim ſui vltores non poſſe facinus aliquod præclarum medi-

tari. Certè nullum ſignum omnipotentiæ diuinæ manifeſtius elucet vſquam, quam in hac eius clementia: vnde in quadam oratione Eccleſia; *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime & miſerando manifeſtas*. Hoc ipſum eſt quod Paullus ad Hebr. & Ioël in ſuo vaticinio dicunt, quando eum multæ miſericordiæ Dominum vocant. Licet enim bonorum aliorum ſummè diues ſit, & attributa eius infinita ſint, maximum tamen & bonorum omnium optimũ, ac clariſſimum, moneta Dei magis nota hominibus eſt, miſereri atq; ignoſcere. Moyſes rogans pro populo ſuo; *Magnificetur*, ait, *fortitudo tua*. Extēde vires potentiamque tuam, condonando culpã huius populi. Hoc eſt idioma, quo mortem quoque ſuam Chriſtus exaltationem vocat. O Deus meus; iniurias, flagella, ludibria, profundiſſimam abiectionem tune honores vocas? Immo honores voco: neque enim vllus maior honor eſt, quam qui patiendo & ignoſcendo obtinetur. Et quia Crux propitiatoriũ erat inimicorum ſuorum, in ea omnē Chriſtus honorē ligauit; & hinc ille iſte eſt, quo nos hodie fruimur. Greg. Nicænus ad hæc verba orationis Dominicæ *dimitte nobis*, dicit nullo alio pacto nos Deo reddi ſimiliores, quam dimittendo debitoribus noſtris. Ad eadem verba

Heb. 2.
Ioël. 2.
Num. 14.
Ioan. 12.

Chrysostomus ait hominem imitari Dei impassibilitatem, quando remittit injurias; quia sicut Deus ab his nihil patitur, ita ille quoque nihil pati videtur. Hoc Christus expressit: *Vt sitis*, inquit, *filij patris vestri qui in Cælis est.* Inimicos suos amat Pater cælestis, & vos vestros diligite, atq; ita suos filios vos faciet. Nolite attendere ad carnẽ, quæ generat filios furibundos, feroces, ardentes in vindictam; sed ad Patrem benignum Deum, & pectus quoque diuinum adipiscemini. Iacob cum rediret ex Mesopotamia, præmisit seruos suos ad Esau fratrem suum cum muneribus, dixitque: *Placabo illum muneribus.* Non adeo fratris sui ira eum terruit, vt hæc dona mitteret; sed sciebat fortitudine patientiam esse potentiorem: & *Matth. 5.* *Gen. 32.*

Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit
Mœnia.

Quod Sapiens quoque non ignorauit, cum diceret: *Melior est patiens viro forti; & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* Gregorius in quadam homilia dicit duas esse martyrij species, animæ vnum, alterum corporis: & vtroque præmium palmamque acquiri, illo per patientiam, hoc per tormenta. quare licet Ioanni Euangelistæ cruciatibus vita erepta non sit, *Prou. 16.*

per patientiam tamen martyrij coronam indeptus est. Dicit Ioan. Chrysost. quod Dauid, quando in spelunca præcidit oram chlamydis Saul, & post quando à latere dormientis cum hasta scyphum abstulit, magnum in pectore duellum senserit, occideretne eum an parceret potius; & Deo fautore ac Patrono vsus, vicerit seipsum, victoriaq; potitus fuerit gloriosiori, quam quando Gigantem illum interemit. Speluncam ergo egressus est, duplici onustus lauro: vnam in manu gestauit, quia non strinxit gladium; alteram in capite, quia seipsum vicit. Ambrosius & Rupertus dicunt Iosephum varijs à Sathana tentationibus vexatum fuisse: vt nunc ad inuidiam vindictamque fratrum stimulauerit, vt Abelum: nunc precibus importunis nutricis suæ exagitauerit, vt Adamū: nunc verò iniustis vinculis. Verùm non magna eius victoria fuit de muliere, quod in tauri cornibus chlamydem reliquerit, aut carceris inediam æquo animo tulerit, aut se venumdari Ægyptijs passus fuerit: sed regium triumphum duxit de fratribus, quibus ignouit iniurias, quas tam libere tutoque vlcisci poterat. fecitque hoc ante Euangelij legem tam pijs multisque cum lachrymis, quod hodie à Christo instructi discipuli facere negligunt, & verbis placi-

Hom. de Dauid & Saul.
1. Reg. 24. & 26.

dis rogati, & minacijs territi. Concludo & dico, eos qui existimant vilem esse animum, qui tolerat iniurias, licet pro talibus non habeantur, sunt tamen semi-hæretici. quod sic probo: quia in lege Euangelica nusquam in partem laudis aut præmij venit vitium, soli virtuti laus datur & præmium promittitur. Cum ergo Euangelium summis præconijs extollat eos, qui diligunt inimicos suos, & à vindicta mentem manumque abstinent, & certum eis præmium polliceatur; quomodo vilitatis eis nomen dari poterit, cum inter vitia vilitas numeretur? Præter hæc non est vllus in scriptura textus, quo jubet Deus sui caussâ hominem honoris aut nominis aut famæ suæ jacturam facere. Dicit quidem; Qui perdit animam suam, inueniet eam; & qui reliquerit domum, fratres, sorores, patrem propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit; nunquam tamen dixit; Qui honorem suum perdiderit propter me. Nemo enim homo vnquam nominis aut famæ suæ damnum propter Deum passus est, neque pati poterit. Si obiecerit aliquis infamem esse virum illum qui verbera acceperit, & non responderit, virumque sese ostenderit: Respondeo, illi qui verberibus multatur, si manus pedesque vinctus est,

certe nihil de honore decedere; immò lædet non mediocriter famam suam, qui talem ceciderit. Christianus autem se considerare debet vt vinctum legibus præceptisque Dei, quæ vincula sunt duriora cathenis ferreis; hæ enim corpus, illa animam obstringunt. Esto, mundo in suspicionem infamiæ talis veniat: sed hic error est imperitorum, alia est prudentium sententia. S. Paulus gloriam quærit ex carceribus, & injurias in pretio & laude ponit. Neque id mirum; cum Deus sibi gloriosum ducat ignoscere, iuxta S Paullum, *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*, vt peccati veniam obtineant, q. d. magis gloriosum erit homini, si proximo peccanti ignouerit.

Heb. 11.

Rom. 3.

Ratio sexta proponit damna molestiasque animi hostilis. Sauli dies omnes pleni furiarum & diffidentiæ erant. ille ipse fatebatur miseriam suam: *Non est*, inquit, *qui vicem meam doleat.* Et cui non onerosa sit lorica, non fastidiosæ mille animi consternationes? Demum si pulchrè successit sub manus negotium vagari, extorrem & proscriptum: si irato genio fortunam tentauit, vitam proijcere, & quod dolendum sanguineis lachrymis, æternis pœnis addicere animam? Hoc idem genero suo

Laban ſapienter indicauit: præter diuinum mandatum, *Filiæ meæ*, inquit, *& filij & greges tui, & omnia quæ cernis mea ſunt: quid poſſum facere filijs & nepotibus meis?* quomodo offendere queam, vt ego ab offenſa liber ſim? Idem accidit ei qui ſe vindicare conatur: ſi vitam inimico adimit, perdit animam: ſi profugum eum exulemque circumvagari cogit, ſeipſum exulem Cæli ſcribit, priuatque æterna beatitate. Melius eſt omittere id quod minus eſt, quam amittere id quod maius eſt. Melius eſt in mari bonis eluere, quam vitâ. Quod Lamech vxoribus ſuis aperuit: *Occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum.* Vno ictu transadegi hominem, ſed magis mihi, quam illi doluit, interemi adoleſcentulum vno vulnere, ſed vulnere meo potius quam ſuo. Liuor eſt ſanguinis intra cutem collectio ex ictu aliquo: q. d. ergò; Hæc eſt lex vlciſcentis, quod occidens alterum, ſeipſum feriat, & liuoris notam contrahat. Additque interlinearis commentatio, mordente conſcientia: quaſi hic liuor remorſus conſcientiæ foret infallibilis ac duraturus, quia in hac vita manet vltoribus index certus pœnarum æternarum. Quibus adiungi poteſt oratio prudentiſſimæ mulieris Abigail ad Dauidem proruentem ad

Gen. 31.

Gen. 4.

internecionem impij Nabal, & vniuersæ domus eius. *In me*, inquit, *Domine mi sit hæc iniquitas. loquatur obsecro ancilla tua in auribus tuis*, & locum aliquem iræ da, *& audi verba famulæ tuæ. Non ponat, oro, Dominus meus Rex cor suum super virum istum iniquum Nabal, quoniam secundum nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo. Nunc ergo Domine mi, viuit Dominus & viuit anima tua*, quia lucrum, quod ab ignoscendo venit, tuum est, neque minus consistit in non tollendo alienam, quam in seruando vitam tuam. *Viuit*, inquam, *Dominus, qui prohibuit te ne venires in sanguinem, & saluauit* ad nobiliora facinora *manum tuã tibi*: nam quæ cruore semel inimici tincta est, perit facile. Atque ita si hanc iniuriam non vindicaueris, respiciet cum pietate Deus causam tuam, *& fient sicut Nabal inimici tui, & qui quærunt Domino meo malum.* Præter ista non remanebit cordi tuo infixa hæc spina, non punget te hic aculeus, *non erit tibi hoc in singultum & in scrupulum cordis, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te vltus fueris.* Hæ erant vmbræ, quæ sequebantur Cain quocunque se moueret, putà, cordis trepidationes, cogitationes melancholicæ, horrores, cum quibus hodie inquieti ambulant Caini multi, occursantibus sæpe & metum

1. Reg. 25.

faci-

facientibus ſpectris eorum, quos occiderunt, aut certè ſub eorum imagine latentibus Dæmonib⁹. Adeo vt inimicũ vlſciſci nihil aliud ſit quam præparare ſibi laqueum, & ſponte ire in captiuitatem: vt apis, quæ parum alteri nocet, ſed vitæ damnum ipſa incurrit. Exiuerat aliquando Dauid ad laceſſendum inimicos ſuos: Amalecitæ interim fecerunt impetum in quandam vrbem eius, & ſuccenderunt eam igni, & captiuas duxerunt mulieres cum liberis, omnes à minimo vſque ad magnum. Ita tu, quando egrederis vt vindices te de inimico tuo, intromittis in ædes tuas incendiarios. Idem traditur de Ioſue in ſacra hiſtoria. Quare tibi Sapiens conſulit, vt tui ipſius miſerearis, & Deo gratus ſis: *Miſerere animæ tuæ placens Deo*: placebis autem, ſi vindictæ appetens non fueris.

1. Reg. 38.

Ioſ. 8.

Ratio ſeptima fundatur in bonis, commodiſque, quæ in ſe iniuriæ complectuntur. Ioannes Chryſ. ſuper his orationem ſcripſit elegantem, cuius ſubiectum hoc eſſe voluit, putà, Neminem lædi niſi à ſemetipſo. Et clarum eſt, nullam rem queri de quoquam, niſi à quo damnum acceperit. Ita blattis & tineis veſtes, teredini ligna, ferrum rubigini, lupo oues crimen obijciunt. Si nos ergo demonſtraueri-

mus,

mus magis commodo quam nocumento esse inimicos, non habebimus ansam querelarum. Vt ergo hoc dilucidè probemus; Supponendum primo, perfectionem hominis non consistere in acuto visu; lynx enim præualet: non in forma; speciosius enim est Cælum, pulchrius lilium, pauo elegantior: vti neque valor equi in fræno aut phaleris est. Definitionem hominis dat Ecclesiastes: *Deum time, & mandata eius obserua; hoc est omnis homo.* Ethica dicit ipsum esse hominis nihil aliud esse, quam ratione vti, cetera omnia phaleras, & ornamenta. Supponendum secundo, qualecunque damnum inimici venire à manu Dei: licet enim hic peccati autor non sit, permittit tamen, & inimici tui operâ vtitur, vti & Dæmonis, qui te tentet atque exerceat. Ad hunc sensum vocat in lib. Numeri Cyrum seruum suum; vti nos remigio perpetuo adscriptum, seruum Principis nuncupamus. In Esaia appellat Regem Assyriorum virgam furoris sui, ad excutiendum puluerem populi sui. Apud Ezechielem Regem Babylonium nominat gladium & mucronem suum. Iob post direptionem vniuersæ substantiæ suæ, & filiorum subitam & miserandam necem, non queritur de Sabæis, non lamentatur propter Chaldæos, non meminit

Ecclef. 12.

Cap. 10.

Cap. 21.

Iob. 1.

nit

nit ignis, non facit mentionem aëris, non loquitur de ruina, non addit de Sathana verbum vllum, cum nulli tamen alij damna hæc iure potiori imputari potuissent: sciebat enim non esse satis validum totum Infernum ad perdendum agnum vnum. dixit ergo; *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Ioseph fratribus pro noxia sua non vna veniam deprecantibus, respondit: *Num possumus resistere Dei voluntati?* Gen. 50. Dominus ita permittendo voluit. Cum semi-tectus à facie Absalonis profugeret Dauid, stetit in vertice montis Semei quidam *maledicens & mittens lapidem aduersum eum, terramque spargens.* 2. Reg. 16. Abisai verò non satis patiens tolerare iniurias, ad Regem; *Quare* inquit, *maledicit canis hic moriturus Domino meo Regi? vadam & amputabo caput eius.* Sed Dauid: *Dimittite eum, vt maledicat: Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid: & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* Idem ipse Psalmistes Psal. 38. postea repetijt: *Opprobrium insipienti,* inquit, *dedisti me Domine; Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti.* Esaias vocat Christum percussum à Deo: & apud Ioannem idem Christus mortem suam appellat calicem datum à Patre. Hæc ergo omnia aggregemus: quod homo sit timere Deum, & mandata eius obseruare;

quod

quod Deus flagellum immittat tibi per manum inimici, in tuam rem & commodum; nemo autem queri possit nisi de eo qui nocet; manifestum erit, quod absque ratione odio habeatur inimicus. Quis discipulus ferulæ ludimagistri obsistit; aut virgæ Domini quod mancipium? quis remex damnatus non tacitus fert lumbifragium? aut furcifer ad pœnas Iudicis sententia damnatus in carnificem insurgit? aut denique quis miles criminabitur tormenta inimicorum, à quibus læsus est? Canibus solis mos est petram morsu inuadere, & negligere iacientem. Ita tu facis: Deus te flagellat, illi te oppone. Sed non respicis eum à quo vapulas, sed flagro irasceris: Credisne securum te, liberumque fore, si virgam exusseris, aut comminueris flagellum? Frustra es, non deficiunt Deo flagella: si primum, quod contriuisti, ex funibus textum fuit, submittet alterum, ferreum. S. Paullus ardentissimè rogabat liberari à carnis stimulis; iussit eum Deus quietum esse & silere, ne si fortè ab his absolutus sit, pronascantur ei noui asperiores. Itaque non tibi nocet, sed commodat inimicus, & sæpè magis, quam amici duo. Amicus enim multis in vitijs conniuet, & indulgendo iuuat ad ruinam: caues verò cautissimè, vt ne te inimicus

deprehendat vnquam, in quo meritò possit reprehendere, facisque ea propter illum, quæ propter Deum facere detrectares, frænasq; appetitus tuos & dicis: ah ne me inimicus meus videat; & non cogitas te à Deo videri. Dici solet amicus amici speculum: sed rectius diceretur, inimicus speculum inimici. in illo enim tuorum defectuum atomos cognosces, quos non videbis in amico: quia tegit Amor, & tollit omnia. Dicebat Xenophon se colligere ex inimico gargara bonorum: vti Medicus theriacam remediorum præstantissimam ex vipera. S. Pater Augustinus ad illa verba psalmi, *sicut nouacula acuta fecisti dolum*, inimicum nouaculæ comparat: quæ nihil tollit nisi quod molestum ante fuerat, sicut qui equo clitellas adimit Sole præsertim æstuante. Si amicis palponibus bene facis, qui laudant omnia, probant omnia, assentantur tibi omnia; quod negas, negant, qnod ais, aiunt; qui pro amictu seruiunt animi tui motibus, sarciunt resarciuntque diffluentes voluptates: quibus genus hominibus nullum sub cælo animal nocentius est, & à Sapiente inimici dolosi fictique appellantur: Et Michæas dicit, hominis inimicos esse domesticos eius, qui loquuntur placentia, & os auresque oblinunt. His, inquam, si tuam pæne

Prou. 26.
Mich. 7.

ne animam partiris & vitam, qui tam multa grauiaque damna inferunt; rationi magis consentaneum est vt apertum inimicum diligas, qui adeò bene tibi facit. Ille vnus vera proloquitur, arguit vitia, excutit puluerem excessuum, ostendit atomos defectuum tuorum, iubet te ambulare solicitè & prudenter, & patientiæ meritique magnam materiā subministrat. Seneca vocat inimicos, prudentiæ solertiæque magistros. Dauid numerat inter sapiētes, qui in mundo velut Academiā publici ordinarijque professores sunt; Deum, senes, magistros, atque inimicos. Vt nihil de Deo loquamur, qui omnibus scientiarum lumen infundit, magistri doctrinam hauriunt è libris, ab annis atque experientia senes didicerunt, odium verò inimicorum oculos aperit, vt lynces præ his nihil videant. Plutarchus librum perscripsit de commodis, quæ secum ferunt inimici. Israëlitæ, teste Baruch, donarunt Sacerdotibus pecuniam, vt *orarent pro vita Nabuchodonozor regis Babylonis, & pro vita Balthazar filij eius.* Caussa, quæ mouebat illos, esse poterat, quia inimici erant. Rebecca, cum in vtero paruulos collidi sentiret, & Dominum consuleret, responsum accepit; *Maior seruiet minori.* Sed non legitur aliter Esau seruiuisse fratri suo Ia-

cob

cob, quam persequendo. Quem locum commentans Augustinus, Seruiuit, inquit, non obediendo, sed vexando, sicut malleus ferro, fornax pani, mola frumento, martyri tyrannus.

Hic nobis occurrit soluenda quæstio, quam Scholastici multum agitant, vter Amor sit magis meritorius, illené quo amicus; an potius ille quo inimicus diligitur. Verum vt nodus intelligatur, Nota non venire in quæstionem illum, qui amat amicum, & inimicum odit: responsum enim Christi habemus, quod non debeat talis præmium aliud expectare, quia jam recepit mercedem suam. Difficultatis cardo versatur in eo, qui duabus actionibus æqualiter productis à principio, & virtute ijsdem, amat amicum & amat inimicum. Vtraque pars grauibus validisque argumentis nititur, quæ ambiguam reddunt quæstionem: hoc tamen indubium est, quod licet fortasse maiori cum merito amicus diligatur; propter obiectum quod in se nobilius est: sæpe tamen, ponderando omnes circumstantias, mereatur amplius, qui inimicum amat. Atque ita cum de inimico diligendo Christus mandatum tulisset, duo addidit: *Sitis filij patris vestri qui in Cælis est*. Et, *estote & vos perfecti, sicut & pater vester Cælestis perfectus est.* Matth. 5.

Ex quo ſequelam hanc ducit Auguſtinus perfectorum eſſe inimicos diligere. Et Ioannes Chryſoſt. aſſerit nihil nos magis Deo aſſimilare, vt Amor hic inimicorum. Rationem ſubdit Gregorius, quia tanto acceptius eſt obſequium, quanto minus debitum eſt. Durandi ſententia hæc eſt: Licet hi duo actus ab vno eodemque habitu charitatis progenerentur, certum tamen eſt maiori conatu & viribus opus eſſe ad eliciendum Amorem inimicorum quam amicorum; adeoque maioris meriti ille eſt. Virtus enim (vt in Ethicis dicit Ariſtoteles) ſemper ad ardua tendit, & quanto plus tolerandum eſt, tanto maior eſt virtus: Cum ergo difficilius ſit inimicum diligere, ſequitur maioris quoque meriti eſſe. Et quando Apoſtolus in exemplum producit Chriſti Amorem ardentiſſimum, quo noſtrum accendat, non citat illum quo in amicos ferebatur, ſed quo flagrabat in hoſtes ſuos, animam ſuam pro illis ponens. *Cum inimici eſſemus* ſcribit ad Romanos: Si enim pro iuſto mortem occubuiſſet, non fuiſſet opus dignum tanta admiratione, vt notat Chryſoſtomus. Et ſi aliquem inter homines repereris, qui pro innocente & probo mori volet, Phœnix ille erit, Hieronymo ſic arbitrante; pro iuſtitia aut quæſtu ſuo

Rom. 5.

for-

fortaſſe mortem ſuſtinebunt aliqui: pro inimicis verò ita efferatis quis præter Deum? Et ad illa verba Chriſti; *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, dicit Bernardus: Tu Domine maiorem habuiſti, qui animam tuam pro inimicis poſuiſti. Amor humanus pro amicis vitam donabit, vltra non tendet. & hoc eſt quod vult prouerbium, *Amicus vſq; ad aras*, id eſt, vt quaſi pro victima amici ergô immoletur. Amor vero Dei excellentior eſt, qui pro ſuis quoque inimicis vitæ jacturam facere poteſt. Præter iſta Amor inimicorum præſupponit Amorem amicorum, illique adddit aliquid, maioremque inuoluit perfectionem. His adde quod dilectio amicorum à frequenti humanorum reſpectuum concurſu cadat in ſuſpicionem; inimicorum vero Amor ſolum Deum pro obiecto intueatur. Ioan. 15.

Ratio octaua eſt præmium æternum quod promittitur atque expectatur. Qui tranat fluuium, flectit procul ab vnda oculos, ne turbetur cerebro, & pronus in amnem labatur. Ita Stephanus ab ingruente lapidum imbre retorſit oculos ad Cælum, in quo vidit Chriſtum ſtantem à dextris virtutis Dei, & in Act. 7.

ſaxis quandam mollitiem ſuauitatemque expertus eſt, vt diligere inciperet perſecutores tanti boni autores; & diceret: *Domine ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciant.* Dixit Dominus Abrahamo: *Scitò prænoſcens, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua: & ſubijcient eos ſeruituti, & affligent quadringentis annis.* Domine, quid hac periphraſi opus eſt? quare non dicis; Filij tui peregrini erunt in Ægypto; & tyrannide opprimentur? Volo vt oculos ſuos ab inimicis ſuis reflectant ad promiſſa præmia. Huc ſpectat quod Chriſtus dixit: *Vt ſitis filij patris veſtri qui in Cælis eſt.* Eſtne aliud præmium illo maius? Parumne eſt habere patrem, Deum? Multum eſt habere Deum creatorem, ſed habere patrem, non admittit comparationem. Quia Domine, cum te intueor vt creatorem meum, ad conſpectum tuum tremo, paueoque, vt ne obliteres aut peſſumdes imaginem quam formâſti: Verum quando te quoque patrem habeo, debes quoque æquo animo tolerare defectus meos, quia pater es. Ingreditur aliquis in ædes tuas puer eiulans. Quis iſtic plorat? eſt ex vicinia puellus quidam. Expelle aut ſaltem emitte illum,

Gen. 15.

continuam nobis molestiam exhibeant illi pueri. Intrat filius tuus, ex aliquo lapsu luto sordibusq; totus obsitus, & plangit vocalissimo gutture: in vlnas tuas illum suscipis, oscularis, lachrymas tergis. Quid mirum? filius tibi, tu illi pater es. Non est ergo magnum, condonando injuriam eo exurgere, vt Deum mihi patrem faciam? Apud Esaiam dicit, *Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israël, qui portamini à meo vtero.* q. d. scitote, quia filij mei estis, & tolerare, in brachijs gestare, mille è periculis eripere vos debeo. Origenes dicit verba hæc, Filij Dei eritis, ita esse accipienda, quoties inimicis delictorum veniam concesseritis. Voluit generationem nostram non esse inæqualem filij sui diuinæ generationi, in hoc quod sicut ab æterno generatus est & æternum generabitur: ita vos quantumuis per baptismi gratiam assumpti sitis ad nouum esse huius diuinæ filiationis, decet quotidie inimicis remittendo noxas ad maiorem perfectionem ascendere. Alludit ad responsum quod Christus dedit Petro roganti; *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei, vsque septies? Dixit illi Iesus: Non dico tibi vsque septies: sed vsque*

Esa. 46.

Hom. vlt. super Esaiam.

Matth. 18.

septuagesies septies. Vbi notat Hieronymus summam huius numeri, quadringenties nonagesies. quasi diceret: quoties injuriari poterit, toties venia danda est. Videtur porrò fieri non posse, vt die vno possit homo aliquis dicere aut facere quadringentas nonaginta iniurias: dicit ergo, quas hodie accepisti injurias, remitte illo animo, vt cras etiam remittas quascunque acceperis.

Ratio nona atque vltima est illa quam allegauit Christus, cum intercederet apud Patrem pro illis, qui Cruci eum adfixerant: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Validissimum medium ad superandas difficultates est cogitare, non scire calumniatorem quid agat aut loquatur. Adolescens quidam alapa Diogenem cecîdit: ille verò, Cogito, inquit, à bestia me percussum esse. Si vobis hæc persuadere non potestis, vt ineptus sit, qui vobis injurius est, restat alterum medium ad mala hæc euitanda. facite quod Dauid apud Regem Achis, cuius manibus vt tutò elaberetur, deliri faciem induit. Et Salomon dicit simulare interdum stultitiam, valere amplius, quam gloria aut inanis mundi huius sapientia. Rationes has absoluo, dicoque

Luc. 23.

Reg. 21.

Eccl. 1.

non

non posse hominem viuere nisi injurias remittat. Sunt multæ quidem insulæ, vt præter Cretam illæ quas felices, seu fortunatas vocant, in quibus nullum animal venenatum durare queat: sed nondum intellexi esse alibi terrarum regionem quæ inuidiam, æmulationem, iras, jurgia, scandala, inimicitias excludat. In Cælum primo, pòst in Paradisum, demum in Christi scholam hæc penetrarunt, atque ita in omnem omnino plagam irrepserunt. Immò addo nullum hominem probum esse, cui nemo inimicus sit. Dixit quidam Philoni: Neminem inimicum habeo: Respondit confestim Philon: Ergo & amicum neminem. quia qui non habet materiam inuidiæ, neque Amoris habebit.

CAPVT XXV.

Vera Amicitia delineatur.

CVM vulgari ſuffragio Amor quo
inimicos diligere jubemur pere-
grinus, inſolens, & difficilis cen-
ſeatur, tum Amor, quem amico debemus,
De catechizandis rud. ita manifeſtus ſemper fuit, vt Auguſtinus
dixerit, nimis durum cor illud eſſe, quod,
ſi cum fœnore neſciat reddere, non ſtu-
det ſaltem compenſare beneficia. Quare
Ioan. 15. Chriſtus in præcepto illo, quod apud Io-
annem tulit de proximo diligendo, & in
Matth. 5. illo apud Matthæum de diligendo inimi-
co, nihil addit de amico: immo adeo natu-
ralem judicauit hunc Amorem, vt dice-
Matth. 5. ret; *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mer-
cedem habebitis? nonne & publicani hoc faci-
unt?* Verum enimuerò hodie fraudium ita
plenus mundus eſt, tam cara annona veri
Amoris, vt neſciam difficiliuſné ſit amicũ
an inimicum diligere: aut vnde plus detri-
menti capiat Reſpublica, ex fictiſné ami-
cis, an ex publicis inimicis. Quem conce-
ptum vt in apertam lucem efferam, primo
fraudium, fraudulentorumq; amicorum
luſtrum faciam, pòſt eos qui reliqui erunt
(erunt autem pauci) cum vera amicitia fi-
deles amicos recenſebimus.

Primum agmen amicorum fallacium constituunt illi, qui fœdus pangunt indissolubile, & conspirant aduersum bonos. Gens maligna in vnum veluti fasciculum coiens ad tyrannidem, ferosque & ferales impetus promouendos. Cum primum ad scribendum animum Dauid appulisset, statim iustum graphice expressit; deinde legionem tyrannorum, tumultuantium aduersus iustum iustorum. Apud Sapientem dixerunt cogitantes apud se non recte: *Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ; sit fortitudo nostra lex iniustitiæ. Circumueniamus ergo iustum, &c.* In morte Christi Herodes & Pilatus inierunt amicitiam. Et tanta vnanimitas fuit sceleratæ illius plebis in supplicijs eius, vt Lucas dicat: *Iesum autem tradidit voluntati eorum.* Cum personis crescebant numero voluntates: verùm ita concordes erant, ita vniuoci, vt singulari numero voluntatem eorum Euangelista expresserit. Idem in Act. Apostolorum cum de Stephani agone loquitur, *Impetum*, inquit, *fecerunt vnanimiter in eum.* Multorum manibus excussa volabant saxa, sed vnus tantum erat iacientium animus. Hæc vnio indigna amicitiæ nomine est, sed coniuratio vocatur, quam contrahunt tantum abiecti & nihili homines. neque vllus Hebræus vili-

Psal. 1. & 2.

Sap. 2.

Luc. 23. E.

Act. 7.

or aut ſceleſtior peccatore eſt : in manus illius dumtaxat oculos conijcite, & tremere ac trepidare videbitis. Vndecim fratres filij Iacob aduerſus duodecimum Ioſeph conſpirauerant, & non ſoliti trepidare olim, vt ex quibus duo vrbem Sichem inuaſerint, confidentiam omnem peccando perdiderunt. In horto aduerſus duodecim piſcatores inermes cum Pharisæorum & Pontificum miniſtris ibat cohors militum, & vnus Petrus gladio ſuo fugare & eos lædere potuiſſet, ſi nihil de ardore primo remiſiſſet, aut impetum eius Chriſtus repreſſiſſet: ita vt nulla ſit amicitia, ſed tantum vilis quidam male operandi animus. Ita dentibus coniunctis in pauperē canes inuolant, & vix ab illo abeunt, cum directo in ſe inuicem morſu ruunt. Sic coëunt ad inſidias homini ponendas genij infernales, inter ſe autem non aliter conueniunt, quam canes & feles. non aliter confœderati latrones viam obſident, & iunctis viribus diripiunt ſarcinas mercatorum : porro in ſpolij diuiſione ſeſe mutuo vulneribus confodiunt. Amicitiam hanc Iob vocat *corpus compactum ſquamis ſe prementibus*. Quare Auguſtinus dicit amicitiam quandam malam, quandam diſcordiam bonam eſſe. Et Iſidorus dicit, vti ex bonorum coniunctione amicitiam,

Gen. 37.

Gen. 34.

Iob. 41.

ita

ita ex malorum confœderatione solam discordiam expectandam esse. Denique optimum quod in hac vita est, est amicitia, qua potiri nemo malus potest. *Non est pax impijs*: q. d. nullum in hac vita bonum malis obtingit. Esa. 48.

Alium amicorum subdolorum exercitum, sed meo iudicio nequiorem faciunt illi, qui omnibus modis amicum animum simulant, & cum lupo ac trigride immaniores sint, ouino vellere se induunt, vt securius latrocinentur. Huius militiæ ductor primus fuit Cain, qui in agrum Abel fratrem suum blandè inuitans, pro animi oblectamento, animam illi eripuit. Gen. 4. Ductorem primum innumeri Caini subsecuti sunt. Vnus Absalon qui cum opiparo conuiuio, delicatisque cibis & vino pretioso fratrem suum exhilarasset, tandem interemit. 2. Reg. 13. Ioab vnus, qui inter amicos amplexus Abner atque Amasa Israëlitarum fortissimos Duces confixit. 2. Reg. 20. Ismaël quidam, qui hospitem suum à quo bene habitus fuerat, trucidauit. Ierem. 41. denique Iudas, qui osculo signo pacis falso Seruatorem tradidit. Pleni sunt libri omnes amicorum fallacium, aut potius perfidorum. Quare vicem Dei Hieremias monet, vt *vnusquisq; se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia* Idem c. 9.

omnis

omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet. Idem dixit Psalmista: *Saluum me fac Domine Deus, quoniã defecit sanctus,* id est fidelis, quia hominum veracium messis facta est. Fugiebat Dauid à facie Saul, & quoties obuios habebat aulicos Regi maxime familiares, audiebat delicias verborum, promissa magnifica; absens verò eorundem conuicijs improbè scindebatur. Domine, Regi loquemur, memorem eum reddemus, quantum ille cum regno vniuerso tibi obstrictus sit. Regi verò, Homo ille, inquiebant, de plebe est, sortis vltimæ, conditionis abiectæ, sed arrogans, fastu tumidus, & plenus spirituum superborum: in tali angulo habet latibulum suum. Dauid ergo videns se miseris modis afflictum, clamat; *Saluum me fac Domine, quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum. Vana locuti sunt vnusquisq; ad proximum suum: labia dolosa in corde, & corde locuti sunt.* duplicia labia, & cor duplex habent, alio mihi, alio Regi locuti sunt. Idem est argumentum psalmi CXIX. Queritur se Regi Sauli perfidè traditum esse; qui licet malum illi machinaretur, moderabatur tamen aliquantum inuidentiæ, & vindictæ appetitum reprimebat: verum quidam eius consiliarius, qui se Dauidi beneuo-

Psal. 11.

Psal. 11.

lum

lum ſimulabat, ita interturbauit omnia, vt Regis choleram maximè inflammaret. quare conuertens ſe Propheta ad Deum; *Domine*, ait, *libera animam meam à labijs iniquis & à lingua doloſa.* linguæ enim doloſæ *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatorijs. Heu mihi quia* inter fraudulentam gentem *incolatus meus prolongatus eſt.* Nunquam vitam nimis longam queſtus eſt, niſi maledicarum linguarum aculeis laceſſitus. *Habitaui*, dicit, *cum habitantibus Cedar*, cum Arabibus. vt ſi nunc diceret aliquis; viuo inter Turcas. Quia impoſtor, & inimicus fictus ipſis Arabibus & Turcis peior eſt. Inter illos nocturni latrones ſunt, ſunt & q̃ teſte Sole prædari audeant: Sed hi viuunt in maius præiudicium ſiue damnum Reipublicæ, & raptores ſunt nocentiores. Quare Domini præceptum hoc erat in lege veteri: *Si effringens fur* noctu *domum, accepto vulnere mortuus fuerit; percuſſor non erit reus ſanguinis. Quod ſi orto Sole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipſe morietur.* Ita quidam hoſtes publici; inimici alij ſecreti: hi tamen damnoſiores ſunt, vti angues ſub herba latentes. Idem in alio pſalmo dicit Dauid: *Si inimicus meus maledixiſſet mihi; ſuſtinuiſſem vtique. Et ſi is qui oderat me; ſuper me magna locutus fuiſſet; abſcon-*

Pſal. 119.

Exod. 22.

Pſal. 54.

diſſem

dissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, Qui simul mecũ dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu. Alij volunt eum hic loqui de Doeg Idumæo Dauidis amico primario, qui tamen Sauli Dauidem venumdedit, & in templo occisum volebat, cum inermis ac famelicus fugeret, vbi Achimelech eum pane sacro sustentauit, & armauit gladio gigantæo, Dominumque pro eo consuluit. Verùm tanto furore in sacerdotem accensus est Saul, vt cum eo alios octoginta neci dederit. Alij putant queri Prophetam de Ceila populo Dauidi infensissimo, cui cum beneficia multa impendisset, & ab hostium obsidione liberasset, ita tamen ingratus fuit, vt
1. Reg. 23. Dauidem Sauli tradere cogitauerit, tradidissetque nisi mature Dauid sibi fugâ consuluisset. Rursum alij intelligunt Architophel in coniuratione Absalonis primipilum, quem cum amicum prius, & consiliarium, & magistrum habuisset, postea rebellem sensit atque hostem. Huic fauet Chaldæa phrasis, quæ sic sonat: O Architophel homo mei similis, magister meus, quẽ ad seruandũ mihi fidẽ tot rationes obligant. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes*, neque ab eis vllam vitæ mutationem aut emendationem spe-

rare licet, *quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum.* Non verentur Deum, non homines; nulla eſt lex quam non violauerint & contaminauerint manus eorum: quos tamen facie tenus ſi iudicare volueris, Sanctos dices; loquuntur enim verba oleo molliora, dulciora fauo, & ſimul telo penetrantiora. Quidquid horum aſſumitur, ſeruit propoſito noſtro, probatque inimico manifeſto fictum amicum eſſe nocentiorem. Nihil eſt quod tam ægrè Chriſtum habuerit, quam Phariſæorum blandiens lingua, cum viſcera eorum videret atra bile perfuſiſſima. Vnde cum aliquando compellarent illum voce Magiſtri, magis doluit, quam cum eum Samaritanum eſſe, ac Dæmonium habere dicerent. Apoſtolus Corinthijs moleſtias ſuas enumerat, moleſtiſſimamque eam judicat, quam à falſis fratribus accepit: jlli enim latrones, quia domeſtici, maxime periculoſi ſunt, qui ædium omnes angulos cognitos habent, & ſciunt vbi locorum dependeat ſica, qua tibi necem parent. Monetæ adulteratorem lex ignibus damnat: non leniori pœna dignus eſt, qui monetam naturæ Amorem adulterat. Sunt enim multi qui adulterinos nummos hos cudunt, & amicitiæ pacta ineunt, vt operentur malum, quod non

Matth. 12. & 23.

tenta-

tentarent, nisi hoc freti adminiculo. Quare Philosophus jubet nos viuere inter inimicos quasi inter amicos; inter amicos verò quasi inter inimicos. citaturque à Ioanne Chrys. velut sententia ad vitam formandam scitu necessaria. Valerius Maximus monet nos sic colere amicitiam; vt recordemur ex illa quoque graues inimicitias nasci posse. Et Scriptores tam sacri quam prophani omnes suadent probare & facere periculum amici; quem pro tali acceptamus. Denique hortantur, vt semper habeamus suspectum inimicum reconciliatum, non delectemur eius obsequijs, consilia autem cum timore sequamur: cum dicat Sapiens; *Ne credas inimico tuo in æternum.* Cum rediret è Mesopotamia Iacob, non audiuit consilium Esau dicentis; *Gradiamur simul; eroque socius itineris tui:* Sed *præcedat*; inquit; *Dominus meus ante seruum suum, & ego sequar paulatim vestigia eius.* Sichem dedit aures filijs Iacob, & perdidit se & suos. Michæas hoc prudentissime cauit: *Nolite credere amico: & nolite confidere in duce: ab ea quæ dormit in sinu tuo; custodi claustra oris tui. Quia filius contumeliam facit patri; & filia consurgit aduersus matrem suam, nurus aduersus socrum suam: & inimici hominis domestici eius:* Non oportet vllam in amico collocare fiduci-

[margin: Eccles. 12.] [margin: Genes. 33.] [margin: Gen. 34.] [margin: Mich. 7.]

duciam, aut credere tesseris datis acceptisué, quia fidem non seruat millesimus. Non est consultum inniti Principum fauoribus, instabiles enim & variabili cerebro sunt, oderuntque hodie illum, quem heri in delicijs habebant. Pagninus legit loco supra allegato, *Ne fidas marito*, respondetque post sequentibus verbis, *ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui*. Primũ monet mulierem, vt ne coniugi fidat, cogitetque non semper viuere nuptialem Amorem, sed altero post datam matrimonij fidem mense deflorescere, & repotijs deuoratis, præ foribus adesse inimicum. Deinde hortatur maritum, vt ne fidem donet coniugi, quæ licet secretum tegere & seruare possit, fortasse vnam Dalilam fore, quæ lachrymis prouocatis, & fictis blanditijs elicuit arcana fortitudinis, Sampsonemque in manus hostium tradidit. Fortasse vnam fore Iezabel, cui olim Achab mœroris sui caussas aperuit, & mendacibus testibus insontem Naboth capitis reum fecit, ac damnauit. Commonefacit post genitorem, vt ne genito ex visceribus suis filio credat: mos enim ille nunc inoleuit, vt patrem filij calumnientur. Cain inuestem vidit patrem, & risit, si non etiam irrisit. Ruben non erubuit violare thorum patris sui, & vxorem eius cor- *Gen. 9.* *Gen. 35.*

2.Reg. 2. rumpere. Abſalon Dauidem vrbe pepulit, & vxores patris ſui in thalamum ſuum aſſumpſit. Filij Sennacherib patrem reuertentem ab obſidione Hieroſolymitana obtruncant. Ozias patris ſui caput obtriuit: Manaſſes medium ſecuit Eſaiam ſerra lignea, vt cruciatum augeret: Sophoclem inſaniæ accuſarunt filij, quod bona ſua prodegiſſet, tametſi rationem eis optimam redderet, atque interim pergeret Tragœdiam meditari, quæ Oedipi nomen habet. Quare Sapiens bene dixit, interdum *vtile eſſe, mori ſine filijs.* Pòſt matrem
Eccl. 2. quoque admonet, vt ne fidem integram filiæ donet; quæ licet potius illi parere debeat, ſexcentæ tamen ſunt, quæ matri in faciem reſiſtunt. vbi dicit Hieronymus; exemplum quidem non eſſe vnum in ſacris literis, prophanos tamen ſcriptores multa reliquiſſe poſteris monumenta. Tullia Seruij Tullij Regis Romanorum filia, impotenter amans conjugem ſuum, & diademate ornatum videre geſtiens, ad patris cædē marito ſtimulū dedit. Deinde ad Capitolium properans cum carpento veheretur, & is qui iumenta agebat ſuccuſſis frenis conſtitiſſet, cauſſamque repentinæ moræ diceret, patris occiſi corpus ibi iacere, ſupra idem vehiculum duci iuſſit, quo celerius in complexum interfectoris

eius

eius Tarquinij veniret. Pergit ad socrum, cui persuadet nihil nurui confidere, quia mortalis inter eas inimicitia est. Filiæ Heth in Rebeccam socrum suam mouerunt seditionem. Denique jubet cauere patres & matresfamilias ab eis quibus familiariter vtuntur, & conuiuas habent, quod illi vt plurimum falsissimi sint. Quod olim adeo probatum fuit, vt in prouerbium abjerit, & citatur à Macrobio in Saturnalibus, Seneca in Epistolis, & Platone. Vt concludam, semper montes arbores progenerant incendij sui materiam vberem. *Cap. 47. de legibus.*

In nonam classem amicorum fraudulentorum conueniunt illi, qui vtilitate probant amicitiam, quam Aristoteles senilem vocat. Et quamuis mundus jamolim senectutis vitia contraxerit, & nulla non ex parte defecerit, ex hac tamen ecclipsin maximam patitur, quia in hanc classem ingrediuntur infiniti. Vt ne inani defatigatione cæli sidera, aut per aërem volantes atomos numeremus, tantum illud Esaiæ vsurpare libet: *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Hinc tot asseclas habent Dynastæ, opulenti tot adulatores: sed non sequuntur Dynastas, aut opulentis adulantur, sed thesauris eorum. Nam si forte casus aliquis læuus eos trans-

uersos in miseriæ foueam deturbauerit, nemo homo erit, qui suo eos adspectu dignabitur. Immo sæpe qui felicibus blandiebantur maximè, maximè eosdem jam infelices oppugnant, vt Actæonem olim discerpserunt canes, quos eduxerat atque aluerat. Iob nullis adhuc fortunæ aduersæ casibus pressus amicorum omnium blandiloquia accipiebat quotidie, at cum in fimeto raderet testa scabiem suam, diris se deuoueri audiebat. Nihilo fortunatior Tobias fuit. Prodigus filius, quamdiu tumidos adhuc loculos habuit, beneuolas habuit cum viris mulieres: verum substantia omni dissipata, dissipatus est quoque grex adulantium, & qui tam multos parasitos aluerat, non inuenit à quo frustum panis mendicatò acciperet. Et quamuis vnus ille hoc nomine famosus sit, non possunt tamen certo numero filij omnes prodigi comprehendi, quibus porcos suos mundus alendos committit quotidie; & cum egregie vsque ad cutem eos totondit, ludibrio habet aut neglectui. Dionysius cum adhuc Syracusanorum ac pæne totius Siciliæ tyrannidem obtineret, maximarum opum Dominus, exercituum dux, rector classium, equitatuum potens, plenam habuit adulatorum & sycophantarũ aulam; post verò fortunæ ludos expertus, &

ex tyranno magister ludi factus opprobria omnium sustinuit. Idem judicium forma de alijs, quos incertissimo flatu in sublime extulit, deinde improuiso de cursu desti-tutos profundo cladium miserabiliter for-tuna immersit. Horum symbolon apud veteres canis erat: qui te peregrinum quo-que visitabit conuiuantem, & licet acce-perit à manu tua quidquid in lancibus est, non tamen ideo postridie allatrare desinet, si te alio in loco offenderit. De his quoque locutus est Ecclesiasticus: *Est autem amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessi-tatis.* Eccl. 6. Socrates scribens ad quendam ado-lescentem prædiuitem & multis stipatum comitibus; Doleo, ait, ob tuam solitudi-nem, qui te enim comitantur, non tecum sed potius secum ambulant. In auri sco-ria hæc amicitia faberrimè exprimitur, quæ auro intermixta, vbi vim ignis sensit, subito ebullit in thermastridem: ita vbi loco adhibetur amicitiæ veritas, & proba-tur fame, inedia, paupertate, molestijs, su-bito vertunt terga illi, qui prosperante fortuna mille vobiscum amicitiæ vincula nectebant. Hos Pythagoras meretricis no-mine donabat: illa enim blanda est, quam-diu sperat accipere, post exspoliato illu-dit. Seneca dixit similes esse hirundini-bus, quæ dum tui egent, cantillant; quan-

do vero pullos ſuos excluſerunt, auolant, lutoſaſque tibi ædes relinquunt: ita hi tibi honoris perditi ſordes, & loculorum exhauſtorum inanias, tranſeuntque ad ſpem nouæ commoditatis. Quare dixit Plinius *non eſſe ſuſcipiendas hirundines in domo*, quia vernante tempore adſunt, hybernante abeunt ad plagam calidiorem: ita amicorum multi dum vobis adſpirat felicitatis ver, adhærent velut hæredes, fugiunt autem, quamprimum aduerſitatis hiems ingruere cœperit. Comparantur quoque fluuijs, quos in æſtate dum maxime aqua opus eſt, exſiccari vides, in quorum fundo non vnam guttam reperias, ſed ſcrupulos multos & ſilices, in quos facile potes impingere: in hieme vero, cum vbique magna vis aquarum eſt, exæſtuant cum damno tuo non exiguo. Iob torrentibus aſſimilauit: *Fratres mei prætererunt me, ſicut torrens, qui raptim tranſit in conuallibus.* Eſt amicitia puerilis, quæ cum ientaculo naſcitur & moritur. Salomon nubibus denſis æquiparat, quę obtenebrando aërem, pluuiam grandem promittunt, ſed oriente iride, & cælum ſerenante atque enubilante, ſpes cadit irrita. Sunt nummi adulterini quibus imperiti confidunt, quaſi alicuius pretij eſſent, ſed quando vſus atque

opus

opus foret, delusos se miserè sed frustra dolent.

Cum fueris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Phalangem quoque cogunt non satis laudabilem illi, qui pro scopo amicitiæ habent delicias animi & voluptates, quæ iam dictæ opposita, in Ethicis ab Aristotele iuuenilis nuncupatur. Voluptas enim sedem habet in iuuentute, vbi viret natura, & viget maxime sensualis appetentia. Ligna, quæ nutrire solent hunc amicitiæ ignem, præter ætatem vegetam est forma, membrorum compositio, ingenuitas, libertas, festiuitas, comitas, gratia, quæ veluti bases sunt, quibus innititur amicitia iuuenilis. Quando fundamenta infirma sunt, caducum est ædificium. Quod spectat ad iuuentutem, quam fragilis, inualida, breuis sit, esto gigantæa aut regia, aduersus omnes impetus munita, patet facile ex fragilitate ac breuitate humanæ vitæ, quam nemo vnquam scribendo attigit, nisi commenta sexcenta, mille glossas adnexuerit. Cum ergo autores tam sacri quam prophani infirmitatem, breuitatemque vitę tot velut hyperbolis depinxerint, nunc vmbram, nunc fumum, nunc somnium indigitando, quid dicent de

quarta ſolum ætatis parte? Ita quoque, licet forma, habitudo corporis, & morum ſuauitas prouocamina non leuia Amoris ſint, de quibus capite 41. ex profeſſo tractabimus; dicit tamen Spiritus ſanctus, quod *fallax gratia & vana pulchritudo ſit.* fallacem & vanam appellat, quia vt Tragicus dixit,

Florem decoris ſinguli carpunt dies.

Partitudo frangit, occaſio mutat, tollit morbus, tempus omnium rerum edax formam quoque conſumit. Ab anno decimo octauo vſque ad trigeſimum mulier ſuæ venuſtatis curriculum currit, atque abſoluit, & ex multis millibus vix vna eſt, quæ huc attingit; tunc autem neceſſaria ſequitur mutatio: quia

Ouid. *Nec ſemper violæ, nec ſemper lilia florent,*
Et riget amiſſa ſpina relicta roſa.

Ipſa Helena, regina formoſarum, vt docent hiſtoriæ, jam anus facta, cum in ſpeculo ſeſe aliquando intueretur, & admiraretur oris ſui & frontis mutationem, dixiſſe fertur: Fierine potuit, vt hæc facies tam multas vrbes deſolauerit, euerterit regna, infinitam hominũ multitudinẽ ad orcũ miſerit? Adeo vt hæc bona nõ diuturna ſint, minus amicitia quæ his velut fun-

damentis suis incumbit: nemo enim tam diu moratur in ædibus, vt ruinam suo corpore excipiat. Præterea hæc amicitia lilij fere odorem spirat; vt enim hoc manu altera tractatum male olere incipit, ita amicitia ista integra diu seruari non potest. Catapotia seu pilulæ ex aloë compositæ inaurantur, sed ori immissæ statim produnt amaritiem suam. Quam subito ignis Amnonis extinctus est, quo flagrabat vsque ad mortem? Huc spectat grex amœnus ille amicorum, qui primi sunt in epulis solennibus, nuptijs, tripudijs, festis. In pugna imaginaria hastam mouent primi, primi currunt in stadio. Nulla sodalitas, peregrinatio, statio, aut ædis sacræ dedicatio, quam illi non præsentia sua prophanent. Amœna hortorum, viridia pratorum, humida fontium, denique summa deliciarum illi ante omnes gustant. Apud Sapienté recte delineantur, qui quasi extra hunc mundum alio Cælo gaudere non possent, inuitant se inuicem: *Venite, fruamur bonis quæ* nostri caussa creata *sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso & vnguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo exors sit luxuriæ: vbiq; re-* Sap. 2.

linquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & sors. Similia habent Esaias & liber Prouerbiorum. Hi sunt, inquit Iob, qui *tenent tympanum, & citharam* nunquam dimittunt à digitis, continui sunt in tripudijs, *ducunt in* his *bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Ex hac cohorte miles fuisse videtur ille de quo scribit Ambrosius. Conuiuabatur Sanctus Pontifex apud virum opulentum, qui inter epulares fabulas fortunæ suæ fauorem miris modis extollebat; non fuisse auditum in suis ædibus luctum aut dolorem, fastidium ignorare domesticos omnes, & cælum semper splendidum illic visum ac serenum. Timuit Vir sanctus diu morari sub tali tecto, & mouens se inde cum suis, vix triginta passus ambulauerat, cum in tergum flexis oculis vidit totam cum familia domum ab hiante terra absorberi.

Esa. 56. Prou. 1. Iob 21.

Apud Arist. & Platonem vocatur Amicus alter ego. Apud illũ & Augustinũ animæ dimidium, aut certe anima vna in corporibus duobus. Quæ duę sententię multũ inter se affinitatis habent: nã si amicus meus alter ego est, nihil mirum si dimidiũ animæ meæ est: & si dimidiũ animæ meæ est, nihil magnum, si alter ego dicitur. Hæc videri poterunt fortasse difficilia, non tamen illi qui non ignorat vires Amoris, qui

Arist. Eth. lib. 9. c. 8. Plato de leg 6. c. 8. Eth. 4. c. 6. Aug. Conf. lib. 2. c. 6.

amantem in amatum transformat; transfert à se ad illum in quo eius Amor habitat: quod suprà fusissimè tractatum est. Manifestissimè verò id probat Amor Dei, qui hominem induere voluit, vt idem cum illo esset quem amabat. Post illam tribus prælijs partam de Dario victoriam, mater & filij regis victi ad salutandum Alexandrum in castra venerat: cum vero obuium haberet Ephestionem, quia & forma & statura præstabat, more Persarum adulata mulier, eum tanquam Alexandrum salutauit. Admonita deinde erroris, per summam trepidationem excusationis verba quærebat. Cui Alexander: nihil est, inquit, quod hoc nomine confundaris, nam & hic Alexander est. Cum ergo, vt ego constantissimè opinor, amicus meus alter ego sit, non miror ea quæ inter amicos contigerunt admiranda. Nõ obstupesco, quod pro Pylade Orestes, pro Oreste Pylades mori voluerit. Nihil magnum fingunt Poëtæ, cum Pyrithoum Theseo comitem indiuiduum addunt, auxilio futurum ad Proserpinam Deo infero eripiendam, vt nodum amicitiæ indissolubilem explicent. Fidem libens do historiæ, quam Cicero de Damone & Pythia scribit. Quorum alterum cum Dionysius Syracusanus interficere vellet, atque is tem- *Cic. offic. 3.*

pus

pus ab eo, quo prius quam periret, domum profectus res suas ordinaret, impetrauisset: alter vadem se pro reditu eius tyranno dare non dubitauit. Solutus erat periculo mortis, qui modo ceruices gladio subiectas habuerat; eidem caput suum subiecerat, cui securo viuere licebat. Igitur omnes & inprimis Dionysius nouæ atque ancipitis rei exitum speculabantur. Appropinquante deinde definita die, nec illo redeunte; vnusquisque stultitiæ tam temerarium sponsorem damnabat: at is nihil se de amici constantia metuere prædicabat. Eodem autem momento & hora à Dionysio constituta, qui eam acceperat, superuenit. Admirarus amborum animum tyrannus supplicium fidei remisit; insuperque eos rogauit, vt se in societatem amicitiæ, tertium sodalitij gradum intima culturum beneuolentia reciperent. Exempla alia apud Romanos & Græcos infinita, tametsi stupenda videantur & pæne incredibilia, absoluo dicendo, quod amicus animæ meæ dimidium, & alter ego sit: quid pars animæ dimidia non faciet pro altera parte dimidia? aut ego pro me ipso?

Ex prima hac lege necessario omnes aliæ deriuantur. quarum prima est, vt inter amicos paritas quædam sit: inter enim

duas

duas animæ partes quæ poteſt dari eminentia? aut quomodo tolerabitur inæqualitas? In ludum chartularum cum gregario milite Rex Neapolitanus Ferdinandus deſcenderat. Fauebat ſors illi: quare indignatus Rex contumelias parum Rege dignas dixit in militem. Cui reſpondit miles: Quando Regia tua Maieſtas aſſedit mihi ad ludendum, miles non alius fuit quam ego; & ego ſimiliter Rex, vt tua Maieſtas. Verum prolocutus fuiſſet, ſi fuiſſet ludus amicitia. Dauid & Ionathas tam arctum fœdus amicitiæ inter ſe pepigerunt; vt ſacer textus dicat, *conglutinata eſt anima Ionathæ cum anima Dauid.* & ne vlla eſſet inter eos inæqualitas; exſpoliauit ſe Ionathas veſtimentis ſuis; iiſque Amicum ſuum induit. q. d. Vt ego ſerum vellere & auro grauidus, tu lana communi veſtiaris, non conuenit. Hæc Platonis lex eſt. Sed aduerte hanc paritatem cum proportione quadam intelligendam eſſe, vt reſpectus debitus perſonarum non contemnatur. Quare ſi duos amicos proponis ciues, conditione & ſorte non diſſimiles, duos item non ſimiles Dominum & ſubditum; ibi rigorem exigo æqualitatis, hic non exigo. Quando legitur Dominus locutus fuiſſe Moyſi, *ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum*, intelligi debet cum reſpe-

1. Reg 18.

Lib. de legibus.

Exod 33.

ctu il-

ctu illo, quem inter Deum atque hominē esse conuenit. Et amicus Regis, tametsi intimus ac gratissimus, nunquam rigidam illam æqualitatem exoptat: non enim maior inæqualitas est, quam summa æqualitas. Ita inter adolescentes & decrepitos, infirmos ac robustos, rudes atque eruditos amicitia æqualitatem moralem postulat, ætati moribusque singulorum respondentem. Ciceroni tamen videtur non posse dari vera amicitia nisi inter æquales; quare si fortuna eos distinguat, superior subleuat inferiorem, & coæquat. Nam

Non bene cōueniunt, nec in vna sede morantur
Maiestas & Amor.

Certe legem hanc seruare Deus voluit, qui seipsum exinaniuit, seruique formam accepit, vt se non inæqualem seruo faceret: Et Elizeus se puero conformauit, vt inter eos magis vera esset amicitia.

Altera lex iubet amicorum omnia communia esse, neq; patitur Meum, Tuū, duras illas voces, autores omnis dissidij, & vt Chrysostomus loquitur, totius mundi vastatrices. Spōsa dicit, *lectulus noster, tigna domorum nostrarum.* Omnia sponsi erant, sed omnium participem eam Amor fecit. Dicebat quidam Theophrasto se vidisse par insigne amicorum. At ille respondit: quomodo vera amicitia esse queat inter

Can. 1.

diui-

diuitem & pauperem? Hanc legem religiosissimè Deus obseruauit, nihil enim habet, quod hominibus non communicauerit. Paullus ad Corinthios; *Omnia* inquit *vestra sunt: siue Paullus, siue Apollo, siue Cephas, siue Mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura; Omnia enim vestra sunt.* & ad Romanos; *Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Et filij prodigi pater dixit: *omnia mea tua sunt.* 1. Cor. 3. Rom. 8. Luc. 15.

Tertia lex est, vt idem velint ac nolint. quomodo enim in vna eademq; voluntate cōtradictio sit? hanc legē Apostolus posuit Christianæ amicitiæ, *Idem inuicem sentientes.* Renunciare vos oportet propriæ opinioni, & eam amico tradere. Ciceroni *non est vllum certius amicitiæ vinculum quam consensus & societas voluntatum ac consiliorum.* Abraham & Loth amici erant coniunctissimi: quare illis rectè visum est, quia vna eos terra capere non poterat, diuersas regiones occupare. & dixit Abraham. *Non sit iurgium inter me & te* propter diuisionem, *fratres enim* & amici *sumus.* Et quia legem amicitiæ seruare mihi animus est, *Ecce vniuersa terra coram te est: Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Quod Rom. 18. Cic. pro Plancio.

tu

tu voles aut noles, velle aut nolle me decet. In primitiua Eccleſia erat credentium cor vnum & anima vna. Idem dixit
nt.2. Sponſa: *Dilectus meus mihi & ego illi*; idem volumus, idem nolumus. Legis huius hieroglyphica ſigna fuiſſe videntur Ezechielis quatuor animalia, quorum iunctæ erant pennæ alterius ad alterum; quæ conformitatem voluntatis inter amicos debitam innuunt: & inde naſcebatur ordinatus quadrigæ in ambulando motus. Hoc ipſum eſt quod Chriſtus rogabat Patrē ſuum:
an.17. *Rogo pro eis qui credituri ſunt in me, vt omnes vnum ſint*; vnum velint ac nolint, *ſicut tu Pater in me & ego in te* vnus ſumus, idemque volumus ac nolumus. Inde concepit audaciam Ioſue, vt Solem ſtare iuberet & Deum veluti obedire: inde auſi ſunt in vtroque teſtamento ſancti poſtulare, quæ videntur quaſi illicita, & tamen Deus illis non negauit.

Quarta lex, quæ apud Ciceronem ordine prima eſt, vult, vt nihil illicitum aut indecorum petamus ab amico. Non eſt amicitia nominanda quæ aliquid non honeſtum admittit. Pericles Orator celebris, cum ab amico quopiam rogaretur, vt in cauſſa quadam ſua gratia falſum deieraret, reſpondit quod hodie adhuc pro adagio eſt; μέχρι τοῦ βωμοῦ φίλος εἰμί, *ami-*

cus

cus sum vsq; ad aras. Olim enim jurantes aram manu tenebant. Paullus Christianæ amicitiæ leges ferens, hanc ponit principalem, *odientes malum, adhærentes bono.* Non debent peccata vobis amica esse, quæ seruire non possunt, nisi ad velandum defectus suorum amicorum. Syncere amicus diligendus est, & cum eo quod in eo est bonum: odio vero habenda eius vita non recta. Hæc autem persuadere opus prudentiæ est: pro miraculo enim est, qui amici sui vitia odisse potest. Augustinus in sermone quodam; Amat, inquit, medicus ægrum, non ægritudinem: ita vos amicos amare decet, sed non amicorum vitia. Cicero in Officijs dicit, bene & male facere pro amico non esse amicitiam, sed coniurationis speciem. *Noli*, inquit Ecclesiasticus, *pro amico fieri inimicus proximo.* Vulgo pro amico facere quidlibet licitum est: licita enim & honesta pro omnibus fiunt. & ex plebe nemo non sibi persuadet excusari scelus pro amico patratum qualecumque. Quare inter malos amicitia esse nullo modo potest. *Cap. 6.*

Lex quinta pro fine respicit bonum amici; quia amicitia virtus est non lucrum, vt ait Ambrosius. Eapropter sæpe pauperum amicitia candidior est, quam diuitum. Augustinus vocat turpem illam amicitiam, *Lib. de Offic.*

citiam, quæ in quæstum aut commodum temporale tendit. Hieronymus debilem vocat, quia non diurnat. Cicero dicit cõstantiam suam à fortuna accipere. Denique Philosophorum aut Sanctorum nemo est, qui hanc probet: de qua multum diximus, cum de Amore senili loqueremur.

Sup. Micheam.
Ca. 2. Rhet.

Lex sexta proscribit silentium. Hoc enim, vt ait Philosophus, maximas pessumdedit amicitias. Et quamuis dicat Seneca debere amicitias longas esse, rationes breues; tamen nihil est, quod magis amicitias refrigeret, quam silentium. Cui legi maxime amicitia, quæ inter Deum & homines est, subiacet: quando enim homo non manifestat crebro Deo cor suum, & contra hostes suos pro gratia supplicat, subito refrigescit eius cum Deo amicitia, & in flagitia prolabitur. Augustinus explicans hunc Psalmi versiculum, *Ante te omne desiderium meum*, dicit: Frigus charitatis est cordis silentium, & vox cordis est charitatis ignis. Apostolus, *Spiritus*, ait, *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, id est, Amor diuinus voces gemitusque magnos excitat. Christus suis dixit: *Vos dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis.* Et suprà capite XV. ostendimus, quod arcana sua patefacere

Arist. Eth. 8. cap. 1.
Psal. 37.
Rom. 8.
Ioan. 15.

gran-

grande Amoris testimonium sit. Eadem lex contra absentiam ferri potest; nam & illa amicitiæ eodem in gradu repugnat. & inter præcipuas caussas Amoris hæ sunt principes, videre & alloqui. Quare in Amore oculi duces vocantur: nemo enim amat non cognitum. vnde Poëta,

Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error.

Pro prodigio habet Iuuenalis cæcum adamantem nunquam à se visam mulierem. Multi philosophorum, inter quos Democritus, sibi oculos eruerunt, velut autores concupiscentiarum non licitarum. Quare Diogenianus prohibuit oculos flectere ad spectandum illud, quod non licet animo quoq; desiderare. Adeò, vt ille qui absentiam matrem obliuiorum vocauit, prudenter vocauerit.

Lex postrema præscribit amicitiæ æternitatem, nam Tullio autore, amici non sunt flores, qui gratum odorem spirant, quamdiu manu non attinguntur; neque marcescunt, vt forma mulierum. Alibi dicit certos illos esse amicos, qui simul modium salis absumpserint. Petrus Blesensis, in libro quem de amicitia inscripsit, vult veteri amicitiæ honorem magnum haberi, nisi aliqua de caussa radicitus extirpata sit. Seneca in postrema epistola dicit opi-

nari quosdam, nouos veteribus amicis præferendos esse, non aliter quam equos, vestes, fructus: sed indigna homine hæc cogitatio est. immò vino similes amicos esse addecet, quod cum ætate in pretio crescit. Apud Sapientem, *Omni tempore diligit, qui amicus est.* Hæc lex à Deo & amicis

Prou.17.

eius non negligitur. *Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas,* dicit Dauid: & alibi: *Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te.* Dominus verò apud Hieremiam ait, *In charitate perpetua dilexi te.* Qui leges plures legere & scire volet, sextum caput Ecclesiastici percurrat.

Psal.16.

Psal.43.

Hierem.31.

Capvt XXVI.

Fructus Amicitiæ numerantur.

ARBITRATI sunt veteres amicitiam ita ad vitam sustentandam necessariam esse, vt inter prouerbia hyperbole circumferatur; Amicum magis necessarium esse quam ignem & aquam. & sic admonebant neminem adeo potentem aut diuitem esse, quin opus habeat amicorũ officijs: atq; adeo, quemadmodum citra aquam & ignem, ita sine consuetudine atq; opera familiarium non constare hominum vitam. Hinc amicos

Latini necessarios, & amicitiam necessitudinem vocauerunt. Aqua nihil vtilius, nihil vero iucundius igni. Quare recte scripsit Horatius.

Nil ego contulerim iucundo sanus amico.

Dicit Ambrosius solatium esse vitæ nō iucundæ, habere aliquem, cui tuto liceat secreta cordis aperire, à quo in aduersis leuamen accipiat, in prosperis augmentum gaudij: accrescit enim lætitia, tristitia verò minuitur communicata. Petrus Blesensis ait amicitiam diuitibus gratiam esse, sustentaculum pauperibus, exulibus patriam, debilibus robur, salutem infirmis, denique mortuis vitam. Marcus Tullius nescit, an excepta sapientia, amicitia quicquam melius homini sit à Dijs immortalibus datum. Quid enim dulcius quam habere quibuscū familiares sermones cōferre possis? Non ita grata tibi iucundaúe sors prospera videretur, si non esset alius, qui tantum gaudium ex ea hauriret, quantum tu capere potuisti: neque aduersa ferres æquo animo, si non esset alius, qui doloris maiorem partē in se susciperet. Amicitia, inquit plurimas res cōtinet: quoquo te verteris, præsto est: nullo loco excluditur, nunquam intempestiua, nunquā molesta est. Itaque non aqua, non igni, nō aëre (vt aiunt) pluribus locis vtimur, quā amicitia.

Tract. de Amicit.

Cic. in Laelio.

citia. Quocirca & absentes adsunt, & egētes abundant, & imbecilles valent, & quod dictu difficilius, mortui viuunt. Vnde sublata è mundo amicitia, non starent vrbes, non domus: non ars vlla subsisteret, non essent artifices, non munia, quia discordia subuerteret vniuersa. Denique qui amicitiam, Solem simul è mundo tolleret. Neque vllius opes tantæ fuerunt, aut esse possunt, quæ sine multorum amicorum officijs stare possint. Alioqui vita illa tyrannorum esset, in qua nulla fides, nulla charitas, nulla stabilis beneuolentiæ potest esse fiducia. Multi diuitias, multi honores cōtempserunt, quibus mundus supplicat vniuersus: multi calcauerunt, quæ alij maximo in pretio habent; de amicitia vero omnes ad vnum idem sentiunt, & ij qui ad Rempublicam se contulerunt, & ij qui rerum cognitione, doctrinaque delectantur, & ij qui suum negotium gerunt otiosè: postremò ij qui se totos tradiderunt voluptatibus, sine amicitia vitam esse nullam sentiunt. Et in lib. Officiorum laudat dictum Platonis: non solum nobis nos esse natos, sed vitæ partem sibi patriam, partem amicos vendicare. Et sicut res omnes homini, ita quoque ipse homo homini nascitur, alter in alterius subsidium. Deinde subdit nō esse cum agnatis iucundam amicitiā, apud

quos

quos sæpe beneuolentia intermoritur, nõ tamen apud amicos. Cui cõsonat Sapiens: *Vir amicabilis ad societatem, magis amicus erit quam frater.* Pro epilogo verò encomij, quod de amicitia dixerat, concludit amicitiam rebus omnibus anteponendã esse. Dicit Seneca: Non potest viuere, qui se vnum solum intuetur: oportet te alijs viuere, si frui teipso velis. Et alibi: Quando moriar, non mori videbor, si amicos reliquero in quibus viuo. Cassiodorus, Sine amicitia, inquit, pariunt fastidium cogitationes, opus lassitudinem, vita tormentum. Aristoteles amicos vocat oculos; cæcũ vero qui his caret. Menander & Quintilianus thesauros appellant: alluduntq; ad respõsum, quod Dario Regi Alexander reddidit: ille enim cum rogaret, vbi suos thesauros cõditos seruaret, quibus exercitum aleret; Tui, dixit, thesauri in scrinijs sunt aurum atque argentum: mei vero militum atque amicorum fortes animi. Cum Pindaro Pythagoræi honores atque opes in amicitia constituerunt; quibus, vt opinor, humanam felicitatẽ adiunxerunt: quia cum eius partẽ potiorem honores atq; diuitias crederent, dixerunt amicitiam finem esse vniuersæ Philosophiæ. & cum finẽ nominarent beatitudinẽ, eam in amicitia sitã esse voluerunt. Aperiebat malum granatũ Da-

Prou. 8.

lib. 2. Rhet.

rius,rogatuſq; à circumſtantibus,quarum rerũ copiã optaret tantã, quanta granorũ erat:reſpõdit, Zopyrorũ. porrò Zopyrus, erat Dario ex amicis probatiſſimus,cuius opera Babylonẽ ceperat: naſum enim ſibi præcidi paſſus fuerat,vt in Præfectũ militiæ ab aduerſarijs aſſumeretur. Miranda amicitię omnia videntur cõprehendi poſſe nota vna arithmetica, quã exprimunt paucã verba Eccleſiaſtici: *Beatus qui inuenit amicũ verũ*. Plutarchus dicit,vti monetã ita amicum probandũ eſſe. & ne quod detrimentum inde timeatur, ꝓbare eam oportet,vti vaſa aut lebetes, quibus nõ ſtatim vinũ, ſed aqua prius infunditur: ita minima in re magnum oportet de amicis ſumere experimentum. Plinij ſimilitudo hæc eſt: Sicut longo tempore pingebat Zeuxis, quæ longo tempore durare volebat; ita conuenit probare illum diu, quem tibi per omnẽ vitam fidelem eſſe deſideras. Chryſoſtomus, ſi præciditis, inquit, manum, ne proſerpat in brachium totũ gangræna; nihil mirum eſt, ſi perditis amicum illum, qui omni inimico damnoſior eſt. qui licet vas eſſe inauratum videatur, plenus tamen veneno eſt.

Eccl. 25.

Prima conditio, quæ potius ipſa amicitiæ ſubſtantia quam conditio nominari debet, eſt ꝓbitas & virtus ipſius amici: nam iuxta Eccleſiaſticũ, *qui ſibi nequã eſt, cui alij*

Eccl. 14.

bonus

bonus erit? qui seipsum non amat, quomodo alios amare sciet? Vetuit Dominus, Israëlitas inire fœdus cum vicinis suis, gente idololatra, & plena flagitiorũ: cum talibus enim stare firma non potest amicitia. Eapropter noluit Dei populus ad sacra sua Gentiles admittere, vt in ædificando templo suam opem ferrent. *Qui timet Deum*, ait Ecclesiasticus, *æque habebit amicitiam bonam; quoniam secundum illum erit amicus illius*. Augustinus celebrat Philosophum quendam, qui dicebat se non modicè amicum iuuisse, non quidem pro eo apud alios intercedendo, quod licitum erat; sed talem se præbendo, vt probitatis suæ testimonium sufficiens ex eius moribus amicus haberet. Regem Iosaphat sæuissimis verbis increpabat propheta Iehu: *Impio*, ait, *præbes auxilium, & his qui oderunt Deum, amicitia iungeris*. & Apostolus ad Corinthios: *Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax; cum eiusmodi nec cibum vos sumere* volo. Dauid vocat beatum, qui in via peccatorum non stetit. Et magis amat à viro iusto argui, quam laudari ab iniusto: *Corripiet me iustus, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. oratio mea in beneplacitis eorum*. q. d. orationes meas

Exod. 23. Deut. 7.

Eccles. 6.

Paral. 2. c. 19.

Psal. 1.

Psal. 140.

omnes direxi contra voluptates & desideria eorum. quando illi in medio erant deliciarum suarum, ego flexis ad Deum poplitibus sic orabam: Domine ab iniquis hominibus hisce libera me. Cum ergo amicitia sit thesaurus ita opulentus, suauis, & omnibus modis necessarius, quem natura sua homo debet appetere, operæ pretium est, vt aliquot regulas adnotemus, iuxta quas eam quæramus, eligamus, atque obseruemus.

Legat de hac materia qui volet, S. Gregoriũ part. 3. Pastoralis, c. 23.

Requiritur primùm in amico prudentia quædam atque ingenij solertia: homo enim insulsus, & cui cerebrum non satis presens est aut constans, odio atque molestiæ est vicinis suis; amico vero cui oblectationi erit? Ecclesiastes transiens ad contemplandam sapientiam, erroresque & stultitiã, vidit, *quod tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris*: Et Paullus dicit non esse societatem luci cum tenebris. *Stultus*, ait Ecclesiasticus, *vt Luna mutatur.* Et *præcordia fatui quasi rota carri; & quasi axis versatilis cogitatus illius.* Cum vero ex præscriptis legibus amicitia æterna atque intermina esse debeat, sequitur non posse stultos amicos esse. Dicit Ecclesiasticus: *Sagitta infixa femori canis: sic verbum in corde stulti.* quemadmodum canis non prius quiescit,

Eccl. 2. *2. Cor. 6.* *Eccl. 27. & 37.* *Eccl. 19.*

quam

quam ſagittam excuſſerit: ita fatuus inquietus eſt, donec cordis ſui arcana vulgauerit. Ex legibus verò amicitiæ vna ſilentium exigit: nam vt ait Eccleſiaſticus, qui denudat arcana amici, fidem perdit & amicum: cum fatuis ergo amicitia eſſe non poteſt. Dicit Cicero nihil maius meliusué amicitia hominibus datum eſſe à Dijs immortalibus: Seneca vero aſſerit nihil ſub cælo reperiri vilius atque abiectius inſcitia; quare cum inſipientibus contrahi amicitia non poteſt. Eccl. 27.

Requiritur ſecundo, vt ab amico procul ſit omnis faſtus. Superbia enim vult dominari, imperare omnibus; neminem honorat, omnem enim honorem veluti debitum ſibi arrogat, parem non admittit, felicitas vero eius ac gaudium eſt, non eſſe ſicut ceteri hominum: Lex autē amicitiæ vna eſt, quæ vult amicos eſſe non inæquales, vt potentior in auxilium veniat minus valido, diuitior ſuccurrat magis indigo, denique iuxta monitum Apoſtoli *honore inuicem præuenientes*, gaudeant cum gaudentibus, cum lachrymātibus lachrymentur. Quare cum ſuperbis amicitiæ fœdus iniri non poteſt. Rom. 12.

Eodem modo argumentari licet de iracundis, qui non diſſimiles ſunt ferro candenti, amburunt enim eum, qui impru-

denter attigerit: & ſpinis comparari poſſunt, nam & cruciabiliter pungunt. Neque vlli adeo fortes laquei Amoris ſunt, quos ignis non incendat furoris. Porro hæc ſunt vitia, quæ ſingulari quodam modo pugnant cum amicitia, tametſi generaliter omnia contraria ſint: Quare Cicero dixit, nullam præſtantiorem & firmiorem eſſe amicitiam, quam cum viri boni, moribus ſimiles ſunt familiaritate coniuncti. Amicitiam veteres ornarunt ſymbolis, picturis, & hieroglyphicis quam plurimis. Cælius Rhodiginius dicit eſſe vnam Charitum, ſiue Gratiarum. Heſiodus ſingularum nomina, edit, putà Egle, Euphroſyne, Thalia. & ſic deſcribit, vt nudæ ſint & ridentes: vna faciem totam explicet atque oſtendat; altera totam cooperiat; tertia mediam tegat, mediam detegat. facitque Iouis filias, à quibus in genus humanum omnium bonorum riui ſcaturirent. Seneca Gratiarum illis nomen imponit, & numerum ternarium: tria enim in omni amicitia ſpectari poſſunt: dare, recipere, & dare ac ſimul recipere. Virgines finguntur, quia amicitia honeſta, pudica, & ipſis quoque verbis eſſe verecunda debet. Adoleſcentulæ pinguntur, quia non ſeneſcit amicitia, & beneficiorum memoriam ſemper recentem eſſe addecet.

1. offic.

Lib. 1. de benef.

Nudæ

Nudæ sunt, tum quia inter amicos nihil secretum esse debet, tum quia in mutuis negotijs sedulam operam nauare conuenit. Ridentem vultum præferunt, quia nihil amicitia iucundius. Vna faciem intectam ostendit, quia qui beneficium accipit, publica voce id testari debet. altera obuelat faciem, quia qui dedit, recte silet: turpe est enim, quasi per præconem significare omnibus, quid cui bene feceris. tertia mediam faciem velat, reuelat mediam, quia amicus quod dat, tacet, quod recipit, cum laude prouulgat. Filiæ Iouis dicuntur, quia à cælo amicitia data & diuina est. Omnia bona ab illis fluunt, quia sine amicitia nullum bonum vere bonum est. Romani figuram hanc amicitiæ dederunt. Pinxerunt iuuenem formosum, vultu explicato, latere aperto & vsque ad cor nudato, reliquo corpore tecto vili & paupere tunicâ. Hæc inscriptas habuit has voces; vita & mors: frons illas; æstas & hiems: pectus istas; prope & procul: indicem autem in cor intendebat. Iuuenem pinxerunt, quia cordis amicitia semper vegeta est: indutum vili amictu, quia amicus promptus esse debet ad toleranda omnia amici incommoda, & miserias. vultum explicatum addiderunt, quia non oportet vnquam negare amicum, aut eius pu-

dere.

dere. Scriptura ostendit amicum, esse diligendum in vita, & in morte; prope & procul, siue absentem & præsentem; in æstate & hieme, siue in prosperis simul atque aduersis. Manu cor indicat, quia Amor cordis operibus probandus est. Pierius in Hieroglyphicis dicit salem amicitiæ atque Amoris symbolum esse. Sicut enim ex multis aquæ guttis salis petra quasi conglaciatur, & cibis dat condimentum: ita ex multis voluntatibus vna generatur amicitia atque Amor quibus vita humana conditur. Et in sacris literis frequenter salis vocabulo Amor significatur: quare Christus discipulis suis: *Habete*, inquit, *in vobis sal, & pacem habete inter vos.* Hinc in Leuitico tale est præceptum: *Quicquid obtuleris sacrificij, sale condies; nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo.* voluit nempe Dominus sacrificium illud sale condiri, ad quod ille inuitari debebat. Et in libro Numeri vult *pactum salis esse sempiternum*, non tam ob salem, quam Amorem, qui per salem denotatur. Præterea apud veteres sal æternitatis symbolum fuit: & in memoriam apud posteros sempiternam Loth in salis statuam conuersa est. Et quando Reges pœnæ, quam ob grauissima flagitia infligunt, memoriam deriuare volunt ad nepotes, domum euer-

Marc. 9.

Leuit. 2.

Num. 18.

sam

ſam ſale obſeminant. Et proprietas quædam ſalis eſt, res integras ſeruare ab incorruptione. Hoc ergo ſignificatum ſi priori adiungatur, erit ſal amicitiæ æternæ ſymbolum. Concludet hanc materiam qui volet, exemplis eorum, qui apud Hiſtoricos & Poëtas ab amicitia celebre nomen habent. Quæ libens tranſeo, quòd ſimul proſtent in Rauiſij Textoris officina.

CAPVT XXVII.

Philautia ſiue Amor ſui deſcribitur.

AMor ſui per quem hic Amor proprij corporis ſeu eorum quæ ad corpus pertinent intelligitur, ſi mediocris & temperatus, non modo licitus eſt, ſed naturalis etiam ac neceſſarius ad vitam conſeruandam. Chriſtus jubet diligere proximos vt nosmetipſos: qua lege obligatur quiuis amare ſeipſum præter obligationem legis naturalis. *Nemo vnquam carnem ſuam odio habuit*, dicit Apoſtolus. Et deſperationem, damna, vulnera, necem ſui-ipſius prohibet idem, qui damna & homicidia aliorum. Adeo vt qui grauibus pœnis de ſeipſo piè ſed imprudenter ſumptis, vel ieiunijs nimium multis ſibi nocet, Deo rem præſtet ingratam. Verum neque inficias ire poſſu-

Matth. 22.

Epheſ. 5.

mus,

mus, Amori huic ineptam quandam rusticitatem adnatam esse; qua solet à pedibus ad manus transire. Quem inordinatum procedendi modum culpa peperit, cum prius facillimum homini & naturæ consentaneum esset, & delectabile parti amare totum, effectui suam caussam: verum culpa, vt loquitur Augustinus, insculpsit humano cordi inordinatum quendam appetitum ad ea quæ corpori blandiri & commodare videntur. Vnde qui Deum prius quam se dilexerat, deinde se adamare cœpit & Dei memoriam obliterare. Huius appetitus signum statim manifestum in Adamo fuit, cum de fructu vetitæ arboris gustasset: primum enim studium eius fuit, nuditatem folijs ex ficu decerptis tegere. Ab Amore videlicet sui hic effectus nascebatur. Ab eodem, vt bene iudicat Bernardus, nascebatur, quod peccatum suum in Euam reijceret: quam cum in prosperis sociam tolerasset, in aduersis non admisit. Ipsius erat, obuiare Deo irato, & dicere cum Dauide; *Tibi soli peccaui*, sed philautia illi suggessit, vt diceret: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*, atque adeo caussa peccati mei est. Et sicut in posteros peccatum, ita philautia transiuit. neque homo vllus adeo iustus est, qui non passione interdum ali-

Gen. 3.

qua victus retro flectat oculos, vt olim vxor Loth: nemo tam sapiens, qui nō adoret mulieris suæ idolum aliquando, vt Salomon: nullus adeo probus, quem non vnquam in fraudem & transennam illiciant propriæ adfectiones. Pauci tam perfecti sunt, quos lucrum aut præmium non inuitet ad obsequium Dei. ita Dauid dicebat: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.* vt Iacob cum abiret in Mesopotamiam *vouit votum, dicens: Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusq́ fuero prosperè ad domum patris mei; erit mihi Dominus in Deum, cunctorumq́ quæ dederit mihi, decimas offeram illi.* Non multæ Christi sponsæ sunt, quæ eius Amore ita flagrant, vt ad fores pulsanti non respondeant aliquando: Iam-jam pedes ablui & sordefaciam iterum? nuda sum, & ad quietem me composui, surgamne iterum? voces hæ philautiæ sunt. Infrequentes animæ sunt ita Deo pietatique deuotæ, vt non experiantur difficultatem in repudio deliciarum ac voluptatum & Amoris sui renunciatione; aut quibus non incommodum sit interdum, Deo vocanti respondere. Visa fuit Dæmoni ab Amore tali proce-

Psal. 118.

Gen. 28.

dere sanctitas Iob, & quæcunq; Deo præstabat obsequia: quasi vir ille simplex Deum non adamasset, aut aliqua reuerentis animi signa ostendisset, nisi à Cælo tot beneficijs dotatus, tam raro fauore donatus fuisset. Quare cum interrogaret Dominus, quid illi de Iob seruo suo videretur, respondit: Nunquid Iob frustra tibi seruit? an sine lucro & quæstu tibi deuotus est? cum ita ad nutum illi fluant omnia, quia tibi famulatur? Quod noctu in via scrupulosa ac inæquali non cespitet aut impingat homo, mirum est; at in meridie & semita plana nihil rarum. Quod Iob Deo addictus sit, à quo tam magnum beneficiorum cumulum accepit, non est magnopere admirandum, quia sui caussa se illi addixit, & amicus sui est quem amat, & Deo seruit propter lucrum, quod à seruitio tali nascitur. A seipso Diabolus argumentum deduxit ad hominem: Ego nollem Deo famulari, nisi aliquod mihi inde commodum obueniret, ita homini facere conuenit. Quare non potuit in animum suum inducere, vt crederet Deum velle aut posse humanam naturam assumere. Ita enim argumentabatur: Ego propter hominem carnem induere recusarē, recusarem penuriam, ærumnas pati, jeiunio me atterere, aut per tormenta & crucis

infa-

infamiam ire in mortem. Homo ergo cum illo sui Amore nascitur, qui est næuus quidam à capite ad calcem totum hominem obtegens: &, sicut Aristoteles dixit, si homo aliud à se quidquam amat, primò se, deinde illud sui caussa amat. Deum, quia vitæ autor est; Solem quia lucis minister; Regem, quia defensor; deniq; alia omnia, quia suo quæque modo vtilia sunt. Si nunc roges, quomodo Amor ille vitiosus sit, quem natura nobis ab ortu impressit? Respōdebo, aliquid natura sua bonum, dum limites suos excedit, ad vitiorum classem transire: ita sanguis, aër, ignis, calor, aqua, frigus, cibus, potus, mediocritatis aureis terminis inhærentia, bona sunt, damnosa eadem, quando transiliunt. Ita hic Amor, & quæcunque ab eo natæ adfectiones, siue honores spectent, siue diuitias, si modum seruent, bona & salutaria sunt; nociua verò, si à ratione fixas regulas prætergrediuntur. Adeo, vt ipse Christus dicat, eum qui amauerit vitam suam Amore illo immodesto, eam odisse, & amare qui oderit. Prima fronte videtur intricata sententia, sed clara scienti Amorem sui non regularem esse odium, & sic qui Amore illo vitam amat, odit; & qui sic odit, amat. Pone tibi ob oculos vxorem Putiphar, lacessentem omnibus in angulis animum Ioseph,

obiurgantemque: O ingrate, atque inhumane, qui non ames quæ te amat atque adorat. Respondentem verò adolescentem: Immo mea Domina, vt te amem, non te amo vt amari desideras, Amor enim ille potius odium esset quam Amor; & tuo arbitrio amare, foret odisse, non aliter quã mulier odit eum à quo amatur propter deformitatem, quia illa præter animam, sæpe honorem & vitam perdit. Et quando puella aliqua sub Veneris regno vapulauit, perditam se vociferatur. Hic Amor ex diametro pugnat cum Amore Dei, non aliter quã lux cum tenebris, aut cum nocte dies. De subiecto hoc S. Augustinus libros illos de Ciuitate Dei verè aureos composuit; totiusque operis argumentum est, humana opera omnia versari in alterutrius Amoris cardine: Amorem sui autorem esse omnium peccatorum, ædificare Babylonis superbiam cum omnibus eius ciuibus, qui sunt filij cõfusionis; Dei Amorem extruere Ierusalem cælestem, & ciues eius, qui sunt filij Dei. Id Paullus dixit: *In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes.* Citat autem peccatum velut stirpem aut radicem, cui deinde tanquam ramos ordine alia omnia subiungit. Porro charitatem & Amorem Dei virtutibus omnibus & bonis superiorem

2. ad Timoth. 3.

esse

esse & dominari, latissimè suprà proba-
tum est: adeo vt duo hi Amores omnis bo-
ni & mali, virtutum atque vitiorum fon-
tes sint. Et non satis recte scio, Poëtæne in
fabulis suis huc alluserint, quando di-
stinxerunt duos Amoris Deos, honestum
vnum, alterum inhonestum: vnum Vene-
ris & Iouis filium, noctis & alienius ex si-
deribus alterum. vti Cicero & Perottus re-
ferunt pueros ambos, atque alatos, instru-
ctos quoque similibus armis pharetra at-
que arcu, & continuo bello inter se dissi-
dentes. Sed tandem honestus lasciuum
prosternit, arcũ diffringit, exspuit in faciẽ,
& omnibus modis infamem reddit. Sed
quia non interemit penitus, paullo post
rediјt ad primã valetudinem & antiquam
artem nocendi. Quæ omnia pulchro em-
blemate Alciatus repræsentauit. Sunt qui
student originem quærere discordiæ, quæ
est inter sui & Dei Amorem. Christus in
terram descendit, vt Dei Amorem cordi
humano insereret, vnde dicit apud Lucam: Luc. 12.
Ignem veni mittere in terram: sed quia phi-
lautiæ cathenis illigatum mundum vidit,
quæ tyrannorum more domum alienam
possidebat, (anima enim nostra templum
Dei est) conatus est doctrina sua, miracu-
lisque, & ope ministrorum suorum hospi-
tio eam suo extrudere, frænare, & subijce-
re.

re. Sed vti arborem, quæ jam diu radices egit, integrã transplantare non potes, quin subito protuberent germina, & virescere rami incipiant: desiderat homo quidem Amori vtrique leges pacis imponere, & hospitij locum designare, sed fieri non potest, quia adeo diuersi atque inuicem sibi aduersi sunt. Vt autẽ plus lucis addã huic operi, aliquas hic differentias subnectam.

Prima est, quod Amor Dei cum suo etiam damno persequatur alterius bonum, quod supra probatum est plenissimè: Amor vero sui cum alieno damno quærat sua commoda. Quando in pectore Dauid principabatur Dei Amor, noluit bibere aquam Bethleemiticam, tametsi siti pænè enecaretur, quia eam tanto cum periculo milites tres attulerant: sed quando cor eius philautia possederat, desiderio illicito frui voluit, cum maximo damno vnius ex militibus suis fidelissimi, robustissimique. Vix Christus finierat sermonem de morte, quam occumbere paratus erat pro vita hominum, extemplo Ioannes & Iacobus ablegant ad Christum matrem suam, vt sedes ab eo sibi honoratiores impetraret. Ecce, desiderabat Christus bonum suorum cum iactura propriæ vitæ; illi vero desiderant bonum propriũ, cum damno sui magistri.

2. Reg. 23.

Altera differentia est. Dei Amor

illu-

illustrat intellectum, vt præter hunc alio ductore aut doctore non egeat peccator; de quo suprà latissimè: Amor verò sui obnubilat, atque occæcat intellectum. Hinc de illis qui philautiæ subiecti sunt, dicit Apostolus, *obscuratum est insipiens cor eorum.* Rom. 1.
& alibi: *Tenebris obscuratum habentes intellectum propter cæcitatem cordis eorum.* Ephes. 4.
Quod ratione naturali etiam probari videtur: obiectum enim, juxta mētem Philosophi, approximatum potentiæ impedit actum. Ita rem qualemcumque visibilem admoue oculis, visionem impedies. Non aliter homo sui Amore captus, quia obiectum nimis propinquum habet, non potest se cognoscere. In libro primo Machabæorum 1. Mach. 1.
legitur Antiochus violasse templum, spoliasse sanctuarium, & accepisse *candelabrū luminis*: ita sui Amor Tyrannus superbissimus simul ac ferocissimus tollit ex templo animæ lucem rationis, & cognitionis lumen extinguit. Adam ita bardus stupidusque fuit, vt nuditatem suam folijs ficus tegi & à cæli injurijs defendi posse cogitaret. Stoicorum axioma fuit: *Omnes improbi stultissimi.* Et confirmatur à Sapientia: *Nos insensati, &c.* Sap. 5.
Et hinc fit quod homo præceps eat quotidie in mille errores. Simon Magus Spiritum sanctum pecunijs sibi comparare voluit, quare primum in mundo

hæreticum illum vocat Eusebius Cæsariensis. Mahometes à beatitudine noluit voluptates carnales exclusas esse. Nicolaitæ & Floriani spurcitias detestabiles admiserũt. Iouinianus cum virginitate matrimonium æquabat. Hussitæ, Wiclephistæ, Lutherani pares faciunt Sacerdotes & Episcopos. Amor sui generat hos errores. hic delicias carnis, ille honores, alius aliud amat, quia omnes à philautia excæcantur.

Hinc alia differentia pronascitur, scilicet, Amorem sui, non esse bonum sui iudicem. Quia, vt Augustinus ait, nemo iudex est eius, cui subditus est: philautia autem subijcit sibi hominẽ & captiuat. & ex eius effectibus primus maximusque est, obtenebrare oculos hominis, ne sua etiã grandia videat, illustrare eosdem, vt perspicaces sint in minima peccata aliorum. Contra, Amor Dei aperit oculos vt sua cognoscat, quare Dauid: *Peccatum meum contra me est semper:* semper ante oculos meos est. Dicebant veteres hominibus manticam iniectam esse, in quam à tergo peccata sua, ante vero aliena imitterent. Typus est philautiæ: quare peccatũ suum in tertia persona intelligens Dauid, extemplo clamabat: *Filius mortis est vir qui fecit hoc.* Ita Iudas nurum suam damnauit; adulteram Pharisæi. Peccauerunt Adam & Eua, *&*

Lib. 10. Cõfess.

2. Reg. 12. Gen. 38.

aperti sunt oculi amborum, ad videnda aliorum delicta & cognoscendam suam nuditatem. atque ob idipsum voluit Deus sententiam mortis exequi prius in filijs, quam in ipso: quia homo dum moritur nō cognoscit omnia, quæ in morte horrenda sunt, non videt corrumpi oculos, faciem pallore lethali infici, non percipit putorem sepulchralem. Vt ergo Adam culpæ suæ effecta probe cognosceret, ad mortis iter filios præmisit, in quibus videret, quod in seipso non posset. Denique sicut Amor tegit peccata eius quem amat, & quasi velo obnubit: ita qui se amat, sua vitia quantum poteest, cooperit. Et ex trecentis quos vinculis mancipatos seruat carcer ob scelera manifesta, vix quatuor erunt, qui non querentur præter rationem & ius omne se vinctos esse.

Tertia differentia est. Amor Diuinus ardua difficiliaque aggreditur: fortis enim, generosusque est ad labores ac pericula, audaci manu arripit crucem, exemplo Ducis sui, & in ea carnem crucifigit, vt fuse capite 3. à nobis probatum est. Amor verò sui, vilis, piger, tepidus ac trepidus ad omnia, hostis capitalis laboris ac molestiarum, fugitans difficultatum, denique omnino nihili est. Imaginatur nescio quæ incommoda vt loquitur Salomon sub

nomine pigri: Non audeo domum egredi, Prou.22. *Leo est foris, in medio platearum occidendus sum.* Diues ille, qui tam blandè compellabat animam suam, expressissima figura Luc.12. philautiæ est. *Anima* mea *habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.* Nullam nisi sui facit mentionem. Omnia mea esse desidero: volo abligurire omnia. Oratio enim fastidiosa est; jejunia atterunt; quadragesima pallorem & maciem inducit; solitudo tristitiam generat & melancholiam; silentium accendit; lectio delassat: amicus o[illegible]nique voluptatum est ac deliciarum. Verbis quidem non laudat Epicuri sententiam, qui voluptatem summam esse felicitatem opinatus est, operibus tamen approbat, cum in illa dies suos ducat & finiat. Quare noua quotidie excogitat animi oblectamenta: nunc ad musicam appellit animum, nunc in venationem abit; nunc ludo tempus fallit, nunc iocis & fabulis: aut aliud aliquod animo suo delicium inuestigat.

1. Cor.13. Quarta differentia est, quod fidelis sit Amor Dei, nulli fraudem paret, nemini dolum machinetur aut malum cogitet, vt dicit Apostolus: Amor vero sui fallax, perfidus, periurus, tyrannus, crudelis sit. Quod libri omnes monent, docet experien-

rientia, & ipsi quotidie oculi nostri testantur. Illud ipsum Amoris vulgata effigies luce clarius demonstrat. Pinguntiuuenem, cum ipso tempore annosior sit: vocant Deum, & dominantium omnium supremum dominum, qui ne vestem quidem habet, qua se tegat. Cæcum dicunt, & velo obnubunt: si cæcus est, cui rei velum seruiet? Arcum ei & spicula in manum dant, omniaque eius iacula lethalia faciunt: iacula pueri, qui ipsum arcum tendere non satis valet. Volunt eum iaculari, sed non ferire: Sed quomodo cæcus in scopum collimabit? Dant illi faces in pectore ardentes: & quomodo non vritur? Fingunt ignitis hisce telis sauciasse Dryades, Napæas, & Nymphas fluminum Deas: scilicet in aquis luculentus ignis surgit. Alas ei affigunt, vt Catullus ait, propter leuitatem, & velocitatem: qui nunquam migrare solet ex corde illius, in quo semel diuertit. Verum sicuti falsa eius opera omnia, ita pictura est.

Capvt XXVIII.

Bona temporalia, quia non magna, & breuia, Amore indigna sunt.

BOna temporalia in quæ Amor sui tendit prętet modum & modestiam, tametsi innumera sint, Ehica ad quatuor reducit: vti Philosophi ventorum quoque numerum à mundi partibus accipiunt, sub quibus alij comprehenduntur; & elementa reuocant ad quaternionem, licet infinita sint, quæ ex illis componuntur. Temporalia ergo bona hæc vocari solent; vita, honor, opes, deliciæ corporales: alia omnia sub his continentur. Vita complectitur sanitatem, robur, indolem, agilitatem, ingenium, ciuilitatem, humanitatem, in agendo dexteritatem, corporis habitudinem, formam, conditionem, & quidquid boni in solo patrio naturæ pronatum est. Sub honore est nobilitas, series originis, familiæ antiquitas, officia, dignitates, tituli, præfecturæ, exemptio, libertas, priuilegium, fastus, pompa, societas, ordo famulorum., argentea supellex, & cetera quæ ad fastum mundi spectant, & nullo numero exprimi possunt. Ad opes accedunt reditus, census, patrimonia, posses-

siones,

ſiones, aurum, argentum, vniones, margaritæ, lucrum, quæſtus, flabra quæ hoc tempore furialiter mundum concutiunt. In partem deliciarum coit grande agmen eorum, quæ oblectant ſenſus tam exteriores quam interiores. Oculi enim gaudent varietate colorum atque elegantia; aures muſico concentu; nares ſuffitibus ſuaue-olentibus, aromatibus, vnguētis, herbis, floribus; palatum eduliorum ſuauiſſimis condimentis, conuiuijs opiparis; caro vniuerſa telâ pretioſâ, veſtitu molli & nobili, quem induſtria humana quotidie nouum comminiſcitur. Senſus interiores amant ingenij ſubtilia inuenta, bibliothecas ad voluptatem ornatas potius quā ad vſum, cōmercia, & familiaritates plenas humanitatis, gaudēt viſitationibus, per diuerſas mundi plagas peregrinationibus. Hæc porro bona, & quæcumque alia concipi poſſunt, indigna ſunt, in quæ cordis noſtri affectus rapiatur. Nam, licet Amor Dei omnibus alijs Amoribus anteferri non deberet; neque cor totum à nobis exigeret; neque offenderetur ob ineptiam noſtram præ luce tenebras, præ fonte aquæ viuæ foſſas turbidas lutoſaſque amplectentium; neque zelotypia vreretur, quod idolum in ſuo templo id eſt anima noſtra collocetur; neque bonorum omnium

optimum maximumque bonum, quod est Deus, horum bonorum non licito Amore amitteretur: tamen propter breuitatem, instabilitatem, insufficientiam, fraudulentiamque, quæ in ijs certissima repeiuntur, amare stultitia foret multo maxima. Iubet hic conceptus de singulis particularia formare capita, quod hæ rationes non omnibus æque conueniant. prius tamen probare libet, quam parum desiderabilia sint vniuersa, cum adeo vilia, breuia, insufficientia sint, & impotentia cor hominis vel minimum exsatiare. Licet enim voluptas, ludus, venatio, musica, mentis aciem veluti præstinguant: tantum lucernæ fulgor est subitò transiens, relinquens deinde mundum in tenebris & vmbra mortis; famemque excitans tam vehementem, vt originis suæ manifestum omnibus det argumentum. Filius prodigus cum loculos adhuc turgidos auro haberet, explere animũ delicijs voluit: sed quanto plus vorabat, tanto esuriebat amplius, eoque fames excreuit, vt se opplere cogitaret siliquis, per quas, iuxta commentationem Augustini, peccatorum sordes intelliguntur. Ad hominem quendam, vt est apud Lucam, diuertit noctu hospes adeò famelicus, vt subito ad vicinum accurreret, & pulsu confractis

Luc. 11.

pane

pæne foribus clamaret: *Commeda mihi tres panes quoniam amicus meus venit de via ad me.* Itane tuus amicus esuriens est, vt mane crastinum expectare nequeat, & non turbare viciniam? Præterea homini quantumcunque esurienti nunquid satis facere potest vnus panis non exiguus, vt non debeat panes tres postulare? Hominis mundani grandis est esuries, & esitare solet illa, quæ prouocant famem potius quam extinguunt. Dauid extollere volens sitim, quam excitabat illi Dei absentia, dicit: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* Psal. 41.
Rex sanctissime, cur non potius dicis aquã fuisse? quia sitibundo magis aqua quam panis conuenit: illa enim sitim sedat, hic magis accendit. Dauid ergo, vt iudicaret magis lachrymando sibi accrescere sitim Dei absentis, & fruendo bonis quæ plurima habebat, famem adaugeri, dicit: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes.* Probat ea quæ diximus, totum vitæ eius curriculum: cui Deus adeò beneuolus atque beneficus fuit, vt omnia eius desideria adimpleret. Proponite vobis pastorem, excubantem inter greges ouium, à quibus eum ad regnum vocauit: *De post fœtantes accepit eum.* Psal. 77.
Age quid desideras? Domine vix reclusi oculos, vt terram aspicerem, & ecce grauissimum molestiæ onus mihi incubuit.

Ex

Ex monte illo, in quo gregem meum pasco, vrſus egreditur, qui agnum, & leo qui ouem mihi ſemper vnam tollit: tales mihi lacertos deſidero, quibus audeam in certamen cum illis deſcendere, & valeam prædam vitamque eripere prædonibus. Fiat. iamne ſatis tibi factum eſt? Nondum, quia audio quendam de valle Terebinthi gigantem exprobrare agminibus Iſraël, populo tuo; velim in arenam exire aduerſus eum, & percutere atque auferre caput eius, & dare cadauer volatilibus cæli & beſtijs terræ. Amen. iam nihil amplius tibi eſt in optatis? Certe Domine: Cur enim non ſtat promiſſis ſuis Saul, & defraudor præmio meo, vt ſiam gener Regis, & filiam eius in coniugem mihi aſſumam? Contentus ne es iſto præmio? Minime gentium. Quid optas aliud? De inimicis meis victoriam. Votum hoc tuum attinges. Iam finem facis deſiderandi? Nondum Domine. Quid amplius? Quando vnxiſti, coronam quoque regiam mihi impone. Iam Regem illum habemus, neque illud ſatis erat, ſed addidit Deus; *ſi parua ſunt iſta, adijciam tibi multò maiora.* Iamne exhauſi mare deſideriorum tuorum? Nihil minus. Quando ſatiaberis igitur? *Cum apparuerit gloria tua.* Idem dixit in pſalmo quodam: *Quid mihi eſt in cælo,* quod

2.Reg.12.

Pſal.16.
Pſal.72.

præter

præter te ſatiare me queat; *& a ſe quid volui ſuper terram,* quod ſatis voto meo poſſit facere? Attende obſecro Rex prudentiſſime, quid loquaris: Sunt enim in Cæli penu pro familia tam nobili edulia ſapidiſſima, opiparè condita, quo nō penetrant, vt Ariſtoteles loquitur, peregrinæ impreſſiones, vbi non eſt motus, aut mutatio, aut alteratiō vlla; non fluctuat ſors fortunæ, non vrit calor aut frigor, non ſæuit tempeſtas, non æſtuat mare, nōn ventorum furijs terra agitatur. Nihilominus ſine te, Cælum non deſidero; quid enim præter te illic me exſaturare queat? In terra vero cum faſtidio poſſedi regna, regiones, reginas, aurum, argentum, & quidquid mundus à ſe dare poteſt: & licet mihi cum terra Cælum quoque tuum offeras, nolim ſi non etiam teipſum dones, neque enim ſatis mihi poſſunt facere. Salomon optim⁹ omnium teſtis eſt, ſi quis alius: bonorum enim omnium veluti anatomiam quandam fecit, proponens tempori ſeruire, dies lætos ducere, frui præſentibus voluptatibus, & delicijs animum ſuum paſcere ad ſatietatem. Vnde coniugio ſibi copulauit mulieres mille, ſeptingentas reginas, concubinas trecentas, deinde ædificia ſuperba ſplendidaque extruxit, in vrbe, in agris, hortos, nemora, nauigia, ſtagna,

piſcinas, viuaria præparauit. præter hæc, famulorum ordines habuit tam ſplendidos regieq; inſtructos, quam alius aliquis in orbe monarcha: vt non tantum numerus ſed magnificentia raperet in ſtuporem Reginam Saba. Rurſus habuit muſicos doctos voce & digitis inſinuare auribus melos diuinum, & pro maiori delicio femineum muſicarum chorum. Prętcrea abacum auro argentoque cælato inſtructum, ſcyphos, calices, pateras, vaſa alia; adhæc vina pretioſa ex præſtantiſſimis collibus in eius cellas inuecta. Quibus adde ſtabula, incredibilem equorum multitudinem, phaleras, bullas, fręnos, lupata, ephippia & infinita huiuſmodi ornamenta. Deinde theſauros auri, argentique, facti, infectique, quos reliquit illi pater tam opulentos, vt, juxta computum Budæi, plus decies habuerit in diuitijs quam Darius. Et cum ædem Deo, ſibi domum erexiſſet, diſpoſuiſſet familiam ſuam, qualem cogitatione delineare ac deſiderare potuiſſet, dicit: Eccl. 2. *Cumq; me conuertiſſem ad vniuerſa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus fruſtra ſudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole*, ſed in carbones redire omnes theſauros. Æger quidam eſt, quem in ardore febris tertianæ adurit, atque omnia

pæne

pæne viſcera exurit rabida ſitis. Si eum interroges; Quid poſtulas amice? Domine, bibere, bibere. Os tuum frigidâ laua. Æthiopem lauo, etiamſi manus, arteriaſque omnes pleno flumine madidauero. Nihil penetrat in locum, vbi ſitis tyrannidem ſuam exercet: quare non poteſt quoque ſatisfacere. Ita huius vitæ bona omnia ſunt oris ablutiones, ſerta florea, fontes inutiles, quorum nihil attingit illuc, vbi ſitis dominatur. ſunt veluti lilia, quæ ſi manu tractes, graue olere incipiunt. Promiſſa Iſraëlitis terra feraciſſima erat, ſed aquarum indiga; ita vt aliquid eſſet quod deſideraretur: ita nihil eorum quæ mundus habet, & amant homines, caret hac infirmitate. Erit aliquis à ſtirpe clarus, ſed ingenio bardus: ingenioſus alius, ſed ipſa nequitia nequior. Erit quidam artis muſicæ peritiſſimus, ſed rauim in gutture habebit: acceptus & charus omnibus alius, ſed pauper. Erit qui Cræſum Craſſumque diuitijs ſuperabit, ſed eum manibus pedibuſque vinctũ podagra aut alia mala valetudo lectô alligat. erit alius quẽ nulla vnquam ægritudo aſpexit, ſed nulla etiam fortuna proſpera. Naaman erat in oculis Regi Syriæ, ſed leproſus. Rachel formoſiſſima, ſed infæcunda. Lia prole diues, ſed lippa oculis. Saul Rex, ſed exoſus. Denique ni-

nihil erit in hac vita, cui non addi debeat vnum, *sed*, felle amarius. Dicit Osee Deum nobiſcum agere, quod ſolet maritus cum vxore improba, quæ tranſijt ad nouos amatores. thalamum ſpinis obſerit, vt cum in ſpinam aliquam pedem induerit, dicat: Reuertar ad lectum ſponſi mei: Ita Deus felle & aloë bona temporalia obſeuit, vt ſi ea appetitu immodeſto quæſierit anima, amaritiem experta dicat; Redire volo ad requiem Dei mei. In omnibus cruciatibus videtur Chriſtus ad extrema perueniſſe. Si flagellorum ictus numeremus, quis credat in vnum corpus quinque flagrorum millia cecidiſſe? Si calumniarũ & ludibriorum numerum quærere volumus, Deum oportet conſulere: *Deus tu ſcis improperium.* atq; ita de alijs tormentis ratiocinandum eſt. Mors autem quaſi nota arithmetica infernum totum expreſſit, quod ad malum pœnæ attinet: tantaque in patiendo pro homine eius patientia fuit, vt ſignum dederit non vnum parati ad maiora ſuſtinendum animi: donec illi fel aceto miſtum oblatum eſt, quod guſtauit quidem ſed bibere noluit, vt intelligeret homo in omni re ſibi fel relictũ eſſe. Cyrillus ad verba illa, quę ſub vltimam horam locutus eſt Chriſtus in horto: *Pater, ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte,* dixit hanc

Osee.2.

Chriſti mentem fuiſſe: Pater ego calicem iſtum bibam quidem, ſed ad meos quoque tranſeat: nolo totum ebibere, ſed partem hominibus relinquam, quare in omni ſtatu, quantumuis felix ſit, fel certiſſimè inuenitur, quod Chriſtus reliquit. hinc nemo ſua ſorte contentus viuit: quod argumentum explicatiſſime tractauit Poëta Venuſinus lib. 1. Sermonum, Satyra prima. Agricola quidam, vt in cauſſa ſua dubia conſilium roget, accedit Cauſſidicum, & quia gratus eſſe deſiderat, capream bene curatam tollit in humerum ſiniſtrum. Ad primum pulſum Cauſſidicus expergiſcitur: leuiſomnus enim eſt ob continuas lucubrationes. Heus Daue, vide quis foribus noſtris iniuriam faciat. Domine, villicus aliquis eſt. Vt Dij forum perdant, & qui me ad patrocinandum inſtruxerunt. Alijs licet vſque ad mediam lucem ſtertere otioſis, & à cubili ad menſam præparatã tranſeunt, neque deeſt illis quicquam; mihi totas noctes vigilandum eſt, & omni hora adeuntes, abeuntes audire. Heus famule, jube hominem redire quando rectè diluxerit, ſi quid velit. Domine caprea onuſtus eſt. Caprea? Relaxa fores, atque ingredi jube. Intrat ruſticus dum cubitu ſe leuat Cauſſidicus, & miratur tapetes acu Belgica diſtinctos, antiqua ſimulachra, & in-

gentem vim librorum, hinc illinc dispositorum, vt puluerem feruent. Egreditur subito Caussidicus indutus vestem vndulatam, & audito accusatore, Bartolum aut Baldum inspicit, vt in admirationem rapiat agricultorem. Hic interea secum; Ita me Dij ament, vt hæc vera vita est, sed non mea. volo filium meum studijs addicere, & ad caussarum patrocinium promouere: ita Iouem lapidem iuro. Rusticus ergo inuidet erudito: hic vero macerat atque mactat se laboribus, & lubens mutet suam cum qualicumque conditione. Negotiator credidit mari centum talenta auri: videt tempestuosum & stridentibus nimbis horridum cælum, timensque rerum suarum jacturam extremam, in singulas pænè horas curis immoritur. Ingreditur forte cœnobium, penetrat obambulando in monasterij adyta, intuetur in Crucifixi tabulam, quæ in capite muri ingredientes ad pietatem excitat, miratur familiæ tam copiosæ altissimum silentium, quietem fratrum, qui cum centum numero sint, eorum tamen nemo paret. Introit in cellam Patris sibi jam-olim cogniti; Pater, ad te venio, vt curas meas nonnihil seponam, aut deponam apud te, quas postea tuis verbis leuiores recipiam. O felix vita, qua vos fortunati monachi gaudetis, liberi à mo-

lestijs,

lestijs, quæ nobis tam multæ atque graues incumbunt. Pater memento mei, quando ad sacram aram accesseris, vt Deo miserum me commendes: vereor enim, vt scæuum aliquid mihi attulerit nupera tempestas, (sed violentior sæuit in pectore illius, & maiori turbine voluuntur furiales vndæ) Pater, meus conuiua cras esto. Postridie adit Mercatorem Frater, miratur splendidam domum, instructam supellectilem, magnificentiam pæne regiam, obstupescit ad vasa escaria tam multa & pretiosa, aurea, argentea, crystallina; mensam exoticam; famulorum exercitum; & secum: Hæc est vita, non illa miseri & infelicis Fratris, cui jusculum jam frigidum, herba salita, putrensue caseus lacera in mappa apponitur. Ita vt quilibet suam cum alterius vita libens mutaret. Quod malum inde pronascitur, quod acutis oculis quilibet intueatur bona alterius vitæ, non mala; suæ vero non bona sed mala. Cretenses Iouem Deum maximo cum honore & studiosissime colebant, & quia in Cretensi solo eductus erat, crediderunt Deum eis amplius quam alijs omnibus obligatum esse. Ausi ergo sunt postulare ab eo singulare beneficium, putà, vt Cretenses omnes liberi essent à molestijs. Ioui vero respondenti nemini mortalium id concedi posse,

ſed ſolis Deis priuilegium hoc ſeruari incommunicabile, ſupplicarunt, vt ſaltem liceret cuiuis ſuas curas atque moleſtias in nundinario foro proferre, & mutare cum alijs, quas eligerent. Placuit Ioui. ſtatim ergo ad primas nundinas in ſarcinulam quilibet collegit ſolicitudines & domus ſuæ curas, ac in foro ꝓpoſuit. Vix locus capiebat nouũ genus inſtitorum. Cœperunt mutuos faſciculos curioſè omnes inſpicere; & cum nemo leuiorem alienam repeiſſet, cum ſua quiſque repedauit. Iacob ingreſſus Ægyptum, cum ſalutationis officio Pharaonem dignaretur, quęſiuit Rex, quot eſſent dies annorum vitæ eius; Reſpondit autem bonus ſenecio: *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum ſunt, parui & mali.* Vbi notandum eſt, quod cum propago eius adeo aucta eſſet, tot filios nepoteſque haberet, & intraret Ægyptum cum magna ſerię poſterorum, vt ſcriptura dicat: *Sexaginta animæ egreſſæ ſunt de femore Iacob, & ingreſſæ ſunt cum illo in Aegyptum:* pręterea filios haberet tam robuſtos & generoſos, vt duo ciuitatem vnam opprimerent; deinde tam multa myſteria cognouiſſet, tot beneficijs à cælo donatus, tam longa vita, tam vegeta ſenecta, dicat; *Dies mei parui & mali:* nõ quia bonos

Gen. 47.

Gen. 46.

obtinere non potuit, sed quia non inueniuntur. Abraham opulentus & potens erat, amabatque tenerè filium suum Ismael, & matrem eius Agar. Vidit Deum velle, & sic exigere pacem familiæ, vt eijciat illam, & domo sua proscribat. Poterat illi succurrere assignando prædia, vel aurum, gemmasque donando, subleuamen in quacunq; necessitate: viaticum tamé nullum eis dedit præter panem & aquam. Et quod magis ponderandum est, non mulam concessit aut camelum, qui portaret sed humeris eorum imposuit, innuens nihil in hac vita expectandum præter hæc ordinaria panem & aquam; & hæc ipsa humeris proprijs excipienda esse. q. d. in labore & sudore necessaria ad vitam sustentandam lucrifacere oportebit. Isaac, quia hæres, fruebatur paullo liberalius patris sui benignitate & fauore, ac spe hæreditatis, vt notat D. Hieronymus: ita iustus aliquanto plus gaudet in hac vita, omnes tamen laborant ac sudant. Creabat Deus hominem, & solitarium videns, dixit: *Non est bonum hominem esse solum*: gratificemur ei, donando sociam, *faciamus ei adiutorium simile sibi.* alius textus habet *adiutorium coram eo*, mulierem de oculis eius, quam præ amore nimio nunquam dimittat extra conspectum suum. Immi-

Sup. epist. ad Galat. 4.

Genes. 2.

ſit Deus ſoporem in Adam, & exemit illi vnam coſtarũ. Examinat factũ S. Ioannes Chryſoſtomus, dicitque prognoſticon fuiſſe, quod gratia omnis, quam adipiſci in hac vita poſſumus, ex oſſibus ſumi debeat; non enim vllus bolus carnis exoſſis eſt. Et vectigal generale eſt omnes comprehendens, tam iuſtos quam peccatores. *Si impius fuero væ mihi eſt*, ait Iob, quia tormentum nullum adeo ſæuum vt animi
Iob. 10. conſcij: *Si iuſtus, non leuabo caput, ſaturatus afflictione & miſeria.*

Capvt XXIX.

Bona huiusce vitæ quia inſtabilia, indigna Amore ſunt.

VEteres bonorum temporalium inconſtantiam attente conſiderantes, Fortunam inter Deas pinxerunt, & rotæ volubili impoſuerunt. Huc alluſit Cicero, cum bonis vitæ huius nihil magis aduerſarium, quam ſtabilitudinem eſſe diceret. Et Boëtius fatuum eum vocat, qui impetum rotæ illius ſufflaminare cogitat, non minus quam qui ſuſpendere violentum motum raptæ à magno flumine molæ. Diuus Iacobus mala linguæ numerans, vitam noſtram rotam

De natura Deorum. Proſa. 2. Iacob. 3.

vocat. atque ita res omnes variæ atque inconstantes bene rotæ nomen accipiunt, fortunæ tamen rota omnium rotarum Domina & Regina est. Vnde quidam in animum suum inducere potuit, vt crederet Deum ex aqua condidisse omnia, atque ita ex principio non firmo & mutabili accipere suam mutationem atque infirmitatem. Ad opinandum ita absurdè mouit hominem in Petri altera epistola quædam non intellecta sententia: *Quod cæli erant prius, & terra, de aqua & per aquam consistens Dei verbo.* Vbi D. Petrus agit contra eos, qui mundi æternitatem astruere volebant, vt apud Plutarchum olim Pythagoras, dicitque ante generalem eluuiem cælum fuisse, per quod aërem intelligit, iuxta Thomam, Bedam, Albertum magnum. Et phrasis vsitata est in sacris literis, dicere, terram de aqua esse. i. diuisam ab aqua: separauit enim Deus aquam vt appareret arida. additque terram conseruari per aquam, ex diuini consilij decreto: si enim aqua non intraret & penetraret terræ viscera, venasque eius, sicut sanguis animata corpora, abiret in puluerem & in aërem abriperetur. Hinc Auicenna dicit lapidem non ex terra sola generari, sed partes eius ab aqua solidari. Ita vt ineptia illius à Petri verbis nihil auxilij habeat,

2. Pet. 3.

immò

immò tametsi cōcedatur illi, ex aqua con-
didisse Deum omnia, non tamen ideo in-
constantia eorum vel minimum augmen-
poc.12. tum acciperet. Ioanni apparuit *Mulier*
amicta Sole, & in capite eius corona stellarum
duodecim, & Luna sub pedibus eius. Muli-
er hæc Ecclesia est. Qui baptizatur Chri-
al.3. stum induit, vt Paullus loquitur. Coronã
stellarum duodecim pangunt duodecim
Apostoli. Per caput autem principium
illius intelligitur, vt in scriptura & extra
illam vsus est. Luna significat bona huius
vitæ, quorum illa symbolum est, vti &
el.27. inconstantiæ. Hinc Salomon stultum vt
Lunam mutari ait, quæ faciem suam va-
riat horis omnibus, vt non loquamur de
luminis defectu, quem patitur sæpissimè.
Basilius & Rupertus dicunt bona tempo-
ralia Lunam esse quandam, quam Ecclesia
& omnis anima iusta substernit, pedibus-
hilip.3. que obterit. Hinc ad Philippenses Paul-
lus, omnia arbitratur vt stercora. Huius
partem explicauit Psalmistes, cum diceret:
al.115. *Omnis homo mendax*. Quia licet aliqui sint
qui neque actu, neque verbo mentiantur,
hoc Cæli beneficium est, & fortasse non
diuturnum: quia ad falsitatem, mutatio-
nemque natura propendet, vnum enim
idemque est. Et quemadmodum Deus so-
alach.3. lus immutabilis est, *Ego Deus & non mutor:*

ita

ita quoq; verax est solus, mendax vero omnis homo. Neq; id magnopere admirandum est: Si enim cælestis familia, Spiritus puri non sunt stabiles ac firmi, quanto minus illi qui domos luteas habitant, & ad minimum obicem præcipites in terram labuntur. Ioannes *vidit cælum nouum & terram nouam. primum enim cælum, & prima terra abijt, & mare iam non est.* Qui modus loquendi est quoque apud Matthæum, Paullum ad Corinthios & Hæbræos, ac Dauidem; qui ait: *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Vbi sacræ literæ loquuntur de mutatione, quam in nouissimo die patientur cum cælo & terra omnia elementa. Mare non æstuabit solitis procellis, aut stridorem facient vndæ refluentes; aqua crystalli claritatem induet nullo inposterum turbine agitanda; terra amœnum ridebit, non exposita amplius fluminum Oceaniué inundationibus, non à cælo fulguriente, aut ab incluso aëre insolenter concutienda. Aether purior teneriorque erit. Denique commutabitur quoad qualitatem non quoad substantiam, quam magnum est,

Apoc. 21.

Psal. 101.

vniuersum. Verum ad illum vsque statum, quo certum fixumque locum accipient, omnia fluent in modum clepsammidij, aut sicut qui in sphæristerio raptim ad pilam cælestem sese exercent, reticulo vno commodo, altero non apto, quod omni ludo commutant. Appellare autem bona hæc vana, & vanitatem vanitatum, frequens in sacra scriptura vsus est. Salomon in locis alijs multis hæc epitheta sæpe vsurpauit, & eius pater Dauid, qui magis meliusque filio suo executus est opere quod sermone ostendit, & à vanitatibus his Amorem suum declinauit. Et apud Ieremiam Dei querela est, quod Israëlitæ elongauerint se ab eo, & ambulauerint post vanitatem, & vani facti sint. Vmbræ quoque nomen ijs dare solet scriptura. Primo propter fugacitatem atque inconstantiam: non quiescit enim, & euanescit subito. Secundo, quia videtur aliquid esse, cum nihil sit. Tertio quia quando in summo culmine est, fini proxima est. Quæ omnia vitę huius prosperitatem optimè delineant. Primò enim, non currunt, sed volát omnia ocyssimè. Secundò aliquid præferunt; sed nihil ferunt. Deniq; quando ad firmamentum vsque excreuisse & inter sydera sese extulisse videntur, dispa- rent extemplo. Quod psalmus ille loqui-

Ierem. 2.

tur

tur: *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani: Et transiui, & ecce non erat; quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* & Iob: *Ego vidi stultum firma radice* fortunæ prosperitatibus innitentem, quasi perpetuæ illæ essent; & quia in culmine summo fortunam stare, & ad lapsum pronam nutare animaduerti, *maledixi pulchritudini eius statim.* Scriptores sacri & prophani ea pro somnijs habent. Qui in somnijs luditur, nunc diuitijs potitur, nunc ad restim eius res redijt: nunc stat in honoris fastigio, nunc ad ima deprimitur: nunc iucundus genio indulget, nunc amaris pharmacis ad mortis fauces deducitur: nunc siccus Baccho summis votis supplicat, nunc eidem sacrificat ebrius. Non aliter homo, aliquando tam pauper est vt non habeat obolum, quo laqueum emat: paullo post à tergo sequacem habet turbam famulorum. Hodie leges scribit, ius dicit maximis prouincijs, cras in carcerem angustum compingitur. Hac hora æditui seruus, sequenti Canonicus: illa ouium, altera omnium Christi fidelium Pastor supremus. Iob exprimens imaginem humanæ felicitatis, dicit nihil esse quod magnopere desiderari debeat, subditque rationem, *Quia non sunt in manu eorum* qui possident, *bona sua. Quoties* ait, *lucerna im-*

Psal. 36. *Iob. 5.* *Cap. 12.*

piorum

piorum exstinguetur, dum lumē plurimum dare videbitur, *& superueniet eis inundatio, & dolores diuidet furoris sui.* Quoties auro gemmisué onusta nauis in portu, quē iam-iam apprehendere putabat, dissoluta est? Quot castella, arcesque fabricantur in medio aëre inanis confidentiæ? Quoties inopinato rationem dare iubetur, qui Principi in delicijs erat, & qui fortunæ rotam quasi gubernabat; salutem quærit in xenodochio? *Ego ille quondam opulentus repente contritus sum.* Hoc est argumentum psalmi LXXV. in quo Abrahami cum Regibus varij successus recitantur, declaraturque quam parum credere, minus fidere oporteat ridenti fortunæ, aut abijcere animum & non ferre aduersam. Cui adiunge Matthæi primum caput, figuram veram ac typum mundanæ instabilitatis, à qua neque suam progeniem immunem esse voluit Christus. Propone tibi Abrahamum de terra sua ita Deo iubente, egressum, & patriæ suæ ac cognationis obliterata memoria, in alieno solo peregrinantem. Accedit ad aulam Regis Abimelech, cœpitque excrescere in morem spumæ, adeoque prospera illi fortuna afflauit, vt Reges septem deuinceret, & opima de illis spolia auferret. Hæc malacia & tranquillitas durauit in Isaac, Ia-

Iob. 16.

cob,

cob, Iuda, Phares, & poſteris eius vſque ad Ieſſe, (cui aliud nomen Iſai erat) patrem Dauid, de quo per ludibrium Saul: *Quis eſt filius Iſai?* Eſaias, vt indicaret gloriam, ad quam Deus hanc ſtirpẽ prouecturus erat, habere principia obſcuriſſima, dicit: *Egredietur virga de radice Ieſſe.* Orta eſt ergo aduerſæ ſortis procella, & tam dura pauperie afflixit domum Ieſſe, vt expelleret filios ad pecora cuſtodienda. poſtea vero ſubnata ſerenitate, aura ſecundante nubila penetrauit gigantis domitor, & Sapientiæ magiſter eius filius ſideribus ſeſe immiſcuit: donec rurſus vultum blandum remittente Fortuna, proſperitas omnis efflauit in Ioſepho Deiparæ Virginis ſpõſo, ſuæ ſtirpis vltimo ramuſculo. O mundum! ô diuitias! ô gloriam! ſi ad veſtram nullam firmitatem attendimus, quam inanis & euanida felicitas eſt, & indigna multo Amore. Dicit Oſee Propheta, *Ephraim quaſi auem auolaſſe.* Ephraim ſignificat proſperitatem, quæ inſtar auis in ſublime euolat, & in oculi ictu ſeſe ab omni aſpectu ſuffuratur. Et ne quis arbitretur ſupremam monarchiam huius expertem eſſe: primum id in Aſſyrijs cognouimus, in Perſis deinde, pòſt in Medis, & Græcis, iterum in Romanis, denique in Gothis ac Tur- Oſee. 9.

cis. Huius figuram repræſentabant veteres in ſimulachro Dianæ alatæ, cuius pennæ ſuſtollebant Pantheram, indicabantque humanam proſperitatem volare leuiſſime, & in velociſſimo curſu ſæpius variare colores, quam Panthera. Hanc opinionem expreſſit Hecuba apud Senecam in Troade; vbi deplorans miſerias ſuas dicit:

Quicumq; regno fidit,----
Me videat.

Dionyſius producebat in campum peditum centum millia, nouem equitum, nongentas naues præſidiarias: Et ſubitò ab irata Fortuna deiectus ſolio, vidit victimari filios, filias violari; ille vero ad maiorem pœnam ſeruatus, & iuſſus viuere, tympanum in manus ſumpſit, vt victum quæreret. Naſo:

Lib. 4. de Ponto.

Ille Syracuſia modo formidatus in vrbe,
Vix humili duram reppulit arte famem.

Adonibezech Rex Canaan eo tempore quo captiuos alebat ſeptuaginta Reges ſub menſa ſua inſtar canum, venit in manus Iudæ, pedibuſque & manibus truncatus, adhuc aliquandiu infelicem vitam hanc durauit. Magnus Turcarum Imperator Boiazetes ex ſumma in extremam Fortunæ rotam prolapſus eſt, & caueæ incluſus,

ſiis, ſæpe magno Tamerlani ſeruiuit pro ſcabello, ex quo in equum commodè aſcenderet. Beliſarius Romanus, poſtquam ſeditiones tot repreſſiſſet, de Parthis triumphum ſplendidiſſimum egiſſet, à Barbaris vrbem non ſemel liberaſſet, denique victorijs memorandis nomen toto orbe celeberrimum comparaſſet, ſedit in triuio mendicus, & tranſeuntes eleemoſynam rogauit. Nabuchodonozor & Sedechias non multo felicius ceciderunt. Inſolitum eſto, diuitias non tranſire ad alium, domino adhuc viuente; ſed nihil certius eſt, quam ab ijs morientem herum deſtitui. Huc vſque manent Cræſorum, Craſſorum, & Lucullorum diuitiæ. Hic deſinunt Demetriorum, Romulorum, & Polycratum proſperi ſucceſſus. Hic ſiſtit fortuna Cæſarum, & Alexandrorum. Hic extinguitur Cleopatrarum, & Lucretiarum forma. Fingite vrbis Principem, in quem omnium aliorum fortunatorum felicitates confluant, & audite Eccleſiaſticum: *Memor eſto iudicij mei: ſic enim erit & tuum; mihi heri & tibi hodie.* Pingebant veteres, vt ſcribit Diodorus Siculus, Principem inſiſtentem ſepulchro Regis Simandri, quem pro feliciſſimo omnium qui fuerant, celebrabat antiquitas; ſignificabantque omnem omnium

Dan. 4.
4. Reg. 25.
Eccl. 28.
Lib. 2. Biblioth.

Principum fortunam, quantumuis ſecundam deficere non aliter quam Simander cum ſua fortuna, quem in puluerem ſolutum pedibus ſuis premebat. Naaman princeps militiæ, & vir magnus apud Regem Syriæ, abſtulit onus duorum burdonum de terrâ Iſraëlitarum quaſi benedictâ, quã in ſacrificijs omnibus ſubijciebat pedibus ſuis, vt illi ſoli inſiſteret. Monere credo ſeipſum voluit, vt qui à Regis gratia exſurgere poterat in ſuperbiam, ad humilitatem eum hæc terra reuocaret. Ita princeps huius mundi, qualiſcumque demum ille ſit, licet ſtatuam aliquam Nabuchodonozor ſeſe arbitretur, & ab auro, argento, ære, ferro in faſtum turgeſcat, pedes ſuos qui ex luto ficti ſunt conſideret, & inſtar pauonis demittet arrogantiæ ſuæ caudam.
Baruch. 3. *Vbi ſunt*, rogat Baruch, *principes Gentium, & qui dominantur ſuper beſtias quæ ſunt ſuper terram? qui in auibus cæli ludunt, qui argentum theſaurizant, & aurum in quo confidunt homines, & non eſt finis acquiſitionis eorum, qui argentum fabricant, & ſoliciti ſunt, nec eſt inuentio operum illorum?* Reſpondeturque: *Exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt, & alij loco eorum exurrexerunt.* Templum, quod Salomon ſumptuoſiſſimum exſtruxerat, & omnium in

toto

:oto orbe ædificiorum miraculum erat,
ta superbos reddidit Iudæos, vt crederent 2. Paral. 1.
Deum obstrictum esse, seruare illud in ha-
bitaculum sibi sempiternum, & gratijs
priuilegijsque insolitis adornare; repete-
bantque frequenti clamore: Templum
Domini, templum Domini. Ad quos Hie-
remias. *Ecce, vos confiditis vobis in sermoni-
bus mendacij, qui non proderunt vobis.* Licet
enim templum meum diues sit auro atque
argento: nolo tamen *speluncam latronum* Hierem. 7.
*fieri domum istam, in qua inuocatum est no-
men meum. Ite ad locum meum in Silo, vbi ha-
bitauit* & summe cultum fuit *nomen meum
in principio: & videte quæ fecerim ei. Faciam
domui huic, in qua vos habetis fiduciam, si-
cut feci Silo.* Conuertit oculos suos in re-
giam vrbem Nabuchodonozor, & ait:
*Nonne hæc est Babylon ciuitas magna, quam
ego ædificaui in domum regni, in robore for-
titudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cum-* Dan. 4.
*que sermo adhuc esset in ore Regis; vox de Cæ-
lo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonozor Rex; re-
gnum transibit à te, & ab hominibus eijcient
te, & cum bestijs terræ erit habitatio tua.* Au-
gustinus ad psal. *Super flumina Babylonis*, di- Psal. 136.
cit omnia quæ videmus oculis, & corde
adoramus, aquas esse de fluminibus Ba-
bylonis. Et quemadmodum aqua fluminũ

continuo fluxu labitur, ac fugit: ita bona hæc temporalia fiuunt perpetuo, & nondum accepta labuntur è manibus prehendentium. Dic mihi, quid obtinuerunt gigantes Cæli prædones, quid Babylonis fabricatores? vbi deliciæ Sodomææ sunt? quo abierunt Reges Niniue? Quis tibi monstrabit Cæsarem, Alexandrum, Assuerum, Darium? quid opis opes eis attulerunt? tam multæ manus famulorum quid potuerunt efficere? quod illis præsidium fuit in potenti exercitu? quam voluptatem nunc habent à sycophantis? quem risum illis mouent greges histrionum? omnia sicut vmbra cum declinat, ablata sunt. Quia hæc materia recurret cap. 32. in quo de vitæ nostræ inconstantia agetur, pluribus quæ adferri poterant, super sedebo.

CAPVT XXX.

Vita hæc, quia fallax, Amore indigna est.

AMICOS falsos hirundinibus similes diximus, quæ Sole nobis vicino cantillant, cum eodem abeunte fugiunt, ædesque relinquunt collutulatas. Eadem est bonorum huius vitæ proprietas, quæ adamantur pro amicis synceris & fidelibus, sed ludos faciunt amatores suos, & deserunt tempore maximè necessario. Christus vocauit diuitias fallaciam. *Fallacia diuitiarum suffocat verbum.* non satis fuisset fallaces aut fraudulentas dicere, sed ipsam nuncupauit fraudem atque fallaciam. Quod maximè in fraudem inducit hominem est bona multa promittere, & vicem illorum reddere mala plurima: porro illæ promittunt voluptates, & labores addunt; securitatem pollicentur, & augent timores, cordisque trepidantis anxietates; pietatis officium spondent, & crudelissimam inferunt tyrannidem. Si forem diues, inquit ille, quot eleemosynas pauperibus distribuerem, quot xenodochia, quot templa hic illic struerem. Respicit illum Deus, & vnde minime sperabat, videt propitiam sibi Fortu- *Matth. 13.*

continuo fluxu labitur, ac fugit: ita bona hæc temporalia fiuunt perpetuo, & nondum accepta labuntur è manibus prehendentium. Dic mihi, quid obtinuerunt gigantes Cæli prædones, quid Babylonis fabricatores? vbi deliciæ Sodomææ sunt? quo abierunt Reges Niniue? Quis tibi monstrabit Cæsarem, Alexandrum, Assuerum, Darium? quid opis opes eis attulerunt? tam multæ manus famulorum quid potuerunt efficere? quod illis præsidium fuit in potenti exercitu? quam voluptatem nunc habent à sycophantis quem risum illis mouent greges histrionum? omnia sicut vmbra cum declinat, ablata sunt. Quia hæc materia recurret cap. 32. in quo de vitæ nostræ inconstantia agetur, pluribus quæ adferri poterant, super sedebo.

CAPVT XXX.

Vita hæc, quia fallax, Amore indigna est.

AMICOS falsos hirundinibus similes diximus, quæ Sole nobis vicino cantillant, cum eodem abeunte fugiunt, ædesque relinquunt collutulatas. Eadem est bonorum huius vitæ proprietas, quæ adamantur pro amicis synceris & fidelibus, sed ludos faciunt amatores suos, & deserunt tempore maximè necessario. Christus vocauit diuitias fallaciam. *Fallacia diuitiarum suffocat verbum.* non satis fuisset fallaces aut fraudulentas dicere, sed ipsam nuncupauit fraudem atque fallaciam. Quod maximè in fraudem inducit hominem est bona multa promittere, & vicem illorum reddere mala plurima: porro illæ promittunt voluptates, & labores addunt; securitatem pollicentur, & augent timores, cordisque trepidantis anxietates; pietatis officium spondent, & crudelissimam inferunt tyrannidem. Si forem diues, inquit ille, quot eleemosynas pauperibus distribuerem, quot xenodochia, quot templa hic illic struerem. Respicit illum Deus, & vnde minime sperabat, videt propitiam sibi Fortu- *Matth. 13*

nam,grandesque diuitias hæreditat: subitò induréscit illi cor,efferantur oculi pauperum inimici, & quando procul mendicum hominem aduentare videt,flectit alio iter suum. Aliter de se ille sentiebat,quando ad diuitias anhelabat, verum est: sed diuitiæ mendaces suntatq; fraudulentę.Paulus diuitias laqueos nuncupat, & tentationes. *Qui volũnt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideri multa inutilia & nociua,quæ mergunt homines in interitum,& perditionem.* Laqueum vocat,propter fraudem magnam quæ laqueo adiuncta est,in quem non tantũ au cula simplex,sed lupus quoque, & anno sæpe vulpes captiua irruit. Salomon bor huius vitę muscipulam nominat,in quam vt ad casei odorem glires,insipientes ill buntur,& vnde vitam sperabant, morte hauriunt. De mundi amatore sic loquit Iob: *Panis eius in vtero illius vertetur in f aspidum intrinsecus.* q. d. Illa, à quibus se uari atque delicatè haberi existimabat, q fere ipso pane magis necessaria videba tur, ei lethalia, & felle ipso amariora fien & paulo post: *Cum satiatus fuerit, arctab tur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eu* Iacobus verò sic diuites increpat: *Auru & argentum vestrum æruginauit: & æru*

1. Timoth 6.

Iob. 20.

Iacob. 5.

eoru

eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras, sicut ignis. Denique quæ hic amamus maxime, ea maxime inimica aduersariaque habebimus. Canes, quos diues in delicijs habuerat, pij, vt sic loquar, erga plagas Lazari, actores atque accusatores surgent aduersus diuitem. Cuniculi, lepores, cerui, & aliæ feræ ad venationis oblectamentum seruatæ, quæ pauperum segetem obterunt, aut deuorant; galli spadones bene saginati, equi superbè phalerati, hostes maxime capitales sunt dominorum suorum, non miserentium pauperis, bestias verò sumptuosè enutrientium. Hinc manifestè sequitur quod dicunt Prophetæ Esaias atque Ezechiel: *Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Aegyptum* (per quam mundus, & bona eius omnia intelliguntur) *cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam.* Quos dilexerat non aliter quam vitam suam Absalon, eosdem capillos habuit vitæ suæ proditores: & quos filis aureis præposuerat, vidit tortos in funem, à quo dependeret. Hedera, cuius vmbram multis diebus Ionas sperauerat, exsiccata risit votum eius inane. Non minus fallunt bona huius vitæ: & felix ille est, qui post longum cum eis amicitiæ pactum tantum delusus est.

Ezech. 29
Esa. 36.
2. Reg. 18.
Ion. 4.

Scriptura enim vanitatem vanitatum illa nuncupat: quod autem vanum est, mentitur, ludit, fallit, & facit contrarium eius quod promittit. Laboras, & sudas interdum, vt nucem amygdalumué frangas, vbi vero nucleum nullum, aut vitiosum inueneris, statim dicis; Delusus sum: ita fallunt mentiunturque hæc bona, in quibus omnem sæpe fiduciam collocauimus. Appositam similitudinem adducit Esaias.
Sicut somniat esuriens, & comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius. & sicut somniat sitiens, & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est: Ita de satietate & prosperitate humana gaudia, somnia sunt & vera somnia. Idẽ Dauid asseruit: *Dormierunt somnũ suum; & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarũ in manibus suis.* Vsu venire assolet, in somno aliquẽ quasi manu aureum tenere, quem ita tenaciter stringit, vt ex vnguibus cruor promanet; experrectus verò somniũ agnoscit. Quare Plato vocauit gaudia & delectamenta hominum, somnia expergefactorum: quod nulla hic vera gaudia, sed insomnia tantum sint. Et sicut qui luditur nocturnis illis phantasmatis, in sopore placidissimo euigilare solet & dicere, O me fatuum, quo ibam? Ita in medio voluptatum excitari homo assueuit, & dice-
re:

re: Quantum deliraui hactenus? Et quemadmodum Iacob solaribus radijs illustratus vidit sordes lutumque esse, quæ tota nocte ceu rara & pretiosa magni æstimauerat: ita quem Deus expergefacit, radijsque suæ lucis perstringit, agnoscit tormenta esse ac cruciamina, quæ pro delicijs habuerat. Mathematici iuxta regulas artis suæ prospectiuæ, fabricant subobscurum locum, in quem per rimas angustissimas nonnisi parum lucis deriuetur, videntque figuras elegantissimas; vbi verò fenestræ laxantur, totusque Sol admittitur, nihil eorum quæ ante parebant, videtur. Et pictorum industriâ, quod vicinum & ante oculos est, remotissimo in loco procul positum esse videtur; immensumque apparet, quod in se exiguum est. Ita quandò culpa lucem animæ nostræ eripuit, aut confudit, apparet magnum & grande aliquid, quod nihil est aut nihili æstimandum; elegans omnibusque numeris absolutum, quod turpe, vitiosumque; dulce, quod amarum atque insipidum: vbi vero Cæli radius illuxerit, patent subito doli, atque mendacia. Dicit Psalmistes: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis: turbati sunt omnes insipientes corde.* Erubuerunt intuentes in ea, quibus sese totos dediderant, cognoscentes sco- Psal. 75.

pum,

pum, in quem pleniſſimis deſiderijs collimauerant. Quid eſt, quod tanto opere appetiui hactenus? quid eſt, quod ſenſus mihi abripuit, eripuit memoriam, animumque potuit ſuffurari? Pudore itaque infami turbatus peccator, dicit Deo: *Poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum; confuſus ſum & erubui.* Metaphora eſt, deſumpta ab homine, cui inopinato dolus inſignis aperitur. Ita populum illum, cui S. Bartholomæus informem formam Dæmonis, quem adorauerāt, oſtendebat, puduit tam horrendi portenti, & Dei execrandi. Ita rubore plenus ſtabat Ezechiel, cum Deus illi ſpectandas daret abominationes Iſraël, omnem ſimilitudinem reptilium & animalium, & idola vniuerſa, quibus ſeptuaginta viri de ſenioribus domus Iſraël thus adolebant. Quæ ſi ipſis cultoribus demonſtraſſet, ſuum quisque thuribulum in proximum parietem illiſiſſent. Ita peccator, cui Deus manifeſtat idola, quæ ſupplex adorauit, errorem ſuum cum pudore deteſtatus, colaphum ſibimet infligit; Quo fugerat iudicium meum, quo ratio? quis glaucoma oculis meis obiecerat? itane poteſt cor humanum obbruteſcere? Hinc intelligitur illa ſcripturæ phraſis, & differentia quam facit inter iuſtum, & peccatorem. Iuſtum nunquam arguit

Hierem. 31.

Ezech. 8.

pudor

pudor: *Qui sustinet te, non confundetur.* peccatorem verecundia in vita, multo deinde amplius in morte obruet. Nota verbum confusionis vulgo vsurpari in eos qui deseruntur, & ludibrium damnumq; capiunt tandem ex illis, quibus maxime fisi fuerant. Et quia Deus iustum non deserit vnquam, non potest quoque confundi: mundus verò quia perfidus, & omnia eius bona plena fraudulentiæ sunt, ludos facere solet cultores & clientes suos, atque ita peccatores confunduntur. Sed vtinam confusione non æternâ, quia temporali possunt succedere pœnitentia vitæque emendatio. Abdias hanc pœnam minatur Idumæis, quia crudeliter egerant cum Israelitis: *Omnes viri fœderis tui illuserunt tibi; inualuerunt aduersum te viri pacis tuæ: qui comedunt tecum, ponent insidias subter te.* Gradatione vtitur Propheta: fœdus enim ad peregrinos se extendit, pax inter familiares & amicos est, conuictus domesticis conuenit. Quod te circumueniant confœderati, res indigna est; fraudem vero tibi struere quos conuiuas habes, & alis quotidie? hoc est quod ponderat vates; & omnes contra Idumæos conspirasse ait. Per confœderatos intelligi possunt complices in delicto, qui apud Salomonem dicunt: *Veni nobiscum, abscondamus tendicu-*

Psal. 13.

Prou. 1.

las

las contra insontem, marsupium vnum sit omnium nostrum. Per familiares significari possunt huius vitæ bona, quibuscum amicitiæ fœdus ineunt homines peruersi, quibus amara est mortis memoria, propter generale & vltimum vale, quod dicere debent omnibus, quæ dilexerunt. Domestici & conuiuæ erunt sensus nostri, quibus aliqui amici ollares sunt, alij illudunt, fallunt, & frustrantur hominem. Complices subducunt se, & potiori parti adhærent: inter malos enim pax vera nulla esse potest. Amici, qui sunt bona temporalia, dominos suos oppugnant, & prosequuntur, sensus reos agunt, hominem captiuant & in carcerem abstrudunt: adeo, vt omnes induantur sicut diploide confusione sua, qui spem suam in mundum bonaué eius collocant. Et hæc quæ confundunt hominem, Deum quoque stimulant ad vindictam: quia homo qui diuitias, honorem, formam, deliciasque Deo anteposuit, & dixit in corde suo: Diuitiæ, præter vos non desidero alium felicitatis portum. Qui loculos auro tumidos habet, dicit: Deum aut aliud à marsupio meo idolum non admitto: bonus est Deus Cæli, sed bona quoque crumena mea, huic salutem meam deuoueo. Honor, in te beatitatem meam colloco. Pulchritudo, à te gratiam

fauo-

fauoremq; expecto. Certe erubescit Deus, videns poni se ab homine in eadẽ bilance cum vilibus abiectisque rebus, & illas adhuc præponderare. Illud ipsum est quod fecerunt Iudæi cum Christo & Barabba. Sed quando ludibrio & pudore turbati quasi obstupescunt, ridet eos Deus. Cum vitulum conflatilem Aaronis adoraret populus, vna vox audiebatur per campum vniuersum: *Isti sunt Dij tui Israël qui te eduxerunt de terra Aegypti*; in hos fidem fiduciamque tuam colloca, his age gratias. Vindicauit se die commodo, pœnasque eorum accumulans Dominus, deduxit eos ad extremum miseriarum, & illudens eis dixit: *Vbi sunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam? Surgant & opitulentur vobis & in necessitate vos protegant.* Ita vsu venit illis, qui confidunt in vanitate mundi. venit dies, & ridet eos Deus, illuditque: Confugite ad diuitiarum vestrarum Deum, vt patrocinetur vobis, ac defendat; inuocate eum cum Prophetis Baal sonanti voce: inclamate opem aliorum Deorum, quibus animi vestri omnem confidentiam addixeratis. Sed vident tandem malo suo verum esse quod per Moysen suum dixit: *ego sum solus, & non est alius Deus præter me.*

Exod. 32.

Deuter. 32.

Deut. 28.

Capvt XXXI.

Vitæ Amor enormis reprehenditur.

VIta omnium eorum, quæ homines bona iudicant, maximum, præstantissimum, desideratissimumque est. Licet enim alia quærant interdum præsenti cum periculo vitæ, non ideo minoris vitam æstimant, sed honoratiorem, ditiorem, & securiorem vitam habere desiderant. Fortasse erit aliquis qui cum diuitijs, honore, aut delicijs eam mutare optabit, sed illum vret auaritiæ, aut ambitionis, aut libidinis ignis. Magis enim generalis Amor est, quo vitam prosequuntur; & sine illa nihili pendunt alia omnia homines. In quo Amore licet olim multi, nunc quoque non pauci exorbitent, vt vitam velut summam felicitatem, nihil vltra desiderent, dicentes; Cælum hoc nostrum est, *venite & fruamur bonis quæ sunt:* non defuerunt tamen prudentes viri, qui vitæ miserias examinantes dubitauerunt, inter bona né an mala potius collocanda esset. Socrates adeò vili fecit hanc vitam, vt vinctus caussam suam agere aut tueri nollet. Lycurgus nomotheta Lacedæmoniorum inter leges hanc scripsit, vt vitam ille perderet, qui seruare eam cum infamia

ap. 2.

cona-

conaretur. Plinius in principio Historiæ naturalis, enumerans hinc bona, quibus hominem dotauit natura, illinc mala quibus eundem subiecit, nescit quo nomine eam appellare debeat, matrisne an nouercæ. Quia omnium rerum dominium tradidit, pedibusque eius substrauit vniuersa, videtur mater esse, & blanda satis atque indulgens: verum quia miseriarum quoque plaustra in eum effudit, nouerca esse videtur crudelis atque impia. Et volens reddere huius mali rationem, non inuenit aliam quam hominis horam natalem: & iocularem addens sententiam, dicit; O faustum fortunatumque ortum, in quo natura ex filo glomus deducere voluit. Cum persuadere sibi non posset sine noxa tantum pœnarum esse, & fidei lumen non haberet, ad vsque vitæ primum principium peruenit, vbi culpæ nullum agnoscens vestigium hæsit attonitus, & lucis omnis expers, nouercam vocauit. Non aliter quam canis Gallicus qui inopinato leporis quem pæne dentibus apprehenderat, perdens vestigia, stat obstupidus, in hanc & illam campi partem oculos reflectens: Ita Plinius miseriarum humanarum originem ad natale principium vsque deduxit, & stetit: & loquens de lachrymis quas emittit in lucem iam editus infans, dicit prognosticon dare Cap. 7.

 mise-

miseriarum quæ post venturæ sunt, & plangere vitam, quam viuere incipit. Augustinus ait præominari sic eum labores, in quos nascitur. Idem cum Platone sentire placuit Tertulliano. Melius & rationi conuenientius Martialis locutus est, cum eiulatum hunc oriri credidit à loci mutatione, quam infans patitur, dum à calido matris vtero in frigidum aërem effunditur. Notat Tertullianus puellum recens natum in planctu exprimere has literas A. A. puellam vero vociferari E. E. illum plangere patrem Adamum vt autorem omnis mali, hanc Euam matrem omnis miseriæ occasionem. Denique tantum fastidij & doloris in hac vita reperitur, vt nihil melius habeat sua breuitate. Hinc Ambrosius malorum nostrorum remedium mortem appellauit. Euripides dixit vitam non habere nisi nomen, quia nulla est sine molestijs, curis, laboribusque infinitis. quare Philosophus quidam affirmauit omnes vitæ delicias vna hora numerari, vnius vero horæ molestias totis quinque lustris recenseri non posse. Basilius ait, nullam rosam nasci extra spinas: ita nullam dari vitam molestiarum expertem. Hinc apud quosdam tanto odio vita habita est, (ita referunt Solinus & Pomponius Mela) vt in ortu

Serm. 2. Domin. 3. post fin. & Serm. 146. de tempore.

luge-

lugerent, in hominum interitu plenas lætitiæ epulas celebrarent. Ob idipsum tam frequentes libri in laudem mortis conscripti sunt: miseriæ vero huius vitæ tam multis voluminibus deploratæ. Doctrina ergo hæc generalis est, quam suo nomine & sigillo confirmare nemo recusabit vnquam. Salomon, quem ab iniurijs communibus maxime excipiunt omnes, dixit: *Sum & ego mortalis homo.* Sap. 7.
vbi aduertenda est particula copulatiua (&) quæ miserias eius & aliorum omnium coniungit. Si pauper mortalis; & ego: vterque eodem fruimur aëre, calcamus eandem terram, quæ tribulis spinisque obsita est vbique & omnibus hominibus. *Et primam vocem similem emisimus omnes plorantes.* Ita vt Regum fortunatissimus licet sit, in fraudes agatur, si vitam hanc impotenter amauerit. Iob militiam vocat. quia etsi omnis vita labores secum adducat, nulla tamen plures quam militaris; in quam malorum legio coniurauit. principalia tamen sunt hæc tria: mortis periculum, fortunæ varietas, incertitudo victoriæ. Quæ eadem in vita nostra licet reperire. Quia incertissima est, in continuo mortis periculo viuimus: quia adeo mutabilis, ad fortunæ rotam moueri videmur: denique maxime de- Iob. 7.

victoria dubitamus, quia curriculi nostr
exitum felicem aut infelicem solus ille
scit, qui punit & præmiat in hoc sta
dio currentes. De quibus singuli
quia singularem tractatum instituimus
nihil hic addendum, præter hoc quo
Hom. 28. in Matth. Ioannes Chrysost. dixit, puta vitam no
stram esse amplum latumque mare, i
quo sunt periculosi quidam sinus, al
ob furias ventorum, alij ob vndarum im
petum, ob angustias & breuia alij, vt
in mari Ægeo Syrtes, & Charybdis, i
Oceano fauces Magellanicæ; præter ista
pyratarum numerus ingens, qui insil
unt in nauigantes & deprædantur: I
hæc vita periculosos sinus, & difficil
angustias habet, habet procellas perp
tuas, patitur furialem ventorum imp
tum, à latronibus pyratisq; visibilibus a
que inuisibilibus omnia itinera obsider
tur, vt necesse sit Deo supplicare quot
die pro secura in tuto portu statione. Is
dorus Clarius addit pontem adeo angu
stum, vt in eo vix liceat vestigia figere
sub eo imaginatur lacum nigrum, & in
hoc angues, serpentesque & dracon
terribiles, quibus in escam veniunt q
ex ponte hoc delabuntur. In altero lat
re statuit amœna tempe, hortos flor
dos, virentia prata, lucidos fontes,

supe

ſuperba ædificia. Quemadmodum illum à ſtulto differre parum crederemus, qui ambulans in hoc ponte defigeret oculos in hortos atque ædificia, & pedes ſuos non obſeruaret: ita grandis veſania eſt ambulare per huius vitæ lacum, & intentum eſſe bonis illius, neque viæ curam habere; quod monet Sapiens: *Obſeruemus dies noſtros.* Cæſarius Arelatenſis dicit pontem hunc in fine maximè periculoſum eſſe, quod ibi multo anguſtiſſimus ſit, & plurimorum ruina infamis. Alij fingunt ſcalas, quæ ab vna in alteram vitam protenduntur; hominem vero qui per has ſcandere debet, præparare ſibi gradus bonorum malorumúe operum, illis ad Cælum aſcendere, deſcendere his ad barathrum infernale. Imagines omnes mortis ſunt & miſeriarum mortalium.

Primum in hac vita malum eſt eius breuitas. *Breues dies hominis ſunt*, ait Iob. *Iob. 14.* Si quæras, quam breues? reſpondebit Dauid: *Dies annorum noſtrorum, in ipſis* *Pſal. 89.* *ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum, labor & dolor.* Si obiecerit mihi aliquis, homines nonnullos ſæculum impleuiſſe: Reſpondebo cum paraphraſi Chaldaica, per

ſeptuaginta annos intelligi annos robuſta valetudinis. Quam interpretationem patitur quoque locus ille Geneſeos, vbi vitam humanam Deus abſoluit periodo centum & viginti annorum. Quaſi dixiſſet, fieri poſſe vt hominum aliqui ætatem iſtam attingerent. Ita hunc quoque textum explicant Ioſephus *in libro Antiquitatum*, & Lactantius *in libro diuinarum Inſtitutionum*. Dicet alius cum Ioanne Chryſoſtomo & Hieronymo, vixiſſe centum ſeptuaginta quinque annis Abraham, Iſaac centum octoginta, Iacob centum quadraginta ſeptem. Reſpondeo, Deum poſuiſſe terminum ſalutis integra & vegetæ fortitudinis centum viginti annos, poſt diluuium: ſicut tempore Dauidis annos ſeptuaginta, & octoginta robuſtioribus. Ita vt à mundo condito ſemper hominum vitam imminuerit: ante diluuium enim viuebant homines octingentos & mille annos; poſt diluuium centum viginti vel etiam quinquaginta; tempore Dauid, octoginta & centum; hodie vero pauci ſunt qui ſeptuageſimum annum attingunt pleni virium & priſtinæ valetudinis.

Gen. 16.

Lib. 1. c. 4.

Notandum quoque eſt, Prophetam non cenſuiſſe hic eos, qui obſcuris matris viſceribus immortui nunquam vitali luce

frui

frui potuerunt; neque illos qui à matris vtero non diu poſt ad ſepulchrum deportati ſunt; non etiam quos ante diem immatura mors abſtulit, vt ne cum vita longiore mortis æternæ periculum incurrerent, aut certe quia eos adorabant parentes, Dei parum memores: ſed tantum notaſſe illos qui ad ſenium deſideratum, & mille modis faſtidioſum peruenerunt. Nemo, mea ſententia, ſatis poteſt facere tam rectè huic quæſtioni, quam is qui hanc viam ſemel calcauit: pluris enim fiunt teſtes oculati. Si ergo certiores eſſe voluimus, quam longa aut breuis ſit vita noſtra, rogemus eos, qui peracto hoc itinere gaudent æternum gaudium, aut dolent nunquam terminandum dolorem. Non eſt in Cælo beatus, aut damnatus in Inferno, qui cogitans æternitatem non obſtupeſcat rem vnam tam breuem clauem eſſe boni maliúe tam longum duraturi. Nemo Sanctorum eſt, qui intuens in floridum ver beatitatis ſupremæ Spiritus ſancti dulci afflamine temperatum, deſinat extollere miſericordiam Dei, qui pro halitu vno vitæ tantam ei gloriam donauerit; pro triſtitia modica infinitum gaudium; pro labore exiguo interminam quietem. Et ſi mille anni

miseriarum pauci sunt, vt loquitur Augustinus, ad vnum diem cælicæ felicitatis comparati; quales videbuntur duo dies vitæ, si ad gloriæ æternitatem referantur? Cum dicant infelices & ignibus æternis deuotæ animæ; *Nos nati continuò desiuimus esse.* Non vixistis igitur annos septuaginta? Minimè gentium. Vix lucem aspeximus, *in malignitate nostra consumpti sumus.* Et videtur sacer textus excusare illos. *Talia*, inquit, *dixerunt in inferno hi qui peccauerunt: quoniam spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur: & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur: & tanquam fumus, qui à vento diffusus est: & tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis.* Comparauerant hi ante superbiam diuitiarum suarum vmbræ & nuncio præcurrenti; naui quæ volat per mare adspirantibus ventis; aui quæ strepitum paruum alis excitando rapitur per aërem; jaculo emisso in scopum destinatum: quæ omnia vti velocissima sunt, nullum sui relinquunt signum aut vestigium. & tamen Sapienti nimis diuturna videri debuerunt, quibus vitam compararet, quare breuiora ad eius similitudinem assumpsit. Si hanc quæstionē apud capulares & jam pæne in puluerē

Cap. 5.

con-

conuersos senes institueris; respondebunt tibi post bene & maturè consideratum vitæ suæ curriculum non distare veritatem à somnio, finemque & principium ita coniuncta esse, vt non detur locus medio. Dicit Eccles. *omnem potentatum breuem vitam esse.* quia mille habent caussas declinandi in vanitatem. vt sunt: autoritas, quæ ab illa æterna deriuatur, qua leges stabiliunt, sumunt pœnas mortis atque vitæ; sceptra, coronæ, tiaræ, tituli quibus tollunt nomina etiam Deo propria, & sibi nomina Solis, Lucis, Angeli, Fortitudinis, Dei imponunt; blanditię, quibus æternitatis sibi partem datam somniant; adulationes & supparasitationes, quibus imaginantur differre se à ceteris hominibus, & in alio prædicamento aut specie se collocant. Homerus vitam nostram comparauit arborum folijs, quæ nunquam durant longius vnâ æstate. Quod nimium putauit Euripides, & sufficere humanæ felicitati dixit vocabulum diei vnius. Et hunc reprehendit Demetrius Phalereus, & momenti nomen satis esse voluit. Plato vocauit somnium hominum vigilantium: quod plusquā satis visum est Ioanni Chrysostomo, & nominauit somnium dormientium, aut ebrietatem hominum vino sopitorum. Quemadmodum enim hi so- *Eccl. 10.*

mniant interdũ regio ſe diademate coronari; ita qui vitæ delicijs capti ſunt, imaginantur alios ſe eſſe quam reuera ſunt. Alius Philoſophus, quia ſomnium aliquid eſſe credidit, appellare voluit potius vmbram ſomnij. Seneca fabulam, Ludouicus Viues comœdiam aut tragœdiam, Picus Mirandulanus nuncupat punctum, aut ſi quid puncto minus eſt. Sapiens vocat nebulam quæ diſſoluitur à Solis radijs: Eccleſiaſticus guttam aquæ maris, & calculum arenæ: Iacobus vaporem ad modicum parentem: Dauid motum oculi. *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani; tranſiui, & ecce non erat.* reflexi oculos, & iam diſparuerat. Et vbi dicit: *Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos*, habet alia lectio: *Ecce menſura pugillorum menſuraſti dies meos.* Profecto multum eſſe non poteſt, quod pugillo capitur. Hi & alij tituli multo viliores, quos priſci ſcriptores tam ſacri quam prophani vitæ impoſuerunt, fundamentum habent in fuga eiuſdem & celeritate: neque enim per aërem volucris vlla aut turbo, aut per mare nauis, aut veredarius per terram rapitur tam ocyter; cum ſicut & aliæ res omnes, licet velociſſimæ nõ cõtinuo & ſemper eodem curſu moueantur, ſed ſiſtant aliquando & requieſcant. Vita vero noſtra omnẽ

[margin: ...ap. 2. / ...ccl. 27. / ...acob. 4. / ...ſal. 36. / ...ſal. 38.]

omni-

omnino quietem ignorat, non parcit infantiæ, in qua felicibus cum infelicibus æqua sors est: non excusat somnus, non edendi necessitas: ægris aut captiuis neque vnum momentum remittit: non quidquam cuiquam indulget. Non aliter quã candela, quæ vbi semel ignem conceperit, pessum it, & quo luculentius splendidiusque arserit, magis consumitur: sicut linum imminuitur, quoties mulier fusum rotauerit, donec tandem omnino consummetur. Aut sicut fluminis aquæ fluunt indesinenter, nauis secundo vento cursum suum tenet, creatura autem omnis marcescit semper atque inueterascit: Ita iacet securis ad arborem vitæ nostræ, feritque tam multis ictibus, donec prostrauerit. Imminent muro corporis nostri hostes, arietantque in horas singulas dum euerterint. Stant irrequietæ Parcæ pensumque vitæ nostrę voluunt, donec absoluerint. Adeo, vt nihil tam valide hominem exerceat in hac vita, quam ædificij huius corruptio: quæ quotidie magis magisque ruinæ proximat, tam festinè, vt illi qui recte iudicant, pro præterito futurum reputent. Iob vitæ multos annos reliquos habebat, cum diceret: *Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt.* Dauid dicit mille annos ante oculos Domini esse, tan- Cap. 17. Psal. 89.

quam

quam dies hesterna quæ præterijt. Philosophus quidam miseriam istam deplorans, Quod præterijt, inquit, esse desijt, quod præsens est, fugit atque euanescit, quod futurum, nondum est. Ita vt spes sola nos lactet in hac vita, atque illudat. Sanctus Augustinus loquens de Probatica piscina, & homine illo, quem triginta octo annos morbus afflixerat, dicit nos grauiter hallucinari in numero annorum, & imperitos esse arithmeticos. Dicit quidā, Habeo annos quinquaginta; qui cum iam transierint, stultè putat se illos habere, qui non sunt. Et dici vulgo solet, Talis vixit centum annis: vbi melius diceretur mortuus est annis centum. Quare Seneca, sicut fieri non potest, ait, vt homo aliquis eandem fluminis aquam bis ingrediatur, quæ defluxit, vbi iterum intrare voluerit: ita propter fugacitatem non est vnum vitæ cum altero momentum idem. Hinc Philosophus quidam velocitatem vitæ nostræ noluit fluuijs lene-fluētibus & claris, de quibus Thecuitis, comparare; sed rapidis, qui præterquam quod luto & sordibus turbidi currant, ita concito lapsu cadunt, vt non longum durent. Mea opinione Philemius rectissimè dixit vitam hanc nihil aliud esse quam nasci & mori; natos egredi ex tenebricoso tumulo, mortuos reponi in

Ioan. 5.

ni in alium multo horribiliorem: ceteram esse miseriam. Sicut fons qui ex rupe altissima scaturit, in valle abscondit sese iterum, aut in mare quia vicinum reuertitur: Ita vita nostra ab ortu ad interitum habet paruum fluxum, & illum molestiarum ac doloris plenum. Seneca, vt in epistola quadam scribit, exiuerat ad visendum prædium suum, & in eo nihil reperit præter grandæuitatis & breuitcr actæ vitæ monumenta. Arguebam, inquit, villicum, quod in restauratione ædium tantum sumptum fecisset; qui respondit: Domine, vitium non meum sed ædificij est, iam caduci, & præ vetustate quotidie ruinam minantis. Et mecum, Quid, inquam, ego faciam, qui struxi, & primum fundamenti lapidem posui? Hortulanum quoque reprehendi negligentiæ, quod solitos fructus non darent arbores: qui reddidit; Accusandæ illæ sunt, non ego: frustra enim laboro & sudo, exsiccæ sunt præ vetustate. Tum ego mecum: heu miserum me, qui eas mea manu plantaui. Deinde in angulum quendam oculos declinaui, & vidi judicio meo hominem seniculum, & Quis, inquam, istum conduxit? Ille verò: Non agnoscis me here? ait: ego sum seruus ille cum quo tam familiariter iocari solebas. Et tacitus dixi: Certe plurimum

huic

huic prædio debeo, quod quantum-quantum est, me senij mei admonet, & instar venti fugientis vitæ. Cui doctrinæ libet mihi subnectere insignem huius mundi insaniam, qua delectantur homines otiosi. Est qui ludo totam pæne noctem fallit, & producit somnum vsque ad meridiem: tempus pomeridianum consumit spectando comœdiam. Si eum roges quo modo vitam transigat; respondebit: Fallo tempus. Et non videt insanissimam esse insaniã nugis sese dedere, cum tempus adeo fugax sit, cui inopinatò senectus obrepet atque canities: & licet desideria verna sint, & cogitationes iuuenes in rebus alijs omnibus, suborietur tamen mutatio repentina, & talis, vt dicturus aliquando sit cum stupore: Bone Deus, quàm citò, quã inopinatò, aliud cogitanti tempus effluxit. Quare Paullus vrget Ephesios, vt redimant tempus, quoniã dies mali sunt. i. breues & fugitiui. partem eorum infirmitas, partem patria, partem parentes, partem amici hospitesque sibi vendicant. Iubet ergo Apostolus tempus redimere, ne lugendi dies nos prę occupet: Omnes enim qui in tenebras extremas proiecti sunt, pro momento male collocati temporis in hac vita, darent omnia quæ habent & quæ non habent.

Ephes. 5.

Cap. XXXII.

CAPVT XXXII.

Vitæ nostræ fragilitas ostenditur.

QVi animo præsenti considerat vitæ nostræ fragilitatem, breuitatem eius non miratur. Vitrum, vas fictile, tela aranei, filum, capillus, statuæ cereæ rumpuntur facillime; facilius tamen vita hominis. Neque opus est armis ad hanc destruendam, vna aura, radius vnus Solaris, parua aliqua molestia, haustus frigidæ deijciunt hominem, & mœnia quibus thesaurus vitæ nostræ muniebatur. Sophocles, Dionysius, Chilon Lacedæmonius caussam mortis gaudium habuerunt. Anacreontem vuæ passæ granum vnum suffocauit. Fabium Senatorem Romanum cymbium lactis epotum exstinxit. Innumeri sunt, qui noctu ad quietem sanum corpus deposuerunt, mane exanimes reperti sunt. Fragilitatis huius caussa interna præter materiam, est artificium, quod adeo subtile delicatumque est, vt mirum sit durare tam diu. Horologium licet ex ferro aut chalybe sit, quia ingeniosæ artis nobile opus est, & rotis tam multis, flexibusque varijs mouetur, omni pæne horâ corrumpitur: corporis vero nostri artificium multo nobilius subti-

lius-

liusque est, tot venis, arterijs, neruis, membranis, &c. distinctum, vt ex eo solo Psalmistes in cognitionem artificis veniret. Cum ergo materia adeo infirma ac debilis, artificium tam subtile delicatumque sit, quid mirum solui facile vitæ nostræ motum? Caussæ externæ sparsæ sunt per mundum vniuersum: Omnes creatura arma domi habent ad perniciem vitæ nostræ intenta. Mare inundationibus, flumina æstibus, tremoribus suis terra; incendijs ignis, aër pestilentijs, ferarum aliæ crudelitate, aliæ veneno vitam nostram tollunt aut offendunt. Abbreuiant labores curæ, aduersa, pauperies, fames; senectus voluptates, deliciæ. Homo, qui eiusdem nobiscum sortis & naturæ est, qui succurrere & opem ferre, ac protegere deberet maxime capitalis vitæ nostræ hostis est, & bello, carceribus, tormentis, proditionibus, incendijs, dolis, rapinis, inuidia, odio morte non vna nos turbat aut à vita exturbat; & terra, mari, igni, aëre, feris, morbo peste crudelior atque nocentior est. Hi adde, quod nascatur homo quasi derelictus, inermis, & omni ope munimento que destitutus. Animalia alia prodeunt in vitam armata ac munita vellere, pennis pinnis, squamis, conchis, dentibus, vngulis, cornibus, & membris robustissimis

qua

quæ vero infirmiora ſunt, valent pedum agilitate ad fugiendum. Homo de vtero matris ſuæ nudus egreditur, omni ope humana deſtitutus. Pullus ouo excluſus ſtat in pedes, & curſu feſtiuo celebrat natalem ſuum: fugit cuniculus, limax teſtam ſecum aufert. Homo vero velut omnium animalium indigentiſſimus hoc vnum agit, plangit. Ioannes Chryſoſtomus vitam noſtram vocat nidum hirundinum ex paleis & luto compoſitum, quem puer emiſſo lapide in terram deijcit. Oſtẽde mihi tuguriolum ruſticum, aut arcem inexpugnabilem, aut infantem tenerum, aut athletam robuſtiſſimum: nidi omnes hirundinum ſunt, quos hiems madefacit, ac deſtruit. Euangelij phraſis eſt, *Simile eſt regnum Cælorum homini regi. homo erat paterfamilias:* in qua licet ineptæ tautologiæ vitium committi videatur, pulchra tamen humanæ ſimul fragilitatis antonomaſia continetur. retinaculum eſt, quo cohibetur vanitas humana ſtringiturque maieſtatis ſuperba ambitio. Statua Nabuchodonozor quia pedes luteos habuit, à ſaxo vno in fumum abijt, ferrumque, & æs, & argentum, & aurum, metalla ſuperbifica humi deiecta ſunt: Ita Principes, Regeſque & mundi huius Monarchæ ſciant pedes ſibi terreos eſſe, & id cui innituntur pul-

Hom. 2 in epiſt. ad Coloſſ. & Homil. 30. ad pop. Antiochenum.

Matth. 18.
Matth. 22.

uerem, cineremque, seu quod idem est, hominem esse. Quare Princeps quiuis Christianus scribere deberet, Ego homo Rex, in signum suæ fragilitatis. Homo Latine, Græce ἄνθρωπος, Adam Hebraice, idem sonat quod terra facta caro. Et cum Cypriano notat D. Augustinus, quod Adam non fuerit compositus ex terra vnius loci, contra Iosephum, qui vult eum formatum ex terra agri Damasceni: sed asserunt Deum ex quatuor mundi plagis totidem pugillos terræ accepisse, & ex eisdem hominem finxisse. Quo etiam alludere videtur Propheta: *Pugillo terram comprehendit.* Additque Cyprianus Dominum ex quatuor mundi partibus sumpsisse literas, quibus Adami nomen formaret. Videtur ergo A. accepisse à stella orientali, quæ Antelos dicitur; à sidere occidentali D. cui Dysis nomen est: ab astro septentrionali A. alterum, quod Astronomi Arcton vocare solent: stella meridionalis quæ Mesembria appellatur, M. subministrauit. His quatuor partibus hominem componentibus respondent quatuor humores corporis nostri, in quibus fragilitatis nostræ pars maior sita est. Neque tantum nomen Adam homini imposuit, quod terrenum significat, sed Euæ quoque, eodem die quo creata est, vt ne in superbiam extollere-

Cypr. tract. de Sina & Sion

Aug. tract. 9. super Ioan.

tur,

ur, quasi fortior esset quia ex costa ædifi-
ata. Homo itaque plasma luteum & na-
us de muliere, typus est fragilitatis.

CAPVT XXXIII.

Vitæ inconstantia exponitur.

ARISTOTELES hominem fortunæ ludum vocauit: eum enim pro oblectamento suo habere idetur, & cum tota eius vita iocari. Hi-rioniam exercet cum illo fortuna: nunc estit, nunc spoliat; exhilarat, contristat adem hora; hodie extollit, cras humi-at: denique ex eodem homine mille per-onas format, mille parat condimenta, ille embammata, neque vno in statu sta-e permittit. De stercore erigit pauperem, iuites dimittit inanes: ex carcere ad tri-mphum educit, à triumpho impingit in arcerem. Videntur Mundus & Fortuna mul descendisse in sphæristerium, & ad sum pro pila hominem assumpsisse. ortuna pilam manu exceptam in cælum uerberat, quæ volat per summum pro-peritatis: Mundus volantem expectat, & quam repercutere vi simili debebat, re-nittit trans pedes lusorum. Quam mul-æ pilæ per has aulas volare altissime visæ

ſunt? Volauerat ad vſque ſidera Dauid & dicit: *Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* fortunæ meæ luſtrum facio, & varias vitæ ſortes humilem ſublimemque examino. Nunc me admiror paſtorem, pſalten, militem, ductorem, Regis generū, gratia florentē: nunc video me ex gratia, ſpe, promiſſis excidiſſe, lacerari linguis improborum. Et ſi recte aduertimus, omnibus qui viuunt commune hoc infortunium eſt. Ariſtoteles Fortunam vocauerit, nos Diuinam prouidentiam nominamus. Et Seruatorem ipſum eodem pæne tempore videbitis adorari à magis, & quæri ad necem ab hominibus: ab his Prophetam vocari; ab alijs inſanum & poſſeſſum à dæmonio: hodie regia ſolennitate receptū, cras affixum cruci. Nunquā Fortunæ chelys tam rectè tenſa eſt, vt non rumpatur interdum aliqua fidium: ſolus ille felix videtur, qui cito infelix eſſe cœpit. Vocauit quoque hominem ſpolium temporis Philoſophus. Arbor natura ſua fertilis in ſolo quoque fertili plantata ceteris amplius fortunam aduerſam pati videtur: nam & folia illi tollit, & verno tempore floribus nudat, ſi quos non excuſſit, ſub autumni initium de illis ſe vindicat. Ita homini, quo vita indulgentior, eo infeſtius eſt tempus. Vita

Pſal. 87.

donat

donat valetudinem, barbam, capillosque magnam partem humanæ pulchritudinis: tempus niuem inspergit, canos reddit, donec paullatim stirpitus omnes eradicauerit: dat oculos vita, tempus excæcat: & colorem; tempus perdit; largitur vires, tempus soluit. Sed quia reponere posset homo, si triumphet ita tempus, non fieri id se volente aut consentiente; si fortuna sic ludat, desiderare se, vt rotam illius impacto clauo possit reddere immobilem. Ne ergo hoc modo se excuset homo, nominat Aristoteles imaginem inconstantiæ: & melius dixisset, si inconstantiam & vanitatem ipsam appellasset, cum Propheta. Dixerat *hominem vanitati similem* *Psal.143.* *factum esse*; sed quia parum dixisse vide- *Psal 38.* batur, alibi, *Vniuersa vanitas*, inquit, *omnis homo viuens.* quia nunc amat, vult, liberat, ridet, valet, timet; nunc odit, non vult, damnat, lachrymatur, æger est, & confidentiæ plenissimus: denique mille modis se ignorat. Amnon deperibat Thamar ad morbum vsque, paullo post eam exturbari mandauit. Inter mutabilia nu- *2. Reg. 13.* merantur mare, venti, Luna, arborum folia, chamæleon qui singulis pæne horis colorem variat, Protheus qui transmutationibus frequentibus in prouerbium abijt: sed quod mare, qui venti, quæ

Luna ita mutabilis, vt cor humanum? Petra cui Ecclesia sancta innititur, atque inædificata est, S. inquam Petrus dixit, promisit, & firmiter proposuit ire in mortem cum Magistro suo: non ita diu post iureiurando nō vno negauit scire se, quis Christus esset. Quid iuncus faciet aut arundo, quando sic robur quercusque vacillant? Deus à mundo condito statim mouit suspicionem humanæ inconstantiæ, prognosticon nasciturі ex illa fastidij: cum enim spectaret ea quæ primis diebus creauerat, complacensque sibi in illis, & laudans: ô quam bona, ait, omnia, quam pulchra omnia! quam elegans cælum! quam jucunda elementa! & sic de creaturis omnibus. Creato vero homine omnium domino, non dixit, quod solebat. Inter alias adducunt sancti interpretes rationem istam, quæ huc spectat: puta, Deo non placere, quod ita facile & cito mutatur: & sciebat Deus in suprema hac felicitate non amplius sex horis septemúe hominem perseueraturum. In triumpho illo Hierosolymitano, qui omnium quos mundus vidit, celeberrimus fuit, Christus amarissime lachrymatus est: lachrymandi tamen nulla caussa apparebat. Neque enim desiderare po-

Luc. 19.

terat

terat amplius ab illo populo, quam affectum tam manifestum illi obsequendi & seruiendi. Hortos suos exspoliauerant, terram vestimentis suis velut tapetibus instrauerant, cantabant pæana gaudij signum & victoriæ: sed hæc omnia non satis erant ad oculos diuinos exsiccandum. Rationem dat Chrysostomus, Quia non placebant Christo illa obsequia, quod sciret non fidendum esse cordi humano, & cantica lætaque hæc jubila paullo post in blasphemias iniuriasque conuersa iri. Antè hoc Seruator indicauerat, quando Lazaro è viuis sublato dissuadebant discipuli, vt ne in Iudæam rediret, vbi paucis ante diebus pæne lapidibus oppressus fuerat: Respondit enim; *Nonne duodecim sunt horæ diei?* q. d. tot cordis humani mutationes sunt, quot horæ. In lege veteri diuersis motibus agitabatur cerebrum Israëlitarum. Iugo Ægyptio pæne succumbentes aspirabant ad libertatem: liberi rursum ad ollas carnium, cucumeres, alliumque, & cepas Ægypti anhelabant. In deserto rogant aquam: Deus illis elargitur. Supplicant pro pane: panem de Cælo dedit eis panem Angelorum. non quod illum pinsuerint aut coxerint Angeli, sed quia non dissimilis

Ioan. 11.

erat pani qui in Cælo manducatur, & sapiebat omne quod palatum eorum desirabat. Tertio die hoc cibo saturi erant, & petunt coturnices. Pluit illis Deus sicut arenam maris volatilia pennata, & ceciderunt in medio castrorum circa tabernacula eorum; fecerunt aceruos coturnicum, ignique tostas auide tuburcinati sunt. Sed ad bolos delicatiores salsuginem misit Deus. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, plaga crudelissima extincti sunt. Deditque nomen loco conuenienter varijs eorum desiderijs, *sepulchra concupiscentiæ*, quod pro epitaphio mortuis inscriptum esse voluit, vt indicaret necessarium fuisse, vt finem mutationibus, & tam facile mobilibus capitibus imponeret. Dauid cuidam Psalmo addidit titulum, *Pro ijs qui commutabuntur*: quem explicans Basilius dicit intelligi hic homines, quorum vita vna continua mutatio est. Versio Aquilæ habet *pro folijs*. Symmachi, *Pro floribus*. Ita vt eos, qui in textu nostro mutabiles dicuntur, illi interpretes folia & flores nominent, quæ ipsa quoque inter mutabilia recensentur. Flores frigore modico congelantur, calore non magno marcescunt. & nun-

quam

quam in eodem statu permanent, Iob testante: folia vero à vento rapiuntur. *Iob.14.*
Christus cæcum curabat, rogantique si videret aliquid: *Video*, respondit, *homines* *Marc.8.*
velut arbores ambulantes. Quem locum explicans Petrus Chrysologus dicit: Non vidit homines firmos constantesque columnarum instar; quia quos Deus respicit, radioque suæ lucis illustrat, vident extra omnē dolu n; vident, inquam, homines non bases immobiles, aut petras fundamentales esse, sed arbores quæ minimo spiritu commouentur.

CAPVT XXXIV.

Vitæ incertitudo demonstratur.

CVm ergo vitæ nostræ termini tam angusti, fragiles, varijque sint, saltem minus miseri forent, certos illos ac securos possideremus: vt lim Rex Ezechias, cui lachrymanti De- *4.Reg.20*
s vitæ annos quindecim concessit. Sed lijs miserijs hæc aduenit, non habere vam horam certam, sed timere diem illum Domini velut latronis, qui laneos induit alceos, vt ne audiatur, ponitque gressus deo tacitos, vt sæpe commiserit furtum rius, quam cognoscant domestici latro-

nem fuisse in ædibus. Voluitque Dei misericordia admittere similitudinem rei tam infamis, vt in metu viuamus semper, ne occupet nos ille dies imparatos. Fieri enim assolet, vt, sicuti pisces minimè expectatum hamum induunt, in casses insperatos inuolant aues & captantur; ita in homines mors insiliat in die malo, idest, falso & fraudulento. Nihil morte certius, hora mortis nihil incertius. Estque patrimonium regale, primogenitura Dei & coronæ eius debita: & magnam licet cum hominibus necessitudinem inierit, vt eis secreta pectoris sui aperiret velut amicis, pœnas quibus populum aut etiam mundum vniuersum castigare volebat, communicaret, quasi consilium eos rogans; hoc tamen de morte & iudicio arcanum sibi reseruauit. Dominum abiturientem ex hoc mundo ad Patrem rogant discipuli:
Act. 1. *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël?* quibus respondit Christus: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua* & mea *potestate*. Idem de mortis hora dicit. Neque conueniebat homines scire rerum dispositiones: alioqui non seminaret agricola, quando metere non posset: non descenderet miles in prælium, in quo sciret animam se amissurum: quare bene diem hunc Dominus secretum

esse

esse voluit; licet suspicari probabiliter de eo possimus. Medicorum aphorismus est, tunc morbo vicinum esse hominem, quãdo sanitatis optimam habet dispositionem. Ita nobis contingit: quando credimus à Deo nos maxime remotos esse, tum proximi sumus. In parabola virginum venit Sponsus media nocte: monetque in media nocte vitæ nostræ, quando somno profundissimo sopiti iacemus, curis vacui, extra omnem metum, tunc esse mortis articulum. Diues Euangelicus sibi blandiebatur, & longam voluptatum seriem, & multa lustra deliciarum sibi imaginabatur, dicebatque: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.* Audiuitque subitò à Cælo vocem: *Stulte*, non comedes quidem bolum vnum ex ijs quæ congregasti: *hac nocte animam tuam*, nunc suam, *repetunt à te* Dæmones. Quando Balthazar Rex in conuiuio illo splendido, quod optimatibus suis struxerat, epulabatur, apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis in superficie parietis Regi mortis sententiam. Hoc est quod dixerunt filij Prophetarum quos Eliseus conuiuio excipiebat. Collegerat Giezi herbas agrestes, Scriptura colocynthidas eas appellat, quas concisas immisit in ollam, vt ex ijs pulmentum coqueret.

Matth. 25.

Luc. 12.

Dan. 5.

Cum

Cum vero gustassent de coctione, quæ felle amarior erat, clamauerunt: *Mors in olla vir Dei.* Dixeruntque amplius quam cogitabant: semper enim mors in olla, in conuiuijs, in epulis, in voluptatibus est, cum tantum indicare vellent pulmentum amarum esse, & amaritiem mortem nuncupabant, quia morte nihil amarius. Dixit Ezechias: *Præcisa est velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer succidit me.* Et mirum est, sic placitum esse Deo. Quis enim domum fabricat, vt statim destruat iterum? quis arborem plantat, vt rursum extirpet? quis fila obuoluit liciatorio, vt præcidat postridie? Hæc tamen facit Deus. Educit adolescentem ad floridam ætatem, dum oculos omnium in se rapiat: enutrit virginem, donec rosæ in morem purpura sua oblectet omnes: At subito eos limis oculis mors obtuctur, rosæque æstu rapido adustæ languidum caput demittunt, marcetq; flos vegetæ iuuentutis. Hæc cogitatio Iob attonitum reddidit: Domine, inquit, *manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu,* infinitis beneficijs præuenerunt me, *vitam & misericordiam tribuisti mihi, & sic repente præcipitas me?* David vero, *eleuans,* ait, *allisisti me.* Egisti mecum, quod aquila cum testudine: tenacibus vngulis rapit illam, & leuat altissimè,

[Margin notes: 4. Reg. 4. — Esa. 38. — Iob. 10. — Psal. 101.]

mè, deinde lapidi illidit. Hoc eſt quod Sapiens dixit: *Fortis eſt vt mors dilectio.* Sicut plenus fraudium Amor eſt, & otioſum, incuriumque, ac nihil tale cogitans cor inuadit: ita mors. In mundi namque exordio cum quatuor dumtaxat homines viuerent, abſtulit iuniorem, cum à ſenioribus ſumere potuiſſet initium: & nunc quotidie nepotes rapit immaturo funere, & parcit auis abauisque effœtis & iam capularibus, vt nulla ſibi ætas vitæ ſecuritatem polliceatur. Idem Ieremias indicauit quando dixit mortem aſcendere per feneſtras. Sunt nōnulli qui fores bene firmiterque oppeſſulant, vt ne infirmitas aut mors ſubintret. Princeps ille cauet ſibi à Sole, æſtu, aëre, cibis nociuis: adſtat Medicus, & omnes illi bolos numerat. Videtur ergo munitus vallatusque bonis huius vitæ, vt nullus morti ad illum aditus pateat. Quare dicit Propheta: quando portas ita fortiter obſeratas videt atque impenetrabiles, non diu ferit, ſed per feneſtras viam ſibi facit in ædes. Hinc multis contingit teſtari ita imprudenter, facultates ſuas relinquere iniquis atque ingratis hæredibus, quia imparatos eos occupauit mors inopina. Aſſyrij Samariam tam arcta obſidione premebant, vt pleni faſtu pro ſua eam reputarent. Occurrit nocte quadam ca-

Ierem. 9.

ſus

ſus inexpectatus. *Siquidem Dominus ſonitum*
...Reg 7. *audire fecerat in caſtris Syriæ, curruum, equorum & exercitus plurimi: dixeruntq; ad inuicem, Ecce mercede conduxit aduerſum nos Rex Iſraël reges Hethæorum & Aegyptiorum, & venerunt ſuper nos. Surrexerunt ergo, & fugerunt, & dereliquerunt tentoria ſua, & equos & aſinos, & aurum & argentum & veſtes in caſtris.* Non aliter accidit, quando mors improuiſa vos aggreditur mundo voluptatibusue intentos, non cenſentes lucrum quod acquiſiuiſtis laceſſendo pauperes, & mille modis iniuſtis eos perſequendo. Quare vigilare vos addecet, & paratos eſſe ad horas omnes: neque enim mors ſubita pernicioſa eſt, ſed quæ offendit imparatos. Christus videns in hoc verſari felicitatis noſtræ cardinem, varijs parabolis attigit hoc ſubiectum. Apud Lu-
...uc. 12. cam dicit: *Sint lumbi veſtri præcincti.* Quod intelligit Auguſtinus de liberrima rerum temporalium licentia. Cui ſtatim ſubnectit parabolam aliam ſimilem: *Et vos* eſtote *ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum quando venerit à nuptijs. vt cum venerit & pulſauerit, confeſtim aperiant ei,* vigilant omnes. *Et vos eſtote parati.* Hanc Marcus habet. *Sicut homo qui peregre pro-*
...Marc. 13. *fectus reliquit domum ſuam: & dedit ſeruis poteſtatem cuiusq; operis & ianitori præcepit*

vt

vt vigilet. Non excuſabit alios, ſed vigiliarum curam potiorem ianitori impoſuit. Idem habet parabola de virginibus prudentibus & fatuis, quæ ſponſum expectabant. pars ſolertes & vigiles fuerunt, pars imparatæ & dormitantes veniente ſponſo: quæ etiam obſeratis foribus excluſæ ſunt. & clauſula additur: *Itaque vigilate.* Idem apud eundem Euangeliſtam ſignificatur cap. 24. *Si ſciret paterfamilias, qua hora fur venturus eſſet, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam. Ideo & vos eſtote parati.* Et eodem capite monet, vt ne bibendi, edendiué, aut ſæculi inanibus curis ſeducamur, quia repentinus furtiuusque erit aduentus eius, non aliter quam cum auceps innocuam fallit auiculam, aut cum fulmen igne ſuo ferit hominem, neque vllum momentum loquendi concedit, vt vociferetur, Deus eſto mihi propitius. Vidit Ezechiel vehiculum, quod trahebant animalia quatuor plena oculis ante & retrò. Idem Ioannes vidit. Iuſti autem ſunt, qui toti oculei vigilant pro anima, quæ vndiquaque circumdatur oppugnaturque ab inimicis, & continuas excubias agunt. Poëtæ in fabulis habent Argum quendam paſtorem, eumque fingunt centoculum, vt aliquo ſemper lumine vigilaret: ita nos centum oculos in manibus

Matth. 25

Matth. 24

Cap. 23.

Apoc. 4.

habe-

habere oportet, vt videamus, quid operemur: centum oculos in lingua, vt videamus, quid loquamur: vt videamus quid videamus, centum oculos alios in oculis: denique toti oculei esse debemus, vt vitam omnem nostram diligenter inspiciamus. Hæc porro vigilantia alio nomine prudentia vocatur, cuius magistros habemus vermes, hirundines, araneos, apes, formicas, turtures, columbas, gallos, ciconias, canes, aliaque pluria animalia, quæ pericula sua præuident & cauent commodo tempore. Quare Gregorius nos funambulis similes esse vult, qui sexcentis oculis intendunt in illud quod facto opus est. Romani Iano duas facies dederunt, signa prudentiæ. Apud Hispanos olim Rex prudentissimus fuit nomine Gerion, cui appingebant tria corda & sex manus. Antiqui Mineruæ ad pedes Draconem collocabant, animal oculis perspicacissimum: vox enim Draco, à verbo Græco δέρκω originem habet, quod est acutissimè cerno. Ægyptij vigilantiæ figuram exprimebant in lepore & cuniculo, qui dormiunt apertis oculis. Et dicit Xenophon, tunc aperire quando dormiunt, claudere verò oculos quando vigilant, atque ita nunquam non vigilare. Cui bene conuenit nomen leporis, græcam deriuationem habens à

verbo,

verbo, quod significat, video. Christus sub vltimam vitę horam tertio inculcauit discipulis suis *Vigilate.* Cui occasionem licet secundò dare potuerit agonia, in qua erat: quando tamen jam confortatus erat, & tormenta mortisque supplicium acceptauerat, tertio vigilare iussit discipulos suos, & cum eis fideles omnes; jussit, inquam, vigilare eos, & custodiam animarum suarum potius agere, quam somnum oculorum corporalium prohibere.

Ex his duæ Amoris imagines antiquæ possunt intelligi. Vna illum dormientem, altera vigilantem habuit. Differentia vero inter picturas hæc erat: Quando dormientis figuram gerebat, armis omnibus instructus erat, iuuenis robustus, neruosus, in brachium læuum incumbens; pro puluinari illi clypeus erat, in dextera gladius, in humeris cum arcu pharetra: denique promptus paratusque omnibus modis ad pugnam. Quando vigilantis statum exprimebat, venustus, lepidus, festiuus, indutus vestē pretiosam, intextam vnionibus, obductam limbis aureis, denique plenus voluptatis erat atque elegantiarum. Vt alias interpretationes omittamus, significabant veteres idem esse, vigilare hominem & armatum esse, non vigilantem vero opus habere armis, & propugnaculis. Ambrosius

in Hexamero dicit grues nunquam dormire omnes, ſed ex ijs vnam vigilare ſemper, quæ vnguibus petram tenet, vt ſi forte ſomnus illi obrepſerit, lapſu petræ ſonituque expergiſcatur. Ab his animantibus in caſtris excubias agere miles didicit, per quos totus exercitus ſecurus requieſcit. Alexander Magnus in belli anguſtijs cum à ſomno vrgeri ſe animaduerteret, extra lectum tenſo brachio, pilam argenteam in manum ſumebat, cui peluim aheneam ſupponebat: vt ſi forte illum ſopor oppreſſiſſet, cadens pila excitaret iterum. Non enim omnes gaudent illo naturæ priuilegio, quo Iulius Cæſar, qui ſomnum & vigiliam quaſi in manu habebat, & eo quo volebat horæ momento expergiſcebatur. Dicit Ariſtoteles, Deum beatum eſſe, quia nunquam dormit: et ſi dormiret aliquando, beatus non foret. nõ tantum quia cum ſomno beatitas ipſius deſineret, ſed quia dormienti opus armis eſſet, quæ arcerent pericula ſolita dormienti occurrere. Quare fortiſſimi Iſraëlitarum cuſtodiebant lectum, in quo Rex Salomon dormiebat, propter terriculamenta & pericula nocturna.

Verum ſtupore digna res eſt, tam multis admoneri homines, & non fieri cautiores. Sed accidit hodie quod olim in dieb⁹ Noë.

Monue-

Monuerat Deus homines, terruerat, minatus fuerat; commonefaciebant eos quotidie mallei & secures; frequentem apud eos sermonem habebat ipse Noë: sed frustra erant omnia. Immo paullo *ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes*, ridebant senem quasi delirum, vane expectantem mundi interitum, diuitiasque suas centum clauibus obserantes *non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes*. Neque aliud contigit Sodomæis in medio deliciarum suarum genialiter viuentibus, quibus manifesto in furto deprehensis Deus pœnitentiæ veniæque terminos abbreuiauit. Idem hodie vsu venit. Monet Deus voce creaturarum omnium, mille locis scripturæ, venturum se velut furem in nocte: per Apostolum ad Thessalonicenses, ad Timotheum, per Petrum, per Ioannem in diuersis locis Apocalypseos. Nos tamen ita incurij, ita securi viuimus, quasi inanes fabulas audiremus. Videbitis hominem, cui corporis ædificium caducum, & præsentem ruinam minatur, fabricare curiosissima opera domum terream, quam inhabitet, & cum omnia illi mortem propinquam esse infallibilibus signis denuncient, non dat fidem tamen; & licet cum dentibus omnes ei capillos senectus euellerit, spem nihilo-

Matth. 24.

1. Thess. 5.
2. Timot. 3.
2. Pet. 3.
Apoc. 3. & 16.

minus vitæ habet, & cibum rogans buccis vtrisque plenis mortem oppetit.

CAPVT XXXV.

Describitur bellum intestinum quo periculose vexamur omnes, & dubia eius victoria.

INTER alia nomen militiæ plerique scriptores vitæ imposuerunt, in quam coniurarunt simul omnia mundi mala: quæ licet adeo multa sint, vt ex ipsa terra progerminare videantur, & circumdare velut in aëre atomi; duo tamen magis principaliter nos exstimulant, pugnæ difficultas, & dubia victoria. Primum malum sermone explicari vix potest. Nihil est belli ferratos postes disruptos esse, sublatam spem omnem induciarum, perpetuæ inimicitiæ triste classicum insonuisse, ἄσπονδον πόλεμον indictum esse igni & sanguine: nimium impares sunt belligeratores. Homo debilitate ipsa debilior: aduersarij autem ita potentes vt nunquam non saucij & male habiti à pugna reuertamur. Vt à Dæmone ordiamur: feritatem huius be-

stiæ depinxit Iob elegantissime duobus capitibus, & carmine, vt adnotauit in procœmio Hieronymus, hexametro: depingitque proprietates maximorum in mari & terra animalium balenæ atque elephanti, & sub eorum figura Dæmonis. Vult tamen Nicolaus de Lyra textum literalem de Dæmone loqui, quia conditiones ibi assignatæ non possunt competere vlli ex animalibus cognitis. Certius tamen videri debet id, quod sentiunt Hieronymus & Gregorius hoc loco, & Augustinus *super Genesin, & in lib. de Ciu. Dei:* quod Iob cœperit quidem delineare balenæ atque elephanti proprietates, ad Dæmonem vero transierit, & in eo desierit (quod in scriptura non insolens est) cui nomen dederit Behemoth & Leuiathan. De Behemoth dicit: quod *ossa eius velut fistulæ aeris sint, cartilago illius quasi laminæ fereæ.* Voracitatem eius sic describit: *Huic montes herbas ferunt*, quas in barathrum suum inexplebile immergat, *omnes bestiæ agri ludent ibi. Ecce absorbebit fluuium, & non mirabitur*: alius textus habet, *& non festinabit.* vt totum flumen exsorbeat, non multam moram requirit. Aristoteles dicit elephantem aliquando præ æstu ardere, adeoque bibere auarissimè. Quare dicit Iob absorbebit fluuium in siti com-

Cap. 40. & 41.

Lib. animalium. c. 7.

muni pro dieta ordinaria: *& habet fiduciam, quod influat Iordanis* (qui ex profundissimis fluuijs vnus est) *in os eius. Protegunt vmbræ vmbram eius, circumdabunt eum salices torrentis.* Denique *ipse est principium viarum Dei.* q. d. inter animalia quæ Deus condidit, ipse potissimum opus est. De Leuiathan loquitur non minus stupenda. *Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus. Sternutatio eius splendor ignis: & oculi eius vt palpebræ diluculi. De ore eius lampades procedunt sicut tedæ ignis accensæ. De naribus eius procedit fumus, sicut ollæ succensæ atq; feruentis. Halitus eius prunas ardere facit. Cor eius indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus. Quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam. Feruescere faciet quasi ollam, profundum mare: & ponet quasi cum vnguenta bulliunt. Deniq; non est super terram potestas, quæ comparetur ei.* Huic addi potest locus Esaiæ ille, in quo numerans supplicia, quæ immittit Deus aspernantibus legem suam, dicit: *eleuabit signum in nationibus procul*: quæ sunt dæmones, qui longe remoti à Deo sunt; quia non est alia à Deo nisi culpæ distantia. Illi ergo administri iustitiæ & carnifices sunt, quos

Is. 5.

depin-

depingit Psaltes Regius: *Deus dereliquit eum.* Curam illius non habet vltra Cælum: in terra quis eum protegere aut tueri queat? noster est. *Persequimini & comprehendite eum.* Subiungit deinde eorum proprietates. Prima eos ventos facit. *Sibilabit ad eum de finibus terræ, & ecce festinus velociter veniet. Non est deficiens, neque laborans in eo: non dormitabit neque dormiet, neque soluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calceamenti eius.* Secunda sagittas proponit, per quas denotatur impetus tentationum, quibus nullum æs queat obsistere: *Sagittæ eius acutæ & omnes arcus eius extenti. Vngulæ equorum eius vt silex, & rotæ eius quasi impetus tempestatis.* Si vero de astu & fraudulentia eius loqui velimus, non sufficient ora sexcenta. Dicit Iob: *Quis reuelabit faciem indumenti eius? & medium oris eius quis intrabit? Portas vultus eius quis aperiet?* Per indumentum intelligit Gregorius metamorphosin illam, qua se transformat Dæmon in Angelum lucis, & vitio laruam virtutis induit, carni personam spiritus, os ad mendacia, fraudem, dolum; portas transfert ad ministros, quibus stipendium assignatum est, & ex officio te-

Psal. 70.

Cap. 41.

nentur periclitari animum hominis, exstimulare, vexare, cruciare, atque ita facile cognosci potest odium lethale, quo homines prosequuntur, & persequuntur. Ioannes graphice depingit prælium magnum quod factum est in Cælo, hinc Michaële cum suis, illinc Lucifero cum apostatis Angelis, pugnantibus, non hastis aut gladijs, sed armis bonæ prauæque voluntatis. Demum victor Michaël præcipitauit de Cælo Luciferum & omnem exercitum eius. Additque Ioannes proscriptionis edictum toto Cælo auditum fuisse, clamatumque voce magna : *Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius; quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. propterea lætamini Cæli, & qui habitatis in eis.* Ad eos vero qui inferiorem mundum incolunt, dictum est : *Væ terræ & mari : quia descendit Diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet* ad vindictam sibi à Deo concessum. Vbi ponderanda est ira immensa Sathanæ, qui à primo die mundi conditi vsque ad vltimum reputat modicum tempus ad sumendum de homine vindictam.

Apoc. 12.

Ma-

Magnum quoque odium eius argui potest, quod malum nostrum velit suo cum damno: cum nostro enim peccato accrescit eius pœna, & cum nostro illius infernus: vti cum nostra conuersione adaugetur Angelorum gaudium. Nihilominus tamen non desinit vnquam insidiari nobis, & stimulare ad peccandum.

Alter inimicus, qui nobiscum bella gerit indefessus, est Mundus: inimicus, vt videtur, minus ferox & terribilis; blanditur enim nobis, & amicum se fore pollicetur, persuasitque pluribus magis licitum esse suum quam Dæmonis commercium. Offert plena manu bona illa, in quæ omnium desideria feruntur, rapitque post se potissimam partem hominum: vt credibile sit plures eius manu occumbere, quam arte, astuque, & omni omnium Diabolorum potentia. Ioannes figuram mundi delineat, quam illi demonstrauit Angelus, dicens: *Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas.* Apoc. 17. Porro *mulier erat circumdata purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione & immunditia*, ex quo potat omnes homines, mentemque eis tollit penitus, aut ita interturbat, vt non videant damnum perniciem-

quesuam. Primo depingit meretricem omnibus obblandientem, in ædes suas velut commune diuersorium sine exceptione personarum omnes admittentem, ne dicam allicientem. Quis autem non abhorreat esse in numero tam confusæ multitudinis? Secunda dat illi suauem, amantemque vultum, sed fraudulentum & callidum ad quæstum suum. Hic blanditias amoresque loquitur; illic tondet atque excoriat: non aliter quam hedera, quæ arborem amplectitur, & multa veluti amoris signa ostendit, humores interim ei omnes exsugit, consumitque. Tertio super aquas multas collocat. In scriptura autem sacra nomen aquæ varia habet significata: nos communia hic tantum recensebimus, putà quod aut multitudinem hominum aut laborem significet: quorum vtrumque valde familiare est sacris Scriptoribus, præsertim alterum Oseæ & Ezechieli: & vtrumque mundo quadrat commodissime, vbique enim mundus multus est, & multi qui eius partes sequuntur. Apud Salomonem *stultorum infinitus est numerus*, quos clientes & subditos habet mundus. Quare sancti viri dicunt à Dæmonibus sapientes, infirmos à carne, ignorantes à mundo tentari. Et rectè vulgo ignorantes appellantur, quorum vita, culpa, interi-

Eccl. 1.

tus

tus vna continua ignorantia eſt. Quæ enim ſtultitia erit, ſi hæc non eſt, bona ſua cum palponibus hiſtrionibusque dilapidare? Diogenes Laërtius & Galenus tales frugiperdas ficubus in rupe natis comparant, quæ non niſi coruis in cibum ſeruiunt. Hæc quoque ineptia non minor eſt. Si ille qui mundo ſe mancipauit, à fortuna irata ad paupertatis terminos redigitur, crepat enecatque ſe vt diuitis faſtum ſeruet. domi eſuriem patitur, & in ſandalijs holoſericis ambulat: ventrem inanem circumfert, & manno vehitur, alit pediſſequum, nutrit calonem. Non poſſunt tolerari cruciamina, quæ patiuntur improbi propter hanc vanitatem. Idem eſt cum eo, quod vſurpauit Pharaonis crudelitas aduerſum Iſraëlitas. Non dabantur illis paleæ, vt prius vſitatum erat, ad fornaces calefaciendas, & de ordinario laterum numero nihil tollebatur. Clamabant ergo mali & querebantur Cælo hanc immanem tyrannidem. Ita ſuos mundus excruciat: iubet honorem ſartum tectum ſeruare, ceremonias politicas non negligere, ſumptus inutiles & vanos ſed nobiles non ſubterfugere; ad hæc tamen adimplenda nullas vires elargitur. Eſt alia vna inſaniſſima inſania. Magis pudendum eſt pugno, quam pugione lædi; magis infame leuem

pedis ictum, quam capulo tenus ensem per media viscera excipere: cum natura sua magis iniurium sit, quod vulnus damnumque grauius dedit. Harum aliarumque absurditatum infinitus est numerus, quas adeo multi publice profiteri audent, vt non opus sit nisi oculos aperire, & perlustrare forum, plateas, porticus, templa, quæ omnia vanitatum plena sunt, quas mundi amatorculi non excusant nisi per inscitiam stuporemque suum, seu vas illud veneno plenum, quod apud meretricem simul cum mente sana ebiberunt.

Alterum significatum laborum non minus conuenit mundo: exercet enim suos fatigatque magis quam vllus dominus sua mancipia. Ixion, vt in fabulis Poëtarum est, rotæ affixus circumuolutando conteritur: sed non incumbit illi tam graue pondus, quam alicui mundano. Elegantissimè id Ioannes explicauit, *Et vidi*, ait, *sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum est illis. Et vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit Cælum & terra. Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt: & alius liber apertus est qui est vitæ: Et dedit mare mortuos qui in eo erant, & mors & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant, & iudicatum est de* Apoc. 20.

singu-

singulis secundum opera ipsorum. Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis. i. mundani, quorum vita morte peior est, & tormenta infernalibus crudeliora; ignibus æternis damnati sunt; ita vt ex vno ad alterum infernum transmittantur. O iuste Deus! post tormina inexplicabilia annorum quinquaginta mitti in stagnum ignis? illi ipsi deplorant miserias suas, & attendite, quo tendant, qua in statione collocentur. Similes ijs sunt qui totum annum cælo hiemante, furentibus ventis, mari irato, per sexcenta pericula in vndarum vlnis nauigantes, tandem ad portum appellunt barbarum prorsus atque efferum, in quo homines habitent non homines, à quibus ad ignem rapiantur torrendi ac deuorandi. Si quis dicat meretricem auro & bysso vestitam esse: Respondebo doli ac fallaciæ esse hoc indumentum; non enim omne quod lucet aurum est. Et mundus semper in oculis magnus splendidusque esse laborat, sed fucum facit & fraudem: omnesque eius epigraphæ, vt dicit Alciatus, fictæ mendacesque sunt. Domitianus homo ebriosus magni Dei nomen sibi arrogabat. Sapor Persarum Rex, cloaca vitiorum, & tyrannorum omniũ immanissimus, Principum caput vocari voluit. Cleopatra Regina Ægypti, quæ centum procis cor-

pus

pus suum prostituerat, Reginam Reginarum se dixit: subditos vero suos alijs non minus ineptis vanisque titulis appellabat.

Tertius inimicus, qui ab armis nescit vnquam secedere, est caro nostra, omnibus alijs potentior, atque imperiosior. Cui potest conuenire, quod de Sole dixit Propheta: *Non est qui se abscondat à calore eius.*
Psal. 18.
Iacobus in hanc sodalitatem omnes homines adscripsit, nemine excepto. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua.*
Iacob. 1.
Omnibus magnis & paruis vipera hæc obsibilat: non sunt auari, non superbi omnes, non aleatores aut periuri, sed omnes carnales. Magna exæstuatio inundat æqualiter pauperum tuguria & palatia diuitum: Ita post tempestatem culpæ nata est hæc mortualis passio. Quod significauit Thetis Achillis mater, quæ conata filium suum impenetrabilem reddere aduersus tela hostilia, aquis stygijs eum intinxit, pedum tamen plantas non madidauit, & ossiculum illud in quo Orpheus sensualitatis sedem esse voluit: Ita multi sunt Achilles sacro velut carmine inexpugnabiles aduersus iacula, omnesque hostium impetus: contra hoc tamen vitium non habent nisi à Cælo munimentum. Vti naturaliter à ferro rubigo, teredo à ligno, à caseo pomoque vermis, ita à carne hæc passio

gene-

generatur; & non raro præter omnem culpam, vt S. Paullus notauit. In carne nostra palus quædam lutosa est, quæ vapores densos emittit, non tantum aerem crasso nubilo obtenebrantes, sed hebetantes atque stupefacientes vicina omnia. Cloaca est & domus colluuiariũ, in quod recipiuntur omnia oculorum, aurium, & aliorum sensuum purgamenta. Moyses oratione suâ plagas, quas Deus immisit Ægyptijs abstulit, non tamen culices abegit: hi sunt cogitationes quas generat lagena & vinum carnis nostræ. Ratio manifesta est, quam plurimi Sanctorum exposuerunt. Dicit S. Remigius, paucos esse (non respiciens ad infantes nondum potentes vti ratione) qui sub hostis huius iugum non veniant, & pessum eant. Cassianus caussam adducit; quia alij inimici foris nos oppugnant, hunc intra mœnia habemus, & ipsis penetralibus inhæret, ac probe scit machæræ & veneni locum. Augustinus inter duella maxime cruenta, quæ cum hostibus nostris committimus, asperrimum & maxime periculosum castitatis vocat: quia pugna in eo continua est & rara victoria. Supra omnia terret me, quod D. Paullus adeo atrocibus huius inimici aculeis stimulatus fuerit, vt infelicem se dixerit. Si Apostolus ergo cui

Rom. 7. & 8.

Rom. 7.

tam

tam validi lacerti erant, qui creaturas o-
Rom. 8. mnes prouocabat, mortem & vitam, in-
ſtantia & futura, tribulationem, anguſti-
am, famem, periculum, perſecutionem, &
gladium: ſi ille, inquam, qui recenſito vi-
tæ ſuæ curriculo, nihil quantumuis leue
inueniebat, cuius ſe reum fateri poſſet, vt
2. Timoth. 4. dicat repoſitam ſibi eſſe coronam iuſtitiæ;
raptus præterea in cælum vſque tertium
viderit de quibus non licet homini ſermo-
2. Cor. 12. cinari in terra, infelicem ſe appellet, quis
ſe audeat felicem cogitare? De crudeli hac
pugna eſt illa Hieremiæ aduerſus matrem
Hierem. 15. ſuam querela: *Væ mihi mater mea: quare ge-
nuiſti me virum rixæ, virum diſcordiæ?* Ne-
que eſt bellum tale, quod effugere valeas
etiam in ætate decrepita: licet enim iam
pedem alterum in ſepulchro habeas, &
pæne cadauer ſis, aut longo virtutum ex-
ercitio, rectaque complexione frænatam
teneas carnem, quanto eris ſecurior & in-
diligentior, tanto maiores vires ſumet hic
inimicus, opprimetque te, & peſſumdabit.
adeo neceſſe eſt viuentem ſtare in excubijs
& pugnare. Neſcit inducias hoc bellum,
nō poteſt differri, aut fugâ declinari: nihil
valet aduerſus hunc hoſtē aliud, quam cæ-
leſtis opis imploratio. Ionathas belli Iu-
daici ductor fortiſſimus, Iudæ Machabæi
frater videns ſe ſuumque militem in angu-

ſtijs,

itijs, & in certamen licet tempore locoque aduersis descendendum esse, plena animi atque ingenij verba hæc profatus est, quæ proposito nostro conducunt: Milites, inquit, generosi *ecce bellum ex aduerso, aqua vero Iordanis hinc & inde, & ripæ, & paludes, & saltus: & non est locus diuertendi. Nunc ergo clamate in Cælum, vt liberemini de manu inimicorum vestrorum. Surgamus* & *pugnemus* audenti fidentique animo *contra inimicos nostros*, &, si ita placitum est Deo, fortiter pugnando occumbamus. Eodē modo admoneri possunt Christiani oēs. Pugna ineuitabilis est: circumdamur vndique, vndiq; obsidemur ab inimicis; etiāsi velimus fortasse fuga vili nobis consulere, non possumus tamen. Hoc vnum nobis reliquum est, vt Dei opem patrociniumque imploremus. Cum Moyses velut Dux Israëlitarum populum ex Ægypto ad promissam terram educeret, per legatos rogauit Regem Edom, vt liceret eis transire per terram illius. *Non ibimus*, inquiebat, *per agros nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis, sed gradiemur via publica, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes. Si biberimus aquas tuas nos & pecora nostra, dabimus quod iustū est, nulla erit in pretio difficultas.* At ille sine mora & longa deliberatione reddidit: *Non transibis: alioquin armatus occurram tibi*,

1. *Mach.* 9.

Num. 20.

& per ferri nostri cuspidem transire oportebit. Sed hoc responsum non accipimus ab hostibus nostris: ita vt cum vita nostra continuo bello vexetur, nos vero maximam partem per viam regiam publicamque ambulemus, pauci per angustam semitam; & aduersarij nostri lacessant nos indesinenter, adeoque robusti, astuti, callidi, & supra quam dici potest fraudulenti sint, tacitoq; seruent sub pectore vulpem, satis colligi potest, quam sit anceps victoria, quam præsens periculum, vt ne discerpamur ab vnguibus eorum. Hæc meditatio tristem reddidit vitam Sanctorum, hic sudabant dies noctesque, in hoc timore ac tremore ad phthisim vltimam emaciabantur. Hic erat clauus qui perforabat, spina quæ pungebat cor ipsorum, imaginari Cęlum, & in eo infinitos bonorũ thesauros, simulque imaginari infernum, & cum eo pœnarum interminam æternitatem: tandem proponere sibi discrimen, in quod veniunt omnia. Quia qui vincitur, totus perijt: qui superat, superior omnibus est, & saluus est totus. His accedit illa consideratio, quod *in quocunq; loco ceciderit lignum, ibi erit*. Quibus meditationib⁹ ita attoniti hærent & quasi extra se rapiuntur, vt solus indepronatus timor vitam illis donet. Quod indicat iuxta D. Hieronymum versiculus

Eccl. 11.

illc

lle Dauidicus: *Si dormiatis inter medios cle-ros.* Si dormiatis in medio terræ, quæ sorte hæreditaria diuidi solet, videbimini esse columbæ pennis deargentatis, & deauratis pedibus. Dormire nihil aliud est, quam ani alicui rei diu inhærere cogitādo. Mente igitur tenaci voluere & reuoluere periculosum hoc bellum, victoriam ita dubiā, cauere & suspecta habere omnia, hoc est quod vitam dat homini. Notari solet hoc discrimen inter prædestinatum & reprobum: quod hic securus extra omnem metum, fidentissimusque viuat, ita immemor huius periculi, vt vix etiam vicinum & iam imminens videat: quando vero sentit in gutture luctari animam, & ad exeundum rimam quærere, cogitans vitæ anteactæ innumera flagitia, & judicem seuerum, sententiamq; horribilem serò ponderans, suspiria profunda ducere incipit, videturque præsentes iam videre inimicos, dentes suos acuentes ad discerpendum eum, cum æternis ignibus omnia inferni tormenta sibi proponit. Hinc sæpe progenerantur terribiles illi gestus, quos morituri faciunt: neque enim infirmitatis accidentia omnia, sed plerique malæ conscientiæ stimuli sunt. Sanctus vero semper viuit in timore ac tremore. Euangelium vocat Simeonem hominem iustum & timoratum. *Luc. 2.*

Auribus Hieronymi ſemper inſonabat extremi iudicij tuba, comiſque erectis ſtabat quaſi fulguritus ad cogitationem diuini tribunalis. Hilarion ſeptuaginta annis eremum incoluerat, aſperamque, & ob pœnitentiæ rara exempla quaſi inhumanā vitam egerat: qui cum extremo ſpiritu conflictaretur, horruit tamen membris omnibus, vt animam exire trepidantē ipſe moribundus animare debuerit. *Egredere* Breu. Rom. 31. Octob. *quid times? Egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta prope annis ſeruiuiſti Chriſto*, Domino tam miſericordi, tam munifico, tam benigno, *& mortem times?* Volunt quidam Petrum, cum peteret à Chriſto laborum ſuorum præmium, ad periculum hoc reſpexiſſe, & dixiſſe: *Quid ergo erit nobis?* Vitam noſtram ſeruitio tuo conſecrauimus: non ſolum reliquimus id quod habuimus, ſed etiam quod habere potuimus deſiderijs appetitibuſq; noſtris nuncium remiſimus, libellū repudij voluntati: *Quid* l Matth. 19. *ergo erit nobis?* In ſumma, poſt varios caſus ſecuritatem, timorem, ſuſpiciones, confidentiam, poſt huius vitæ tam multiplices amaritudines, quam ſortem oportet nos expectare? lætā an læuam? bonam an malam? Et collimabat Petrus in hunc ſcopum quia dum viuitur, nō eſt alius habēda cura reliqua omnia pro vento & fumo ſunt.

CAP. XXXV.

CAPVT XXXVI.

Fraudes vitæ nostræ manifestantur.

AD ea vitæ mala quæ descripsimus, accedit, quod fraudulenta sit, & personato vultu sese mentiatur. Dixit Sapiens fallacem esse gratiā & vanam pulchritudinem: nos similiter totam hominis vitam & fallacem & vanam appellare possumus. Si vana solum fuisset, non tantum detrimenti accepissemus; in eodem pretio & honore cum vmbra fuisset: sed damnosa præterea est, quia larvam induit, & alia videtur præ quam est; immo aliquid videri vult, cum nihil sit. Et hoc est, quod in vanitatem eius pellicit rapitque hominum animos. Si qualis est, talem se ostenderet, nemo illi fideret: verum ita plena simulationum & hypocriseos est, vt quæ deformis est, speciosæ vultum ostentet; quæ fragilis, robur jactet; quæ mutabilis, cōstantię nomen sibi vendicet; quæ breuis, longam sæculorum seriem omnibus numeret. Similis Soli est, qui tametsi circumagatur rapidissimè, quietus stare videtur. Hieronymus ad Heliodorum scribit in hæc ferè verba; Stupenda res est: morimur quotidie; quoti-

die mutamur, & tamen immortalitatem nobis quandam imaginamur. Ab adolescentia ad senectutem, à valetudine ad ægritudinem, à vita ad mortem mutationes continuæ, tam multa in singulas horas exempla atque experimenta non docent, non excitant nos: philautia nos excæcat. Ambrosius ad illum Psalmi versiculum,
Psal. 38. *Notum fac mihi Domine finem meum*, dicit inter difficultates, quas sacri libri habent, hanc esse principalem, quod loci quidam clari admodum videantur, cum obscurissimi sint. & pro exemplo adducit illud Ecclesiastici: *Melior est canis viuus leone mortuo.* cuius scripturæ cortex adeo manifestus est, vt nucleum alium abstrusiorem in latêre facile colligatur. Ita quando Vates dicit, Moriendum mihi est; adeo explorata est hæc veritas, vt superuacaneum videatur Deum id rogare: *Viuentes*
Eccl. 1. *enim sciunt se esse morituros*, vt est apud Ecclesiasten. Atque ita notat gloriosus Doctor interesse multum, quomodo aliquid sciamus, an Deus nobis insinuet & demõstret, an nobis ostendat Diabolus & doceat.
2. Reg. 13. Amnon sæpe sæpius sororem Thamar intuitus fuerat, verum quando intuitus fuit & arsit amore illius vsq; ad morbum, ne dicam mortem, Dæmon illi eam commõstrauit! Nabuchodonozor plus millies

ciui-

ciuitatem Babylonem viderat, sed quando cum fastu admiratus est, dixitque: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Lucifer illi ostendit. Dicit Dauid: *Dic animæ meæ* Domine: *Salus tua ego sum.* Responde mihi, quæso te, Rex sanctissime; cur tu-ipse tibi-ipsi hoc non dicis? Quia multum refert, dicatne Deus, an ego. Ita hic loquitur: Domine doce me mortalitatem meam. Quia licet homines omnes mortales se esse libentes fateantur, quia nemo est, qui mortem non videat: tamen si te hic magistro vtor, non imaginabor mihi immortalitatem aliquã, non reputabo scoriam aurum, neque vnum diem vitæ habebo pro æternitate. Aristoteles & Plinius referunt esse animalculum quoddam, alis quatuor, & totidem pedibus, quod vno solum die viuat: mane habet pro pueritia, pro iuuentute meridiem, vesperum pro senectute, cum Sole occidente occidit. Huic bestiolæ nomen ephemeri est, à quo Medici febri illi quæ continuo viginti quatuor horarum calore homines depopulat, ephemeræ quoque nomen imposuerunt; & Astrologi libellum in quo dies, horasque, & momenta describunt, ephemerides nuncupant; & prouerbium est, ephemeri

Dan. 4.

Psal. 34.

Lib. 11. cap. 36.

vita, respicitque eos qui statim moriuntur aut pereunt. Quare dubium non est dari aliquid non diuturnum, quod tamen speret moram in hac vita longam. Et res admiranda est, animalculum vnum tam breuem vitæ terminum habens, prætter-quam quod sentiat, ambulet, videat, pro vno etiam die solicite inuestigare ea, quæ pro tantillo tempore necessaria habet: non aliter, quam si multa sæcula superare deberet. Typus hominis est, cuius vitam Esaias diem nominauit: *De mane vsq; ad vesperum finies me.* Quare mortem quoque Christus noctem vocauit.
Esa. 38. Ioan. 9.
Et nos tanto huius diei amore incendimur, vt nullius alius rei tam magnam curam habeamus. Idem dolus in omnibus quæ ad vitam spectant, reperitur. Primo tam multis vectigalibus, portorijs, decimis, tributis plena est hæc vita, vt è pectore sanguinem viuum exprimant: & nos adeo obtusi cæcique sumus, vt non tanquam vectigalia duraque onera tristes soluamus, sed cum libentia lætitiaque illa, qua alij tributis gaudere solent. Sunt autem quæ dixi tributa, edere, vestiri, dormire, ambulare, quiescere, & aliæ omnes vitæ necessitates, quæ tyrannorum in morem alunt mille lictores, qui pro do-

mina-

minarum suarum imperio morantes compellunt ad soluendum. Dicat aliquis, Ego non redeo tam frequens ad hoc telonium, satur sum, neque cogito tam religiose soluere vectigal: subito adest à fame apparitor vertiginis, & in colorem & vires suam vim exerens, debilem pallidumque extemplo illum reddet. Clamet alius; Nudipes ambulabo, vna leuique tunica corpus meum operiam: continuo præsens adest aër, adest cruditas stomachi. Si non ambulaueris, ecce indigestionem: si iter ingressus fueris, en lassitudinem. Et tributa sunt natura sua tam molesta, vt non liceat tibi quod ædium inquilinis. hi si pro libitu suo tres anni partes præmature soluere voluerint, patronus non aduersabitur: hic vero non licet statutam horam diemué præuenire. Neque enim vnum somnum tam longum duces, vt tota quæ succedet septimana, vigilare queas. non potes te ita infarcire, vt insequenti mense nihil gustes: neque indumentum hodie assumere potes, quod duret perpetuo. Hæc tam iniqua vectigalia vocat Amor sui vitæ huius blanditias. Et quemadmodum qui serui nascuntur, non ita durum sentiunt iugum seruitutis; & qui cæcus à matris vtero prodijt, animo æquiori fert damnum suum, quam ille qui post in-

cidit in cæcitatem: Ita homines quia felicitate atque libertate potiri non potuerunt, in quibus maiores nostri creati, eductique sunt, non experiuntur miserias, & quæ non raro contingunt infortunia.
ap. 14. *In tanto viuentes inscitiæ bello, tot & tanta mala pacem appellant.* Gregorius dicit caussam
ib. 7. Moal. quæ Deum mouere potuit vt ad nostram societatem & familiariatem cum filijs hominum ineundam sese demitteret, vnam esse, quia cum faciant mortales de exilio patriam, & malum bonum iudicent, velut magister mundum instruere voluit vniuersum. Concludo huius vitæ mala cum descriptione, quam de hac sapiens quidam composuit: quæ sola sufficere poterat ad amaricandum desiderium, & conglaciandum pectus, quod vritur huius vitæ Amore irregulari. Quid, ait, hæc vita est, nisi mare laborum, vanitatis gymnasium, fraudulentiæ forum, labyrinthus errorum, carcer tenebrarum, via latronum, terra sterilis, periculosus campus, nemus spinarum, lachrymarum pratum, fons curarum, venenum dulce, fabula ornata? Bona eius falsa, mala eius vera, quies suspecta, male fundata securitas, timor sine caussa, sine fructu labor, lachrymæ ineptæ, vana spes, fictũ gaudiũ, certa tristitia, risus absurdus, confusus de-

niquo

nique eius ordo. Et voluit tam acerbo condimento temperare hanc vitam Deus, vt ad alteram homines feruentius aspirarent.

CAPVT XXXVII.

Honor Amore indignus.

INter bona temporalia honori, gloriæ, famæque locum secundum dare possumus: quæ licet non omnes vt vitam suam desiderent, multi tamen etiam præponunt. Immo à natura quasi hominibus inditum est, honoris sui maximam curam habere; ita vt, si ille minimùm violetur, nihili æstimentur alia omnia. Videmus nonnullos bona sua prodigere, prædia diuendere, alienare à maioribus per longam seriem veluti manu acceptas hæreditates, vt mundo ostendant prosapiam suam, in qua honoris iacet fundamentum. Plurimi voluptates spernunt, delicias negligunt delicatissimas, si cum illis punctum vnum honoris periclicetur: & pluris æstimant honoratam, quam mollem vitam. Quam parui duxisset Dauidis gratiam Vrias, si famæ suæ præiudicium coniunctum esse cognouisset. Neque tantum de supradictis trium- 2. Reg. 11.

phat

phat honor, sed vitæ etiam non raro antepon itur: multi enim huius iacturam eligunt præ illius macula: quibus consonat vulgo iactatum prouerbium, Potiorem esse mortem gloriosam vitâ dedecorosâ. Verum pugna grauior exoritur, quando pro anima honoris periculum incurritur: in quod frequenter incidunt etiam amici Dei. Denique in historijs tam Latinis quam Græcis leguntur diuitiarum, deliciarum, fauoris, vitæ, animæ prodigi multi, pauci vero honoris. Iulius Cæsar dixit, si aliqua, certe honoris caussa leges contemni posse. Tullius in lib. Officiorum probat animum ambitiosum ad iniustiam tyrannidemq; propendere. Vidimus turbante honore mundum pæne totum sursum deorsumque iactatum fuisse: vt patet in bellis Persarum, Romanorum, Carthaginiensium, Gotthorum, Hunnorum, atque Hispanorum. Dixit Saul: *Honora me coram senioribus populi mei, & coram Israël.* (1. Reg. 15.) Ieroboam duos vitulos aureos fecit, adorauitque, vt regnum suum stabiliret. (3. Reg. 12.) Vt solus regnaret Abimelech, fratres suos septuaginta trucidauit; (Iudic. 9.) Athalia occidit omne semen regium; (4. Reg. 11.) Absalon patrem persecutus est. (2. Reg. 15.) A Baasa, Zambri, & Iehu, interempti sunt Nadab, Ela, Ioram. (3. Reg. 15. 3. Reg. 16.) Denique Regum Israël, & Romanorum Cæsarum

cata-

çatalogum attento oculo percurrite, notabitis omni in angulo oppressum aliquem ab incumbente honoris inextinguibili bulimia. Patres cum filijs, auos auunculosque cum nepotibus, consanguineos cum affinibus commisit vnum honoris exigui popisma. Pontificis Optimi Maximique, Regumque aulas introspicite, eorum qui adstant pars potior vitæ moleste otiosæ dies perdunt, vt honoris paruulum lucrum acquirant. Denique honor terram arat, sulcat maria, muros fabricat, ex vltima mundi plaga trahit Reginas, aggreditur pericula, tolerat ærumnas, simulat stultitiam & facit, eoque insaniæ redigit homines, vt Cæli possessionem sibi vindicare audeant. Nembrod turrim exstruere cogitabat, cuius culmen ad Cælum pertingeret, atque ita Deo bellum inferret, vt notat D. Augustinus *in libris de Ciu. Dei.* Et quæ illa apud Poëtas gigantum insania fuit, montes montibus imponere, vt Cælum expugnarent? Adeo honoris insatiabile pectus Alexandri Magni fuit, vt Anaxarcho comiti suo ex autoritate Democriti præceptoris innumerabiles mundos esse referenti lachrymans diceret: Heu me miserum, quod ne vno quidem adhuc potitus sum! Empedocles in Ætnæos ignes sese immisit, vt sic persua-

Gen. 11.

lib. 15. c. 4.

deret

deret eius regionis incolis inter Deos sese à Cælo receptum. Et apud Ephesios quidam, cuius memoriam decreto abolendam esse vniuersa ciuitas statuerat; Dianæ celebratissimum toto orbe templum incendere voluit, vt opere pulcherrimo cōsumpto nomen eius per totum terrarum ambitum circumferretur. Hanno Carthaginiensis diuini nominis cupidus, aues quasdam humana voce instruxit; vt hæc verba proferrent, Hanno est Deus; edoctasque in liberum aërem dimisit; vt quamcumque terræ plagam volatu attingerent, implerent Hannonis diuinitate. Pausanias Macedo Philippum Regem interemit, vt se paricidio notum posteris redderet. Sapor Rex Persarum vocari voluit Rex Regum, Solis & Lunæ Frater, Amicus Planetarum: Domitianus Deus magnus. Caius sibi statuas erigi iussit. Eodem insaniæ peruenerunt Pharao & Nabuchodonozor, vt referunt Prophetæ. Neque adeo mirandum prophano in pectore hæc operari honorem, cum in creaturarum omnium perfectissimis signa sua reliquerit. Honor primæ culpæ autor est, quæ Cæli palatia exinaniuit: & secundæ, quæ Paradisum desolauit. Honor in Collegio Apostolico mouit contentionem. Iosephi somnium caussa fratribus fuit, vt

Ezech. c. 29. Dan. 5.

Esa. 14. Gen. 3.

Luc. 22.

in

in caput illius conſpirarent, à quo neque ſanguis, neque amor fraternus, neque patri decrepito reuerentia debita, neque communis de vanitate ſomnij hominum opinio eos cohibere potuit: tam crudelis enim atque effera eſt ambitio, vt ne quidem in ſomnio admittat ſuperiorem. Sara Tobiæ iunioris vxor non potuit ferre improperium mulieris ancillæ, quæ virorum interfectricem eam appellauerat. David tametſi manſuetiſſimus, ægre tulit ludibrium ſeruorum ſuorum, quo Rex Hanon eos affecerat, radens dimidiam partem barbæ eorum, & præſcindens veſtes eorum medias vſque ad nates. Iſraëlitas captiuos exulesque magis exſtimulabat vnum contumeliæ verbum, quam omnia captitiuatis etiam grauiſſima mala. Ionas honorem ſuum antetulit plusquam trecentis animarum millibus, quæ in Niniue erant: quare, vt notat Hieronymus, ſubtrahebat ſe diurno tempore, & ſub hederæ vmbra delitescens expectabat vrbis euerſionem. Hoc eſt ingenij humani ſtudium: concionari pro honore ſuo; pro ſuo honore patrare miracula; ſeruos habere pro honore, phaleris adornare equum mulamué pro honore: denique pro honore facere omnia. Simonem magum Apoſtolorum miracula, & nominis Chriſtiani

Tob. 3.

2. Reg. 10.

Pſal. 136.

Ion 3. & 4.

virtus adeo obstupefecerunt, vt licet à mortificatione Euangelica, mundi contemptu, & professione paupertatis abhorresceret, pecunia tamen comparare voluerit miracula operandi potestatem, existimans magnum inde sibi accessurum honoris incrementum. Pharao erga Iosephum munificentissimus fuit: *Ecce constitui te super vniuersam terram Aegypti, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet:*
Gen. 41. honoris tamen sui auarissimus fuit. *Vno tantum regni solio te præcedam.* Nemo attingat thronum meum aut diadema, in quibus honoris mei sedes est. Sed multo magis admirandum est, quod Deus dicat:
Esa. 42. *Gloriam meam alteri non dabo.* Cælum angelis, volucribus aërem, mare piscibus, terram alijs animantibus, homini donauit quidquid habuit, quando enim filium
Rom. 8. *quomodo nō etiā cum illo omnia nobis donauit?* Gloriæ tamen aut honoris sui punctum attingi non vult; violatoresque olim pœnis sæuissimis castigauit. Augustinus *in*
Gen. 30. *lib. de Ciu. Dei, & contra Faustum Manichæum*; comparat famam mandragoræ illi, quam matri suæ Liæ Ruben apportauit: cui Plinius grauissimum & gratissimum odorem tribuit, docetque succum eius lenire tormenta doloresque sauciatorum artuum. Famæ proprietates hæ sunt:

bene

bene olet (iuxta vsitatam metaphoram: ille bonum à se odorem spirat) neque tormentum cruciatusue vllus est, quem homo famæ honorisque ergo non toleret. Dixit Poëta quidam:

Quid petitur sacris nisi tantum fama Poëtis?
Hanc metam vobis summa laboris habet.

Quod de Poëtis Poëta, hoc de ingenijs simul magnis affirmare possumus, quæ in mundi Vniuersitate generali prius honor quam lucrum substernit.

Ex quibus sequitur manifeste Amorem seu cupidinem honoris triumphum agere de omnibus omnino Amoribus rerum in hoc mundo præstantissimarum. Patet, & multis suprà probauimus, deliciarum Amorem carnisque tyrannidem late dominari: sed maior honoris appetitus est, qui voluptatis desideria supprimit; & carnis impetus refrænat. Ita mille reperies in mundo virgines, maritasque mulieres, quę castitatem seruant, ne perdant honorem. Lucretia magis in honorem quam pudicitiam reflexit oculos: & Lucretiæ similes inuenies vbique gentium & locorũ. Grandis quoque est, vt suo loco monstrabitur, patris in filios & filiorum in patrem suum Amor; ab hoc tamen etiã honoris Amor palmam obtinet. Parentibus multi filio-

rum, & filijs multi parentum mortis caussam dederunt, vt honori suo consulerent. Immo cum Amoris princeps effectus sit amare seipsum, quia id naturæ adeo consentaneum est, vt filij patrem, pater filios; maritus suam coniugem, & suum coniugem marita neget: quod satis patuit in Samariæ, Solymæque obsidionibus, quando matres filios suos manducauerunt, vt vitam suam sustentarent: Adeo potens tamen honoris Amor est, vt huic quoque Amori dominetur, & seipsum neget homo, vitamque suam pro honore libens effundat. Dixerant Astrologi quidam matri Neronis Agrippinæ, timendã esse filij manum, qua necem, si aliquando imperaret, illi inferre conaretur. Agrippina vero ambitionis stimulo agitata: Occidat, ait, modo imperet. Vbi titulum imperatricis vitæ suæ antepofuit.

Hactenus probatum est, quanto opere inter humana bona honor ambiatur: vt omittamus virtutem eius, de qua Augustinus dicit, hominem crudelem esse, qui illum contemnit, & à iusto non iniuste appeti posse. Nunc restat probandum, quam parum dignus Amore sit honor: & è contra quam vilis & nihili homo, qui ab illo capitur. Quod vt recte fiat, mea sententia conuenit omnium oculis proponere ma-

lum huius tanti, vt apparet, boni: vt intelligatur quam procul distet à vero bono, vt nemo illi honoris vel tantillum debeat, aut periculo sese exponat, aut aggrediatur labores indignos suscipi pro alio quam Deo.

Malum primum & potissimum est periculum animæ honori adnexum; quod adeo grande est, vt satis arguat virtutem potentiamque eius. Et cui bene cum honore conuenit, vt omnia ei succedant prospera, per discrimina maiora securus ambulare poterit. Plangebat Saulem Dauid & maledicebat montibus in quibus pugna commissa erat: *Montes*, inquiebat, *Gelboë, nec ros nec pluuia veniant super vos, neque sint agri primitiarum.* Et subdit caussam: *Quia ibi abiectus est clypeus fortium*, disruptæ cassides, in partes gladij comminuti, *perierunt arma bellica, ceciderunt robusti aquilis velociores, leonibus fortiores.* Eodem iure nos lugere possumus montes excelsos honorum, dignitatum, & muniorum principalium, ex quibus præcipuos viros præcipites labi vidimus, paucos vero transijsse victores. Quare Dauid: *Ab altitudine diei timebo, ego vero in te sperabo.* Viuam meticulosius in prosperitate summa, & verebor semper vt cadam ex altitudine illius: si tamen fidentiæ aliquid concepero, hoc erit *Psal. 55.*

quia spero te mihi manum auxiliatricem subito præbiturum. Ascendere ad celebrẽ aliquam honoris aut officij dignitatem sine Deo, ait Climacus, est scandere vetustas & putrentes ætate scalas, quæ ad alterum tertiumúe gradum dissoluuntur, ruuntque simul cum eo qui scandere cœperat. Formicis in damnum proprium alæ subnasci solent. Falco vbi nimis altum volauerit, se deperdit. Turres altiores, ruinæ proximiores sunt. In montes præcelsos pluria & frequentiora cadunt fulgura. Arborum folia summa ad ventum leuissimum mouentur.

Horat. carm. l. 2. Od. 10.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriuntq; summos
Fulmina montes:

Denique quidquid in alto stat, stat in periculo. Hunc morem habet seruatque Diabolus: quem profundius vult deijcere, attollit in altiorem dignitatis statum. Ita aquila, vt testudinem comminuat, leuat altissime, & lapidibus illidit. Refert Plinius in Cretensi insula tauro insidiari aquilam, quem vbi in rupe excelsissima stantem viderit, deuolat in collum eius, alisque suis oculos obtegit, vt lapsu cæco membra omnia confringat. Alciatus pro emblemate pingit Phaetontem currum Solis indiligenter aurigantem: quia ergo ad sphæram

ignis propius accessit, rotæ exarserunt, ipse vero

------postquā terris incendia sparsit, Emblemate 56.
Est temerè insesso lapsus ab axe miser.

Dicit Iob: *Eleuasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me valide.* Ecclesiasticus monet non *quærere ab homine ducatum, neque à Rege cathedram honoris.* vbi quædam versio legit, *neq; à Deo.* Magna & miranda res, si honor in quem me transfert Deus, perniciem mihi struit, vt Saulem olim tametsi à Deo vnctum corona perdidit: ille quem, ego sine Deo ambiuero, in quem me licito illicitoúe modo intrusero, seruabit? Quare amicorum dilectissimis à latere Christi sedere postulantibus respondit Saluator: *Nescitis quid petatis.* In parabola hominis qui fecit cœnam magnam & vocauit multos, primi qui se excusarunt, fuerunt viri summates, domini illi, qui clientes subditosque multos habent, emunt villas, prædia, arces; quorum status licet perditionis nō sit, facilis tamē datur in eo ad illā descēsus. Ambitio ergo primos excusauit: raro enim aliquis possidet dominium, & Domini hospes est. Israëlitæ omnes voce vnanimi dixerunt Gedeoni: *Dominare nostri tu & filius tuus, & filius filij tui; quia liberasti nos de manu Madian.* Ille vero respondit: *Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius*

Iob. 30. Eccl. 7. 1. Reg. 16. Marc. 11. Iudic. 8.

meus, sed dominabitur vobis Dominus; qui solus honore hoc securus & extra periculum frui potest: maximam partẽ alij homines videntes se terrarum dominos, Cæli desiderium amittunt. Dicit in vita Demosthenis Plutarchus; si nobis duæ semitæ proponerentur, vna quæ ad vitam, altera quæ ad honores ducit, illam præ hac eligendam esse. Certo certius est, quod Christum pro Messia Principes multi recepissent, si diuitijs, honoriq; suo periculũ nullũ imminere vidissent. Qui ab ortu cæcus & curatus fuerat, interrogabat Pharisæos: *Nunquid & vos vultis discipuli eius fieri?* At illi continuo: *Tu*, inquiunt, *discipulus eius sis*. Non aliter quam si interrogasset, an hæretici esse vellent. Et quãdo miserunt lictores qui Christum prehenderent; illi vero manus in sinum reducerent, responderentque, *Nunquam sic locutus est homo*; rogarunt: *Nunquid aliquis ex Principibus credidit in eum?* Vnde patet rarò ad Deum Principes conuerti. Ita Euangelista describit, casum insolitum Nicodemi Christum quærentis, & noctu, ob metũ Iudæorum. Et Ioannes Baptista magna cum admiratione dixit Pharisæis: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira?* fierinè potest, vt pectus vestrũ obstinatum metum aliquem concipiat? vt vitæ emendatio à vobis queat expectari?

Ioan. 9.

Ioan. 7.

Ioan. 3.

Luc. 3.

Idem

Idem ijsdem inculcauit ipse Christus apud Apostolum suum Ioannem: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis?* Hieremias studiose quærebat per omnes ordines, vt inueniret virum facientem iudicium & iustitiam, frustra verò sese delassans venit ad optimates, & mundi dominos; additq;: *Ecce, magis hi simul cõfregerunt iugum, ruperunt vincula,* leges conculcarunt. Vade, pro concione mone Regem iracundum, corripe ex opulentis nequissimũ, cõtinget tibi quod Hieremię, Michæę, alijsq; Prophetis, & verbi legisque diuinæ sanctis præconibus: & necesse erit cõuertere te ad res inanimas, cõqueri cælo, terræ, parietibus, & cõtra saxeam Regum potentiumq; duritiẽ testes inuocare. Honor itaq; plenus periculi est, & nõ rarò hominibus exitij caussa: quare aduersus honoris fastũ suos Deus semper premunit, vt si fortasse equũ hunc ferocem ascenderint, non obliuiscantur fræni, aut stapedes perdant. In Deuteronomio iussit Deus Regẽ vnctũ habere & seruare leges suas in volumine descriptas, quarũ exemplar apud Sacerdotes Leuiticæ tribus maneret, & legere illas omnibus diebus vitæ suæ. Ita in lib. Paralipomenon Ioab vnctus, & diademate coronatus, & librũ legis in manus accepisse legitur. Christus ante triumphũ Hierosoly-

Ioan. 5.

Hier. 5.

Deut. 17.

mitanũ tormenta Crucisque infamiã suis manifestauit. Apostolus nõ ignorans quã multi ad infulã aspiraturi essent, in epistola ad Timotheũ diligenter instruit nõ Episcopũ, sed Episcopalis dignitatis candidatũ, *ne in superbiã elatus, in iudicium incidat Diaboli.* Et sunt oẽs cõtra ambitionẽ cautiones. Vti oculi obteguntur accipitri, ne volet: ita quib⁹ alæ honoris ac famæ succrescunt, faciendũ est, ne euanescant. Romani triumphantib⁹ adiungebatur homo qui vitia eorũ recitaret: sæpe in eodẽ curru mancipiũ vehebatur. Omnia erant cõtra ambitionẽ monumenta & munimenta.

1. Timot. 3.

Alterũ honori adiunctũ malũ est, quod cũ nihil sit, tamẽ aliqd esse existimetur. Dicit Seneca multa esse q̃ nos magna iudicam⁹, nõ qa reuera talia sunt, sed qa nobis vilib⁹ parua & pauca grãdia & multa vidẽtur: nõ aliud de honore nostrũ arbitriũ est. Dicit Deus Ezechieli: *Sume tibi laterẽ, & pones eum corã te; & describes in eo ciuitatẽ Hierusalem.* Ecce quã angusto circulo tam magnificæ vrbis, tot Regum & Principum gloria circũscribatur. Dæmon paruula in tabella omnia regna mundi, eorumque gloriã expressit, vnoque horæ momento oculis eius spectãda exhibuit. Benedictus mundũ vniuersũ vno in radio diuinæ lucis cõprehendit. Seneca dicit omnia quæ hic adoram⁹,

Ezech. 4.

vnum

vnũ punctũ esse, aut si qd vno puncto min⁹ est. Mathathias filijs suis, *A verbis*, inquit, *viri peccatoris ne timueritis; quia gloria eius stercus & vermis est*. Paullus ait: *Omnia* quæ mundus habet, *arbitror vt stercora*. Athanasius ambitiosos pueris comparat, qui papiliones sectantur. Esaias araneis, qui se euiscerant, vt telam vnam ordiantur, quæ à muscis disrumpitur. Isidorus eos, quos bona hæc in fastum erigunt, assimilat asino, ephippio & phaleris adornato, frænato argenteis aureisque lupatis, qui ideo preferri cupiat equis generosis. Chrysostomus dicit, quod sicuti depictos in muro diuitem simul & mendicum, miserum & potentem intuemur vno oculo, vt neque contemnamus hunc, neque illi inuideamus, quod in pictura non nisi vmbra non veritas ipsa spectanda offeratur: simile arbitrium formare debeamus de rebus ijsdem, cum non aliter, aut saltem non nisi paullo aliter sese habeant. Hinc dignitates atque honores Deus concedit vt plurimum hominibus perditissimis. Quis enim fimi, & eorum quæ in stabulo sunt purgamenta, curam habet, nisi famulus quisque abiectissimus? Aristoteles parum ponderans pretium, in quo hæc inferiora habet Deus, & solum id intuens quo fruitur, credidit Deũ inferioris mun-

1. Machab. 2.

Philip. 3.

Lib. de similitud. c. 7.

Esa. 59.

di administrationem Dæmonibus commisisse, vt prouidentia eius non descenderet ad muscas, & huius terræ atomos, sed in Lunæ cælo sisteret, & quæ infra sunt non curaret. Quare Gregorius Nazianzenus, & Theodoretus vocant parcam Aristotelis prouidentiam, qui nimis parce de diuina locutus sit. Et sententiam plurium antiquorum fuisse oportet, quam refert quidam Eliphaz Temanites, amicus Iob, & dicit sub persona hominis blasphemi: *Quid enim nouit Deus? quasi per caliginem iudicat. Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cæli perambulat.* Hac certe via Dæmon Christo præualere voluit, & commonstrans illi omnia mundi regna & regiones, dixit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* q. d. Hæc omnia mea sunt, hæc administro, moderor, his ꝑ meo libitu leges figo atq; refigo. Ego mea manu dispenso coronas, sceptra, fasces. Dynastas, Principes, Reges ego creo. Et profecto qui illo tempore mundi præsides, & prouinciarum rectores vidisset, potuisset credere officia & honores à solo Dæmone conferri. Quia, si tantum ea quæ apparent, respicimus, non debebat Deus sua committere hominibus ita sceleratis. Quis dixisset vni Reipublicæ, quā Deus suam & fecit & habuit, præfectos si-

[Margin: Iob. 22.]

[Margin: Matth. 4.]

mul esse debere in foro Ecclesiastico Annam & Caipham, in sæculari Herodem, Pilatum, Philippum, & Lisaniam? Quis non credidisset Dæmonis hanc esse constitutionem? Aut quis potuisset in animum suum inducere, Deo gratum esse huius flagitiosæ gentis obsequium? Et tamen vero verius est, Deo seruire omnia, & nullum moueri in arbore folium ipsius iniussu. Quemadmodum in aulis Regum multi sunt, qui amaro & tristi animo vident officia, dignitatesque committi viris, vt ipsi arbitrantur, indignis, & ignorantes caussam, quæ Principem mouere potuit, tacito murmure queruntur; & , Quid potuit mouere Principem, inquiunt, vt tam leuiculo, & indocto viro tiaram concesserit? Furi manifestario iuris dicundi prouinciam commiserit? reo læsæ maiestatis, perfido, & perduelli, digno qui equis quatuor in partes distraheretur, Consilij sui primas dederit? neglexerit verò eos, quos virtus, probitas, fidelitas, & Regi præstita multis annis obsequia commendarunt? Ita non paucos vexat hæc cogitatio: Quare sceleratis vita fortunata est, & iustis plena molestiarum? cur flagitiosos ad honoris gradum exaltat Deus, probos mundo ludos facit? Hæc fuit Dauid, Abacuc, & Hieremiæ Prophetarum querela: *Quare* *Psal. 72.* *Abac. 1.* *Hiere. 12.*

via

via impiorum prosperatur: bene est omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt? omnes dies malis sereni oriuntur; bonis vero insereni omnes. Ad hanc querelam multis validisque rationibus Deus respondit; vna earum hic nobis satisfaciet: scilicet quod nulla in Deo possit esse iniustitia circa honores, aut diuitias, in dando aut eripiendo: quia nihil sunt, & nihili æstimanda omnia. Tripudiabat filia Herodiadis, & Rex Herodes regni sui dimidium illi obtulit: si iterum tripudiasset, alterum ei dimidium condonasset. Ecce quanti sit regnum vnum? dici solet vulgo de rebus vilibus, Indigna pro quibus vnus saltus fiat. Quia Mardochæus non assurgebat Aman prætereunti, ita turbauit eius honores, vt ille ipse felicitatem suam longo ordine enumerans, diceret: *Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto.* Dicit Gregorius Nazianzenus iusta & perfecta esse Dei opera: sed quia cerebri vertiginem patiuntur aliqui, tota eis à fundamentis domus in gyrum moueri, moueri turres, ambulare montes videntur. Sed hic error à cerebro illorum nascitur. Ita qui Deum personas excipere autumat, quia huic diuitias cum firma valetudine, alteri præter miserias nihil donat, mentis infirmitate laborat. Psalmi quadragesimi octaui argumen-

Esth. 5.

gumentum est, paupertatem, opprobriumque in hac vita non esse mala, neque bona diuitias & honores. Et D. Thomas bona temporalia negat bona esse, si recte considerentur: & probat testimonio Psalmistæ: *quoniam non est inopia timentibus* Dominū: *inquirentes Dominum non minuentur omni bono.* Dicit Augustinus Deū Romanis concesisse victorias & alia bona temporalia, vt parui æstimanda: & gratiā retulisse obstetricib⁹ Ægyptijs, quæ verentes eū offendere Hebræorum filios occuluerant, largiendo domos, & temporales diuitias. Additq; caussam D. Thomas: Quia parua paruis Deus compensat.

1.2.q.14. art.9.

Psal.33.

lib de Ciu. Dei c.12. & 15

Exod. 1.

Tertiū malū, quod honores comitatur est molestiarū tormentū adiunctū omnib⁹ dignitatibus & munijs præclaris. Dicit Iob: *Ecce gigantes gemunt sub aquis.* quod varie interpretantur scriptores: Albertus vero Magnus per gigantes intelligit terrarum dominos, quibus incumbit tam grauis moles molestiarum, quas aquæ significant, vt suspirare cogantur, & vix queant respirare. Similes sunt illis simulachris quæ in festis amburbialibus circumducuntur. Sunt autem statuæ immanes, vultuosæ, obuestitæ auro atque argento, plenissimæ maiestatis, secundum apparatum exteriorem: sed reuera sunt ho-

Iob.26.

mun-

munciones lassi, sudantesque, qui sub onere isto fere crepant. Mulæ aulicæ in solenni Regis inauguratione onustæ sunt diuitijs, suppellectile aurea argenteaque, lectis acu Belgica superbe pictis, phaleris holosericis, clitellis deargentatis, plumis diuersicoloribus: & diues licet pretiosumque onus sit, sub illo tamen fatigantur & tandem opprimuntur. Figuram honoris hic vides. Moyses, qui Deo à consilijs erat, & in iudicijs, vt sic dicam, socius vel assistens, populi Ductor, ita tamen se afflictum
Num. 11. sensit, vt Deo diceret: *Cur afflixisti seruum tuum? Cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi.* Assignauit ergo Deus septuaginta viros illi
1. Reg. 10. in subleuamen. Elegit Deus Saulem in Regem Israël, qui altior erat vniuerso populo ab humero & sursum: vt indicaret ad onus hoc ferendum opus esse validissimis humeris. Ita quoque in pugna illa ferali dicit scriptura totum pondus prælij versum
1. Reg. 31. esse in Saul: extra pugnam verò totum pondus Reipublicæ. Hinc Elisæus vocauit Eliam currum Israël & aurigam eius: quia omnia infortunia molestiæque ca-
Iob. 9. dunt in caput gubernantis. Dicit Iob, in hoc sæculo potentes orbem portare, vt Atlantes, quorum humeris Cælum susti-

netur

netur apud Poëtas. Esaias de Christi regno vaticinans; *Dabo*, inquit, *clauem domus Dauid super humerum eius.* Clauis autem in sacris libris signum autoritatis est: vt liquet ex verbis quoque Christi apud Matthæum Petro dicentis, *Tibi dabo claues regni Cælorum*: vbi imperium summum & supremam autoritatem ei se traditurum innuit. Non dicit ergo, Claues illi ad cingulum appendam, vbi portari solent ab ijs, quibus gratia fit & beneficium, sed dabo super humerum eius. Cum Propheta Samuel in Regem vngere vellet Saulem, conuiuamque mensæ suæ adhibuisset, iussit apportari armum siue humerum veruecinum, & apponens Sauli, *Comede*, ait, *quia de industria seruatum est tibi*. q. d. oportet Regem habere bonos fortesque humeros, ad tolerandum molestias omnes, quæ feraciter germinant in agro regio, certoque Principibus expectandæ sunt. Ita hunc locum interpretantur Gregorius atque Anselmus. Dicit in quodam psalmo Pater æternus Filio suo: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Vbi notandum est, verisimile visum fuisse Patri, vt Filius recusaret, quia inuitare eum debuit ad postulandum: omne enim dominium graue est, quod non desideratur, accipiturue facile, nisi ab ignorante. Bernardus

Esa. 22.
Matth. 16.
1. Reg. 9.

nardus ad Zenonē Archiepiſcopum ſcribens dicit, niſi deſiderij aliquid & voluptatis inuolutum haberet, ita vili habitum iri honorem; vt in platea publica iacentem nemo vel pede attingere dignaretur. Ariſtoteles vero tribus in rebus ponit hunc voluptatis ſtimulum, ſine quo nemo erga illas bene affici poſſet: puta in generatione, epulis, atque honoribus. Canis eſuriens margaritam adamantemuē non deuorabit; ſed inteſtinis pulmoniue inſartum deglutiet. In primitiua Eccleſia, inſulæ nudæ voluptatum deliciarumque erant: ad epiſcopatum & martyrium fere ſimul aſcendebatur. Quare Apoſtolus: *Qui epiſcopatum deſiderat, bonum* & magnæ perfectionis *opus deſiderat*. Eſt pretioſiſſimus adamas, ſed nunc inuoluitur oblectamento ſexaginta millium aureorum, & alijs infinitis voluptatibus, quare non mirū, ſi facile deuoretur. Si poſſemus, ait Boëtius, leuare purpurā eorum, qui ſuperbo ſolio inſident, & ad corporis ſui cuſtodiā habēt ſexcentos ſtipatores, minitantes ſeuera fronte omnib⁹; videremus craſſas cōpedes, quibus illigata vinctaque eorum anima miſere captiuatur. Dicit Plutarchus Reges ſolo titulo tales eſſe, reipſa ſeruos. Seneca aſſerit ſuauiorem ſomnum obtingere homini in terræ nudo ceſpite

dormi-

dormienti, quam thoro coccineo. Apud Stobæum Antigonus ad Macedoniæ regnum suffragijs omnium assumptus, cum diadema reciperet, O corona, inquit, magis nobilis quam fortunata; si intelligerent omnes, quam periculorũ molestiarumque plena sis, nemo homo te leuare à terra cuperet. Esaias describit quandam quasi seditionem in Republica desiderante Principem, tutorem sui & in aduersis vindicem, dicitque virum apprehendere fratrem suum domesticum, atque ita compellare: *Princeps esto noster.* responsum vero hoc accipere: *Non sum medicus, & in domo mea non est panis.* q. d. non suppetunt mihi ea, quæ Regi necessaria sunt. In fabula, quam cap. 9. libri Iudicum recitat Ioathan, de lignis quæ congregabantur, vt vngerent super se regem, nullum fuit quod regnum acceptare vellet præter rhamnum. Cicero in Tusculanis quæstionibus narrat de Dionysio Tyranno factum memorandum. Erat amicus, qui multis hinc inde quæsitis coloribus felicitatem eius regiam extollebat. Placuit Regi eius, quam ita vehementer celebrabat, exemplum præbere. Collocauit ergo virum in solio regio, proposuitque mensam omnibus delicijs eduliorum & pretioso vino instructissimam: circumstare iussit famulitium omne nudato Esa. 3.

capite, & paratum ad sedentis ministerium. Supra caput vero eius dependit ex tenuissimo filo acutissimum eumque ancipitem gladium, qui tantum illi terroris incussit, vt neque ad vnam ex appositis lancibus manum auderet extendere; sed tantum supplex circumstantes obtestaretur, vt se liberum ex illo loco dimitterent. Salomon omnem huius mundi gloriam vocat afflictionem spiritus: curæ enim lumbrici quidam sunt, qui noctes diesque cor arrodunt: tineæ sunt, quæ vitam affligunt. Minutius Felix in vita Octauij; Rex, inquit, es, sed quantum timeris, tantum time: multi te comitantur, in periculo vero solum te reperies. Honor fons humoris melancholici est tam largus, vt plurimi hominum laudare Deum nō cessent, quod honores accipere non compellantur. Scribit Lucianus Deum fuisse quendam, qui noluit in posterum inter Deos locum habere: rogatusque caussam, cur ille hoc cōtemneret, quod tam ardentibus votis desideratur ab omnibus, respondit; fastidiosum sibi & molestum esse honorem continuum. Verum si Princeps, aut qui munere aliquo magno siue onere honorato fungitur, studeat semper Deum præ oculis habere, vt dicebat & faciebat Dauid: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper*, nō

Psal. 15.

erit

erit numerus molestiarum eius, & regulam viuendi arctiorem rigidioremque habebit, quam Carthusiani aut Excalceati. His adde onus famulorũ, qui honori magis quam necessitati seruiunt: habere eos querulos, murmurantes de stipendio non satis cito aut nimis male numerato, extollentes maxima plurimaq; iam præstita obsequia, male & dicentes & volentes dominis suis, eorum vitia in foro prouulgantes, sugillantes defectus minimos, denique domesticos inimicos, qui ædium omnes angulos penetrarunt. In Romanis Imperatoribus notabant, quod hic vno digito caput scaberet, dormiens alter ronchos ederet, alius bis biberet. At si honor viro non opulento datur, Deus sancte, quantũ tormentum erit? Ille opus equo habet, phaleris, calone, pedissequo; mulieri addendus anteambulo, pedissequa, ancillæ: vt summatim dicam, domus miraculosa tota vocari potest. Quanta per pericula honoris campum transire oportet, quando & cibo abstinendum est & potu, carendumque ijs quæ ad vitam sustentandam omnino necessaria sunt. In Exodo vetuit Pharao dare paleas filijs Israël ad fornaces accendendas, & tamen laterum eundem numerum exegit quem dabant, cum eis paleæ subministrarentur. Suspirabant illi, gemitibusque

 altis-

altiſſimis clamabant in Cælum; propter iuſſum tyranni, quod nemo adimplere poterat. Hac crudelitate erga multos vtitur mundus, tollit eis bona, quibus vitam ſuſtentabant, & honores faſtumque primum concedit: porro ſi ad modum modeſtiamque ſeſe homo cogitet remittere, & facultatibus ſuis conuenienter viuere, ſubito accurrit cum honore ſuo mundus & clamat: Si non ſuppetit abunde ad victum & vitæ ſuſtentationem, potius parce ſobrieque viuendum & nonnunquam ieiunandum eſt, vt equus nutriatur, & veſtes holoſericæ non deponantur. Cicero in oratione pro Archia Poëta dicit multos honoris hoſtes fuiſſe, & pro contemptu eiuſdem tanquam nō boni libros perſcripſiſſe. Et licet olim à paucis vili penderetur, & pæne omnes poplitibus flexis adorarent ſtatuam Nabuchodonozor, tamen poſtea quam Deus infamem Crucis arborem aſcendit, & ex ea titulū regium quem Pilatus ſcripſerat, abſtulit, nemo eſt inter Chriſtianos, cui honores quærere, optare, ambire, aut admittere liceat. Quando ad Ioannem Baptiſtam tranſmiſſa eſt ſolennis iſta legatio rogantium an ille Chriſtus eſſet: quod nihil erat aliud quam offerre illi dignitatem Meſſiæ, aut rogare an deſideraret; tam frequenter repetiuit, Non, tan-

Dan. 1.

toque

toque cum animi dolore, vt videretur toties pugionis ictum recepisse. Et quamuis omnis honor periculosus sit, plus tamen discriminis habet ambitus. *Nec quisquam sumit sibi honorem*, ait Apostolus, *sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Alludit, vt multi existimant, ad historiam Regis Oziæ, cui Deus multa beneficia præstitit, & concessit victorias celeberrimas: post tamen ingressus templum Domini adolere voluit incensum super altare thymiamatis. Reprehensoremq; Zacchariam sacerdotem non ferens, iratusque & tenens in manu thuribulum vt adoleret incensum, minabatur sacerdotibus. Statimque lepra percussus est & expulsus à templo Domini.

Heb. 5.

2. Paralip. 16.

CAPVT XXXVIII.

Diuitiæ Amore indignæ sunt.

INTER bona temporalia tertius locus diuitijs datur, quæ paullo minus quam vita atque honores à mortalibus desiderantur. Soluit è portu ingens classis, cuius omnes puppes atque pergulæ depictæ sunt, vela noua, signa inaurata, explicata vexilla; quæ habet in sui custodiam biremes atque triremes præsidiarias, tam multos nautas, tam nō exiguū militum numerum; tam diuites mercato-

res: auditur tubarum & tibiarum sonitus, fit quasi non vnius victoriæ celebritas triumphalis. Quo fluit illa ciuitas lignea? domus illæ à se inuicem discretæ? illa insula vagabunda atque inconstans? gens tam multa, quæ in illa diem festum agit? non nisi duobus digitis à morte diuisa? ridens furias maris atque ventorum? quid quærit studio tam insano? Diuitias. Laborant tria quatuorúe hominum millia, vt auri mineram fodiendo inuestigent, sequuntur venam octo ex partibus: tot putei, tot pontes, tot luminaria quid quærunt? Diuitias. Alchymistes lassus, pallidus, omnem animam exspirans in igni excitando conseruandoque, frangens mille gutturnia, iratus lapidi Philosophico, & primum huius delirij autorem mille diris deuouens, quid tanto sudore inuenire desiderat? Diuitias. Alius est qui ex vrbe Venetorum onustus aduenit, apportat calices scyphosque vitreos, amianthinos, crystallinos, sigilla plutealia, succinum, coralium, diesque & noctes totas aliquid elegantiarum docta arte exprimit: sed quid respicit hic labor assiduus? Diuitias. Est qui ex Flandria telam subtilissimam, est alius qui ex vltimis Indijs suffimenta exotica aduehit: quid volunt? Diuitias. Ille exit in proscenium, & histrioniam exercet, relictaque domi prudentia

dentia stultissimi morionis personam assu-
mit, quid postulat? Diuitias. Iudex senten-
tiam ferendo, Caussidicus patrocinando,
Medicus currēdo per vrbē & morbū pro-
ducendo, lictor furē insequendo, hic mare
sulcando, ille terram arando, quid studijs
tam diuersis poscunt omnes? Diuitias. Si
denique sacras literas scutemur, inueniē-
mus Saulis manus diuitijs Amalec conta-
minatas fuisse. Achaz spolia Hierichuntis
concupiuit. Roboam in patris sui regium
soliū conscendit, & quia cupido, vt dici so-
let, saccū perrumpit, & qui poscit omnia
perdit omnia, ex duodecim tribubus decē
perdidit. Giezi puer Elizei dedecorat Pro-
phetā magnanimum, & à Naamano po-
stulat argentū cum vestimentis. Diuiti e-
puloni dolet cadere de mensa micas, & La-
zaro esurienti negātur. Custodes sepulchri
celant Christi resurrectionem, quia argen-
tangina eos obsidebat. Felix iuris & iusti-
tiæ regulas nō obseruat, *sperans quod pecunia* *Act. 24.*
ei daretur à Paullo. Prius cæli stellas, aut ma-
ris arenas enumerem. Hieremias vno reti
iaculo omnes prehendit nemine excepto:
A minore, inquit, *vsq; ad maiorem omnes aua-* *Hier. 6.*
ritiæ student. Non omnes Theologiæ, aut
Legibus omnes, aut Medicinæ omnes stu-
dent. Hic Astronomiæ aliquot annos cō-
secrat; ille humaniorum literarum amœni-

tate captus est; iste ingeniosas picturas amat; alius Musica sese oblectat; alius Iurisprudentiæ sede addicit, & imperandi iter ingreditur. Denique vt humani ingenij nō vna inclinatio, ita neque vnum studium est; nam suam quisque inclinationem sequitur: omnes vero dedunt se studio argentario. Hoc puero pro elementis primis est, otiosis pro fabulatore Bebelio, pro Virgilio poëtantibus, pro Chronico historicis, Medicis pro Galeno, iuristis pro Baldo & Bartolo, Theologis pro Diuo Thoma Aquinate: omnes diuitiarum studiosi sunt. Quando contra diuites ac diuitias Christus pronunciabat horribilem illam sententiam, *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cælorum*, obstupefactus Petrus: *Quis ergo*, inquit, *poterit saluus esse*? Christus interrogantem respexit, & quæstioni eius occurrit, dicens: *Apud homines hoc impoßibile est; apud Deum autem omnia poßibilia sunt*. Ita vt hæc sitis vniuersalis sit, à qua pauci sibi caueant. Hinc auaro periculum, labor, sudor, nullum periculum, nullus labor, nullus sudor est. Quare Ouidius;

Math. 19

Metam. 1.

---Itum est in viscera terræ.
Et quas condiderat, stygijsque admouerat vmbris,
Effodiuntur opes irritamenta malorum.

Adeo

Adeò potens auaritia est, vt diuitias ex ipsis pæne Inferni faucibus effodiat. Licet Draco insomnis vigilantissimè custodiat hortos Hesperidum, in quibus arbores ferunt mala aurea; non deerit tamen Hercules aliquis qui Draconem interimat, arboresque exspoliet. Quæ Poëtarum fabula significat auri cupidinem effodere thesauros, profundissimè & iam sæculis multis sepultos. Virgilius clamat:

---Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Quid non audent homines pecuniarum amore? quas molestias non deuorarunt? quos labores ærumnasque non sustinuerunt? quæ non commenti sunt? quam vitam non perdiderunt? quæ tormenta, quam mortem non transierunt? Adeo stupenda sunt quæ homines passi sunt pro vna pecunia, vt si illa ipsa vti ratione potuisset, propter hæc seipsam perdidisset. Nescio inquit Augustinus, quid reliquum fuerit, nisi vt eam inter Numina collocarent & colerent. Horum personam induit Ecclesiastes cum dicit: *Pecuniæ obediunt omnia.* *Lib. 7. de Ciu. Dei c. 11. & 12.* *Eccl. 10.*

Primum malum huic bono coniunctum est animæ periculum. Paullus Timotheo suo scribit; *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sperare in incerto diuitiarum.* *1. Timot. 6.*

Non dicit, prædica, aut mone, sed præcipe, propter periculi grauitatem. Via nimis anceps est, per quã si forte aliquis ad salutẽ ambulauerit, mille & mille alij in ea perierunt. Quare Christus fallaces diuitias vocat, immo non vocat fallaces, sed ipsam fallaciã: quia promittunt quietem, & molestias accumulant; pollicentur vitam, & mortem accelerant; ostendunt vultum beneuolum, & tyrannidem exercent. Desiderat aliquis diuitias, vt famelicos pascere, nudos vestire queat. Vbi effertissimam hæreditatem nactus fuerit, obdurescit illi cor, saxescunt viscera, crudescunt & hostes pauperum fiunt oculi. vnde tam grandis hæc metamorphosis? à fallacia diuitiarum. Neque satis fuit Domino dare illis cum Paullo epithetum incertitudinis, quæ nomine suo periculosa est, aut nomen fallaciæ, cui plus mali inuoluitur: sed iniquitatem nuncupauit, quæ sonat damnationem. Et Apostolus radicem omnium malorum cupiditatem nominauit. Glossa quoque Ordinaria dicit Mammonam esse Dæmonem diuitiarum præsidem: & Gentiles Plutonem Deum eundem & diuitiarum & inferni fecerunt. Ex quibus consequi videtur diuitias multos ducere ad infernum. Hieronymus recitat duo prouerbia olim trita:

Matth. 13.

Ad Hedibiam.

Nun-

Nunquam vir æquus diues euasit cito; &c, *Diues aut iniquus est, aut iniqui hæres.* Additque nomen diuitis tam infame esse in sacra scriptura, quam celebre pauperis. Doctrinæ huic fauent libri sacri omnes: & vix vllum capitulum est apud Psalmisten, Prophetas, Apostolum, & Euangelistas, vbi non reperias aduersus diuitias dentatam sententiam. Et quia nos charta deficeret, si legis antiquæ testimonia coaceruare vellemus, ordiamur ab odio quo ferebatur Christus erga diuitias, & earum dominos toto vitæ suæ decursu, in dictis, factis, sermonibus publicis & priuatis, vt aduersarius eis iuratus fuisse videatur. Christus instruebat discipulos suos, quomodo Principibus & qua fiducia euangelium prædicandum esset, & medio in sermone quidam interloquitur & dicit: *Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem*: mihi cum illo non satis conuenit, altercamur; fac nobis hanc gratiã, arbiter & sequester esto noster, nosque concilia. Dominus vero indignabundus: *Homo*, inquit, *quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos.* Non fuisset Domino graue dissidentium animos componere, sed in diuitiarum litigio sese auaris fratribus immiscere noluit: immo tantum sibi displicuisse indicabat hanc supplicatio- Luc. 12.

nem,

Ibidem.

nem, vt prioris exhortationis neglecto argumento aduersus diuites diuitiasque insurgeret, & sua autoritate firmaret non in abundantia esse vitam cuiusquam. Quid prodest mihi, si circum mensam famuli adstent viginti? Si centum missibus mihi seruiatur? Si homines quinquaginta bibenti mihi genua curuent? Alio die ingrediebatur templum, & forum vidit in eo celebre, hinc tabulas mensasque nummulariorum, inde cathedras mercatorum; subitoque bilis intumuit videnti speluncam latronum factam ædem suam (hoc ille ipse Dominus ei nomen imposuit) & *cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, & nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit*. Domine, obsecro, rationem habe Maiestatis tuæ atque æstimationis, diuites illi te proritant, stomachūque commouent. Certe nunquam ira tam vehementi exarsisse legitur. Venit quoque ad illum adolescens opulentus, vt inter Christi discipulos numerari posset: cum vero opes eius attingeret Dominus, pallidior statua inaurata & nocte ipsa tristior tergum vertit atque abijt. Quare Christus contra diuites ac diuitias protulit sententiam illam horrendam, quæ sola sufficere deberet ad diuites exanimandos. Dixit ergo primo, impossibile esse vt diues

ingre-

ingrediatur in regnum Dei. & ne ſpei fores occludere videretur tam multis hominum milibus, quos iſta auri fames excruciat, dicit per alium Euangeliſtam, ſe impoſſibile vocaſſe id quod difficile eſt. Quomodo bone Chriſte hoc tam difficile ſit? Ad hanc quæſtionem reſpondet altera quadam ſententia, dicitque facilius eſſe camelum ſeu funem nauticum per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare in regnum Cælorum. Cum Ioanne Chryſoſtomo Hieronymus putat ſententiæ primæ per hanc accreſcere difficultatem: & indubium videtur. Abſolute enim impoſſibile eſt, vt funis nauticus (id enim eſt hic vocis camelus ſignificatum) per foramen acus tranſeat, niſi quis illum ad minuta vſque fila reſoluat. Verum non videtur Chriſtus niſi hyperbolicè locutus fuiſſe: ſicut dixit quoque Eccleſiaſticus facilius eſſe homini ferre arenam & ſalem & maſſam ferri, quam hominem imprudentem: Et in prouerbijs, melius eſſe vrſæ occurrere raptis fœtibus, quam fatuo. Hyperbolæ ſunt, oſtenduntque quam intolerabilis ſit ignorantia. Denique incipiens Chriſtus prædicare beatitudines, primam pauperibus; & explicans damnationes, primam diuitibus aſſignauit. Diuitiarum itaque periculum tam grande eſt, vt potius

Eccl. 22.

Prou. 17.

us damnatum se diues, quam securum cogitare debeat. Confirmatur hoc periculum à Christo, qui diuitias spinas appellauit, propter proportionem qua spinis non dissimiles sunt. Primo sicuti ad spinas & rubos velut aptum latibulum confluunt animalia venenata; ita concurrunt in ædes diuitum omnigena vitia, ibique vires capiunt atque incrementum: adeo vt domus locuples non sit aliud quam colluuies sceleratorum, diuersorium flagitiosorum, inferni publicum hospitium. Secundo spinæ teneræ esse solent & tractabiles vsque ad punctum quo & sanguinem eliciunt: Ita diuitiæ tametsi suaues primo, & amoenæ sint ipso vitæ decursu, pòst sanguinem prouocant. Et pauci diuitum sunt, quibus in vltimo vitæ agone non penetrant cor ipsæ diuitiæ, adeo vt in xenodochio potius miserrimi & pauperrimi esse eligerent. Tertio spinæ non dant fructum vllum, & frutices vicinos solitos frugem facere impediunt: nunquam pronascuntur fœcundo, sed tantum arenoso & saxoso in solo: nullum animal ijs pascitur præter camelum, inter omnia animalia, vt scribunt physici, vindictæ appetentissimum: quando agricola à spinis terram expurgare vult, non falce eas metit, aut ligone effodit, sed igni exurit atque exugit in-

natum radicibus & agrum totum inficiens venenum. Hæ omnes diuitiarum proprietates ſunt. Neque ſuos heros, neque proximos vitæ fructum æternum facere patiuntur. vnde quoque non obtingere eas niſi peruerſis hominibus ſemper notatum eſt: *Ecce ipſi peccatores in ſæculo obtinuerunt diuitias.* Psal. 72. Camelis quoque ſimiles faciunt, inſtigantque ad vindictam. Et ſolus ignis infernalis diuitiarum Amorem eruere atque eradicare poteſt ex humano pectore, quod ipſum & proxima quæque introxicauit atque deperdidit. Quarto ſicut vim tollunt herbis frugiferis, & ſuffocant vt excreſcere nequeant: ita diuitiæ cordis humani ſalutaria propoſita. Et licet interdum opulento homini verbum Dei auſcultanti guttare oculi incipiant, & cor emolleſcere, virtutisque deſiderium aliquod progerminare; paullo tamen poſt redit ad primam rabidæ auaritiæ cupidinem. Quinto ſicut magnam partem lanæ, qua tegebantur & protegebantur pecora, in ſpinis quas pertranſeunt, relinquunt: ita non habent pauperes vllum cum diuitibus commercium ſine damno ſuo. Et hoc communi vſu venire ſolet: ſi pauper vineam modicam poſſederit, canes diuitum deuorant vuas. Si quatuor oleas aut ſemina pauca terræ commiſerit,

diuitis animalia fructus depaſcuntur. Si pauper cum diuite contenderit, bonis omnibus exuitur. Si mercedem aut ſtipendium, aut præmium pauperi debuerit diues, non ſoluet vnquam, Deniq; diuitum filij filios pauperum exſpoliant, infamantque. Sexto, ſpinæ homini ſeſe affigere aſſolent, vt difficile ſit poſtea ſe expedire: ita diuitiæ vngues vngulasuè grandes habent, prehendunt homines, captiuant, atque mancipant. Quare adoleſcens ille diues, qui diſcipulus Chriſti eſſe ambiebat, non potuit extricare ſe; & filius prodigus non cogitauit de reditu ad patrem prius, quam exhauſtum eſſet marſupium. Hinc notandum videtur quod diuina prouidentia propter hæc tam multa & manifeſta pericula, aurum argentumque & gemmas pretioſas maris terræque intimis viſceribus abſconderit: quemadmodum hydrargyrum, aut quod chymici ſublimatum vocant, multis clauibus mater obſerat, ne filius in illud forte incidat: & phrenetico gladius tollitur: & apud ditiores culina in abſtruſum aliquem angulum damnatur, non tantum ad decorem ædificij, ſed ne à foco periculum ſit. Hinc Dauid in pſalmo quodam diuitias vocat abſcondita. Neque ſolum hæc Dei generalis prouidentia eſt, ſed particulari quoque cura reſpicit

De abſcon ditis tuis.

ami-

amicos suos, quibus tollit diuitias omneque auaritiæ occasionem. Misericordia Dei fuit non dare Petro aut alicui alij Apostolorum loculos, sed Iudæ soli. Si dixerit aliquis diuitias bonas esse, nempe quas Deus fecerit, & à virtute sua pretium mereri: aurum enim atque vniones cor humanum recreant; oculos adamas; sapphyrus, carbunculus, smaragdus pestis ac veneni antidota sunt: coralium medetur morbo comitiali. Adhęc Deus populo suo aurũ argẽtumque & pretiosa vestimenta Ægyptiorum concessit: & sancti olim viri tam opulenti erant, vt Lucullum aliquem aut Crœsum hospitio & conuiuio excipere potuissent. Non potuit terra capere Loth atque Abraham: Iob vero ante illam mali genij afflictionem quam potens fuit? & post multo potentior: *Addidit* enim *Dominus omnia quæcunq; fuerant Iob duplicia* etiam in filijs & filiabus, vsque ad animam quæ immortalis est, & vxorem quæ vnica satis est præsertim talis. Dauid quam ingentẽ vim auri argentique reliquit moriens? quam locuples fuit Rex Franciæ S. Ludouicus? Licet ergo diuitiæ sint idem quod gladius in manu furiosi, & ex ijs mille mala oriri queant: tamen ex ijsdem mille quoq; bona nasci possunt; & Deus illas velut comites nobis addidit, quibus huius vitæ mise- Iob. 42.

rias facilius transeamus. Respondeo annuendo ad omnia iam dicta, & affirmo diuitias esse veluti saxa quædam, per quæ lutum transire possimus, sed adeo instabilia & parum secura, vt pro miraculo sit ille, qui firmiter institerit, & non deflexerit. Et notat Isidorus Clarius nulli vitio adnexam esse impossibilitatem præterquam huic diuitiarum. Quia cum omnia rationem naufragij habeant, non tamen vna est ratio naufragorũ. alius tabulam, alius remum, funem alius, alius aliud arripit, & omnibus manet aliqua salutis spes reliqua: verum ille, cui horũ nihil obtingere potest, pendet à sola Dei misericordia. Hi, inquit, qui omnem in diuitijs suis confidentiam habent, si salui fiant, erit vnum ex operibus Dei admirandis. Ita legimus ad Christum accessisse infirmos varia ægritudine animæ atque corporis languidos, claudos, mancos, paralyticos, leprosos, energumenos, meretrices, publicanos, adulteras, & omnes mali sui remedium acceperunt: vnus solus adolescens opulentus adijt, atque abijt tristis, eademque qua venerat languidus infirmitate; huius enim mali difficilis medicatio est. Apud Matthæum pro raro miraculo est, quod Christus restituerit manum aridam: quod tamen non tanto opere admirandum est, si ad alia quæ

patrauit comparetur, nisi ob mysterium huic facto annexum: extendere enim manum contractam hominis diuitis auari, accipitrem transmutare in pelicanũ qui pectus sibi aperiat & sanguinem eliciat, est solius Dei opus. Quando Christus iussit Petrum aperire piscem, & ex intestinis eius staterem extrahere, videtur docuisse hoc miraculum. In nullo alio quantumlibet admirando Petrus instructore opus habuit, verum pecunias ex auari hominis visceribus extrahere nemo potest, nisi prius à Deo ita volente instructus.

Alterum malum huic bono socium est sitis diuitum inexplebilis. Nulla est fera tam auida rapinæ, nulla tam crudelis: talis enim non est, nisi vrgente necessitate. Diues vero semper cupidus, semper crudelis est, & quando eget, & quando non eget. Ita Augustinus; feræ, inquit, quando saturæ sunt non prædantur, non sæuiunt: diues vero rapit vbi occasio est, non dimittit prædam, quæ semel in manus eius incidit. Sapiens in Prouerbijs, *Infernus* inquit *& perditio nunquam implentur; similiter & oculi hominum insatiabiles*: quibus etiam quod abundat non sufficit. Ecclesiastes dicit; *Auarus non implebitur pecunia*: & licet vltimam in capite hiemem videat, & vix tres vitæ dies sperare possit, iuuenis tamen illi

De verbis Domini cap. 27.

Prou. 27.

Eccl. 5.

manet cupido. Hieronymus dicit omnia cum homine vitia ſeneſcere, auaritiam verò adoleſcere quotidie, & quaſi in horas omnes repubeſcere. Et ſi vni homini totus mundus donaretur pro palatio, pro piſcinis maria, pro cellis penuarijs flumina, pro nemoribus montes atque valles, prata & fontes pro hortis, denique quantum auri argentique in terræ viſceribus conditum latet, in vſum theſaurumque illius; ſi tamen alium ab iſto mundum alibi exiſtere crederet, non ſaturaret appetitum eius hæc vniuerſi poſſeſſio. Hydropis enim malum eſt,

Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ:

eoque ſenſim proceſſit, & adeo firmas radices egit in cordibus hominum, vt cum alia omnia euelli poſſint, hoc tamen nunquam queat exſtirpari. Hinc auarus ſemper crudelis impiuſque eſt, quia cupit omnia: vnde, ſi omnes mundi theſauri in vnum confluerent, dicit Auguſtinus, deſideraret auarus omnium mortem, vt ſolus illum poſſideret. Dæmon oſtendit mundi grandem partem Chriſto, & dicit: *Hæc omnia tibi dabo.* Vbi pōderari debet hæc particula (tibi): Dæmon enim nunquam cuiquam largitur diuitias, alijs communicādas, ſed vt eas quaſi deglutiat & cuſtodiat, vt diues ille auarus quē Ambroſius vo-

cat,

cat sepulchrum pauperum: sepultas enim tenet diuitias. Non aliter quam stagnũ aut lacus, qui aquas fontium in se recipit & consumit, non dilargiens eas pratis, hortisúe proximis aut arboribus, dicitur in se vitam herbarum fruticumque sepultam tenere: ita, inquit Ambrosius, diues in se vitam pauperum sepelit. His minatur Dominus per vatem suum Amos. *Audite,* ait, *qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ*, alia lectio habet, *qui absorbetis pauperem.* Alloquitur eos, qui dicunt: *Quando transibit messis, & venumdabimus merces: & Sabbatum, & aperiemus frumentum: vt imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas, vt possideamus in argento egenos & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendamus. Iurauit Dominus: Ecce dies veniunt & emittam famem in terram*, & morte moriemini omnes, qui frumentum occlusum seruatis. In Leuitico vetuit Dominus sibi gryphem offerri. porro gryps animal est pennatum, habens similes leoninis pedes quatuor, caput non dissimile aquilino, discerpens homines: vigilat vero atque obseruat montes in quibus vniones, margaritæ, & aurum abstrusa latent, eaq; in nidum suum transfert, vt custodiat securius. Typus hic est diuitum, qui montes aureos possident, acer- *Amos 8.*

uosque vnionum, quibus neque ipsi fruuntur, neque alios frui sinunt; congregant thesauros & cui nesciunt: plumis sese adornant, & homines medios crudeliter distrahunt. quod vnū est ex vitijs quæ maxime aduersantur bonitati, Amorique, & Dei inexplicabili largitati. Nulla creaturarum sibi soli condita est: quare Deus bonas illas & valde bonas appellauit, quia concessum sibi bonum alijs liberaliter cōmunicant. Si radios suos contraheret Sol, Luna & Stellæ lumen non darent, si tellus mater frugum sterilis aut auara esset, si mare pisces non elargiretur, quid de homine fieret tandem? tam generosæ sunt creaturæ omnes, tam natura sua beneuolæ, vt non seruent ea quæ possident, sed omnibus largissime partiantur.

Sic vos non vobis vellera fertis oues.
Sic vos non vobis fertis aratra boues.
Sic vos non vobis nidificatis aues.
Sic uos non vobis mellificatis apes.

Ratio difficultatis huius est, quia adeo impotenter opes suas amat diues, vt adoret, illisque se emancipet, & quod Deo sancti, hoc diuitijs suis faciat. Sancti propter Deum ieiunant: ieiunat propter diuitias diues. Sancti vigilant, vt ne Deum perdant: diues, vt ne pecuniam. Sancti in Cælum mente abripiuntur, illic habitant, illic viuunt,

uunt, illic cor atque animam habent: diues in scrinijs suis; quod à Christo confirmatum est: *Vbi thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Matth. 6.
Sancti propter Deum renunciabunt patri, matri, fratribus, propinquis, totique prosapiæ suæ: diues propter nummos. Dicit Augustinus, illos neque patri ignoscere, neque obsequi matri, negare fratrem, frangere datam amico fidem. Sancti propter Deum conspui se tolerabunt æquo animo, bonorũ & vitæ iacturã libentes ferent: diues qui pecuniam pro Numine suo habet, eius caussa conculcari pedibus, nomen vitamque sibi eripi patietur. Est quædam idolorum seruitus dicit Apostolus: fiunt enim Domini mancipia diuitiarum quas adorant. Quare Psalmistes eos vocat viros diuitiarum, quia diuitiæ non ipsorum, sed ipsi diuitiarum sunt. Origines ad illa verba Ioannis, *Cum Diabolus iam misisset in cor Iudæ* cupidinem vendendi & tradendi Christũ: dicit hunc loquendi modum esse inauditum. Nam dicere solemus nos pecuniam in loculos immittere, sed in cor quis dixit vnquã? Et respondet, Apostolũ hac phrasi voluisse exprimere & indicare, cor hominis auari esse marsupium Diaboli. Gregorius vero dubitat, cuium hoc cor sit. Si enim Iudæ fuisset, ille quod sibi placuisset, in illud deposuisset: sed cum Diabolus ad

suum nutum illud vsurpet, nõ videtur amplius Iudæ fuisse. Et respondet cor auari sine dubio possideri à duob[9], vt dimidia eius pars hero, altera dimidia pars Diabolo seruiat, aut totum vtrique.

Tertium malũ est, quod diuitijs nunquã aut rarò fruatur is, qui acquisiuit. *Qui ædificat*, inquit Ecclesiasticus, *domum suã* lucro malo seu *impendijs alienis*, *quasi qui colligit lapides in hyeme*, & brumali tempore, cælo niuibus ac pluuia sæuiente, ædificiũ molitur: infirmum enim opus est, & ruina subita opprimit inquilinos. Typus Cõplutensis habet: *quasi qui congregat sibi lapidem ad tumulũ sepulchri sui*, q. d. qui palatia exstruit diuitijs nõ iuste acquisitis, parat sibi tumulum: Deus enim illi cito vitã adimet. neque enim palatiorũ alta fastigia hominẽ mortis vnguibus eripiunt, immò mole sua cadere & grauem ruinam dare solent. Contra hos est iste planctus Abacuc: *Væ qui congregat auaritiam malam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius, & liberari se putat de manu mali*, securusque habitare velut aquila. Vtitur per metaphoram vocabulo nidi, quia non respicit ad suã tantũ, verum etiã ad filiorũ, nepotumque, & posterorum securitatem. Sed per Abdiam & Hieremiã deteguntur
Abd. 1. Hier. 49. eorum fraudes: *Cum exaltaueris quasi aquila nidum tuum*, nihil effecisti, *inde detraham*

te, di-

te, dicit Dominus. Si vis ædificium tuum durare, & diu gaudere illo liberos, nepotesque tuos, Deum time & mandata ejus obserua. *Noli æmulari*, ait Dauid, *in malignantibus*, quia prospere illis cedunt omnia, *neque zelaueris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & quasi olera herbarum citò decident. Spera in Domino & fac bonitatem:* cras diues funus erit, & nemo ejus inposterum meminerit, tu dominus *inhabitabis terram, & pasceris in diuitijs eius.* Optime id Iob expressit: *Hæc est*, ait, *pars hominis impij apud Deum, & hæreditas violentorum quam ab Omnipotente suscipient. Si multiplicati fuerint filij eius, in gladio erunt*, quia fieri non potest, vt mali patris filij probi sint, & iudicis sententia capitis rei non fiant, bonaque eorum à fisco diripiantur. *Nepotes eius non saturabuntur pane. Si comportauerit quasi terram argentum, & sicut lutum præparauerit vestimenta: præparabit quidem, sed iustus vestietur illis: & argentum innocens diuidet.* Teredo in ligno, tinea in vestimento habitaculum sibi præparauit, sed lignum in ignem immissum est, & inter mundandum interempta est tinea: hæc est malorum pœna, & laboribus eorum fruuntur iusti. Quod Christus discipulis suis indicauit: *Alij laborauerunt, & vos in la-*

Psal. 36.

Iob. 27.

Ioan. 4.

bores eorum introiſtis. Idem dixit per Eſaiam, in Leuitico, & Deuteronomio: Alij ædificabunt ciuitatem, & alij dominabuntur: alij plantabunt terram, & alij fructum colligent: vos domum exſtruetis, & inhabitabunt alij in oculis veſtris. Si tamen forte diuitijs veſtris & fortuna veſtra fruiti fueritis per omnes vitæ dies, & pinguem hæreditatem ſuperſtitibus filijs liberam ſecuramque relinquatis certa cum ſpe, quod ea quoque abnepotes gaudere poterunt, quia neque dolo, neque furto acquiſita eſt; non tamen poteritis è pectore veſtro eruere hunc ſcrupulum, quē diuitiæ & fortuna proſpera circumferunt vſque ad extremum mortis articulum; videlicet, quod in delicijs & bonis duxeritis dies veſtros. Quare qui conſiderat ſe, quamdiu vixit, à dextris ſtetiſſe, & in morte Deum manus transmutare, non poteſt non tremere. Expectabant genuflexi Ephraim & Manaſſes aui ſui Iacob benedictionem: à dextra manu, quæ abundantiam ſignificat, Manaſſes erat, & commutauit bonus ſenecio manus ſuas: obnitentiq; Ioſeph & dicenti, *Non ita conuenit pater; quia hic eſt primogenitus, pone dexteram tuam ſuper caput eius*, reſpondit: *Scio fili mi, ſcio; ſed frater eius minor maior erit illo.* Ita ſimul expectabant Dei benedictionem di-

Eſa. 65. Leuit. 29. Deut. 6. Gen. 48.

ues

ues auarus, & mendicus Lazarus. In hac vita à dexteris diues fuit, & quasi neglectissimus Lazarus: in morte commutauit Deus manus, & sortes. Dicit Hieronymus in epistola quadam fieri non posse, vt gaudeamus simul præsentibus bonis & futuris; aut transeamus à temporalibus ad æternas delicias; aut in hoc mundo simul & altero magni simus. Vidit Ioannes turbam magnam Sanctorum, amictos stolis albis, rogansque quinam hi essent, audiuit: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna.* Et psalmus quidam dicit: *Multæ tribulationes iustorum*: hic multæ sunt, illic vna: sed concordes erunt hi loci, si omnes coniunxerimus & vnam longam tribulationem fecerimus, & hæc est vita iustorum. Christus incipiens minari & maledicere, diuitibus primis luctum planctumque denunciat. *Væ*, inquit, *vobis diuitibus.* Quare Domine diuites luges? Quia multas lugendi caussas habent. An fortasse luges, quia fastu turgidi sunt? non agnoscunt cognatos suos, & progeniem suam negant? Verum hoc est: sed hoc in eis non deploro. An fortasse, quia parum pudici sunt? Neque illud me mouet, tametsi verum sit. An quia crudeles sunt atque impij? Neque hoc falsum est, sed neque mihi vera dolendi caussa. An quia proni ru-

Apoc. 7.

Psal. 33.

unt in vindictam? illud quoque non mentitus es: non tamen me ad lugendum excitat. An quia tyranni ſunt, & pauperem in abſcondito & palam deuorant? Non falſum quoque illud: neque tamen ob illud doleo. An quia vecordes ſunt? hoc vitium multis diuitiæ generant: non tamen hoc eſt quod lugeo. An quia ingrati, immemoresque beneficiorum quæ à liberali Dei manu & hominibus recipiunt? nihil hoc verius: ſed neque iſtud. Quamobrem ergo plangis obſecro Domine? *Quia habetis conſolationem veſtram*, delicias, voluptatesque in diuitijs; in quarum extremo Deus ligare ſolet perpetua cruciamina infernalium tormentorum. Plato in Phædro introducit Socratem obſtupeſcentem, quomodo coniuncta habitare queant laſſitudo & quies, gaudium & dolor, dicitque: Si Æſopus mihi reſpondere vellet, comminiſceretur fabulam, diceretque Deum laboraſſe vt duo contraria liquefaceret, vnumque aliquid ex eis componeret; quod cum fieri non potuiſſet, eorum extrema colligauit. Ad exitum famis ſatietatem, ad exitum ſolatij deſperationem, atque ita ad finem miſeriarum Lazari ſinum Abrahæ, qui paradiſus erat, ad finem felicitatis qua diues gauiſus fuit, infernum alligauit. Refert Bernardus in

mona-

monasterio Claraualleñsi monachos suos ex ieiunijs pœnisque corporalibus tantum solatij & lætitiæ spiritualis hausisse, vt sinistrè de tanta voluptate suspicari inciperent & dolere, timentes sibi hoc negatum iri in Cælo, quod in terra recepissent. Coactusque fuit vir sanctus coram familiari sibi Episcopo hortari illos & probare, quod Spiritui sancto molesti essent, qui dolerent de gratia, pro qua ille rogasset. Nunc ergo quam suspicionem non mouebunt vitæ huius semper sibi inuicem succedentes voluptates? Quare Christus ad diuites: Væ vobis qui hic habetis abundantiam, quia illi statim fames successura est. Væ vobis, qui habetis hic Cælum vestrum, quia statim infernus subsequetur. Huc spectat gallinæ & falconis comparatio. Gallina percurrit fimetum, ruspatur vbique in locis immundis, & pro lautitijs surfures habet: falco sedet in pertica, aut circumfertur in manu, nutriturque pulpamento perdicis, aliarumque auium. Occiditur gallina, & Regiæ mensæ infertur: moritur falco, & in sterquilinium proijcitur. Idem accidit pauperi & diuiti. Quando nobis tenebras nox fecit, diem habent antipodes: sed quando noctescit illis, nobis lucescit. Ita vita hæc dies est diuitibus, nox vero pauperibus: altera omnino alia erit.

Nolim

Nolim me fatigare coaceruando omnia diuitiarum mala, cum certo numero comprehendi nequeant curæ, propter quas à Domino ſpinarum nomen acceperunt, ſuſpiciones, timores, cordis tremores, ſuperbia, inanis gloria quam hodie in pœnis infernalibus expreſſiſſime confitentur, vindictæ quas appetunt, impudicitiæ quas committunt, deliciæ quibus fruuntur, fraudes quibus vtuntur erga eos quos ſibi fidere intelligunt, obliuio qua ſui memoriam omnem deponunt, & qui ſint, & qui fuerint, & quales futuri ſint, qua ſepeliunt beneficia quæ à Cælo acceperunt, impietas denique atque ingratitudo. In flumine illo vitiorum, quod, vt ſcribit ad Timotheum ſuum Apoſtolus, ſcaturit ex fonte Amoris proprij primus locus datur cupidis diuitiarum; ſequuntur deinde *elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, voluptatum amatores magis quam Dei: habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Denique ſicuti Luna quando plena luce, remotior à Sole eſt: ita homo quo diuitiarum abundantior, eo longius abeſt à Deo. Hedera, vt ſentit Plinius, tanto amplius exſiccat, quanto ſtrictius arborem

[margin: 2. Timot. 3.]

[margin: Lib. 16. c. 3.]

ample-

amplectitur: ita quo magis circumdant hominem diuitiæ, eo magis perdunt. Arbores quædam interdum adeo multis fructibus onustæ sunt, vt, si virtutem omnem non amiserint, difficile tamen pristinam recuperent: ita homines opibus se adeo impotenter onerant, vt, si virtutem omnem non obruant, eneruent saltem & non facile restaurent. Quemadmodum non inuides illi, quem post multas delicias quibus sese oblectauit, & fortasse etiamnum oblectat, hydrops aut podagra lecto affigit atque affligit: ita, inquit Chrysostomus, non debes inuidere illi, qui diuitijs affluit; ijs enim velut hydrope alijsque sexcentis morbis grauissimis anima eius conflictatur. Abraham, vt habet sacer textus, *erat diues valde in possessione auri & argenti.* iuxta interpretes septuaginta, *erat grauis vehementer in possessione auri & argenti:* quia nullum pondus est, quod in grauitate diuitijs queat comparari. Vt summatim concludamus omnia, Gentilium multi magnum notantes in ijs periculum, spreuerunt, abieceruntque. Zeno, vt refert Seneca, intelligens, quæ habuerat, perijsse omnia; Fortuna, inquit, vult vt profitear Philosophum in posterum maiori cum felicitate. Quod idem nuncium cum Anaxagoras accepisset, respondit:

Conc. 3. de Lazaro.

Gen. 13.

Non

Non essem ego saluus, nisi illa perijssent. Diogenes omnia sua dilargitus est in alios, nihilq; sibi præter vasculum ligneum seruauit ex quo biberet: sed cum vidisset militē caua manu bibentem, vasculū quoq; abiecit. Æschini philosopho illudebat quidam, &, Ita me magnus amet Iupiter, ait, vt mihi dolet videre te adeo inopem. Respondit verò Philosophus: Idem me amet magnus Iupiter, vt mihi dolet videre te adeo diuitem: quia labor tibi fuit in acquirendo, solicitudo est in conseruando, dolor in distribuendo, periculum in custodiendo, mille animi consternationes in defendendo, & quod omnibus magis miserandum est, vbi thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

Priusquam huic capiti coronidem impono, libet mihi hic dubium mouere. Videtur rationi dissonum esse, quod Deus interdicat hominibus tam seuerè diuitijs alijsque bonis temporalibus: præterea quod intricet ea tam multis periculis atque molestijs, nostramque mentem ab ijsdem studeat auertere tam multiplici pacto, imponendo eis laqueorum, veneni, periculorum, aliaque odiosa nomina; cum statim à mundo condito omnium dominum hæreditarium hominem constituerit. Quod dixit quoque Dauid: *Omnia sub-* Psal. 8.

ieci-

iecisti sub pedibus eius. q. d. absolutum vniuersi dominium illi in manus dedisti, vt imperio ac iurisdictione generali possit ponere & tollere, componere & soluere: adeoque vt hæc traditio esset vera vniuersaliter, voluit Cælos moueri circum axes seu polos suos, vt voluerentur sub pedibus nostris. Respondeo igitur, iussisse simul & prohibuisse Deum, vt horum, quę in mundo bona vocantur, non se mancipium faciat, cum Dominus constitutus sit; & ea, quæ Deus illius pedibus substrauit, non supra caput suum extollat. *Faciamus,* dixit Deus, *hominē ad imaginem & similitudinem nostram.* Disputarunt scriptores multi, in quo consistat hominis cum Deo similitudo. Alij posuerunt in propensione, qua homo inclinatur ad bene faciendū omnibus, in liberalitate qua sese pæne euiscerat, & generose omnia sua alijs communicat: vti Deus Solem suum oriri facit super bonos & malos. Et hoc est quod voluit apud Matthæum: *Diligite inimicos vestros, vt filij similes sitis patris vestri qui in cælis est.* Alij existimant sitam esse hanc similitudinem in vnitate animæ & potentiarum trinitate; & quod, sicut Deus in essentia vnus, trinus in personis est, ita sit anima vna & trina. Alij collocant in actibus intellectus & voluntatis, & quia hi actus diuinis magis si- Gen. 1. Matth. 5.

miles sunt in iusto quam peccatore: beatus Dei expressior imago est, quam damnatus; & iustus perfectior, quam peccator.
q. 93. a. 4. Ita sentit D. Thomas, in prima parte suæ summæ; patetque hoc exemplo. Si quis artifex poneret hic Regis effigiem, quæ eadem dialecto sermocinaretur, rideret, gesticularetur, perfectior esset eâ, quæ tantum faciem illius, figuramque, & statum repræsentaret; verum si Regis mores, lubentias, illubentiasque in rebus omnibus hæc imago referret, absolutior esset istâ, quæ Regis dumtaxat personam exprimeret. Ita dico peccatorem esse Dei imaginem, sed quoad plasma tantum; iustus vero magis viua effigies est, beatus perfectissima. Hinc nascitur, quod sancti dicunt, homines peccando obtenebrare atque extinguere, quantum in se est, diuinam imaginem: & hæc est D. Ambrosij sententia. Alij asserunt Deum quando hominem creare proposuit, finxisse prius imaginem & figuram hominis, & ad exemplar huius ficti condidisse verum. Et hæc assertio est Augustini, Eugubini, & Ambrosij: atque ita manifestum euadit, quod in Genesi scribitur, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Alij collocatam volunt hanc similitudinem in dominio, & hoc videtur in scriptura san-

cta

cta clare Deus explicasse; Faciamus hominem ad imaginem nostram, *vt præsit* vniuerso, & sicut ego sum Dominus, ita homo sit. Et hæc caussa est, cur post alia omnia eum Deus creauerit, postquam Cælum tam lucidis lampadibus illustrasset, cōdidissetque Solem, lunam, stellas, volucres, animantes, maria, flumina, fontes, plantas; ita vt primos oculos recludens & circumspectans, de omnibus quæ sub eius oculos cadebant, posset dicere: Omnia mea sunt. Et quando vice prima Moyses Deum vocauit Dominum, iam diu homo creatus erat, quia licet esset, nihili pependit tamen Domini nomen. Parum est homo propter Dei dominium, sed formauit eum ad modum suæ magnitudinis: & quia imago entis infiniti est, potest se non parui æstimare.

Vt reuertamur, vnde digressi sumus, ad propositum dubium: Hoc est quod Dei oculos offendit. Posuit Deus hominem Vice-regem & Vice-Deum in terra, vt dominetur, perlustret, visitet, imperet, eleuet, deprimat, abijciatque ad vltima domus seruitia, & obsequia mancipiorum vilissimorum. Dicit in Psalmo quodam Dauid: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* vbi non prohibetur eas pedibus attingere, manibus tractare, dare, recipere, suo tem-

pore gladio quoque & armis defendere: sed cauetur, vt ne homo, cor suum illis apponat atque consecret. qui enim suum cor semel tradidit, seruum captiuumque sese dedit.

CAPVT XXXIX.

Deliciarum & voluptatum humanarum Amor explicatur.

IN bonis quoque mundus habet voluptates suas, quas plurimi hominum adeo cæcis oculis admirantur, vt in ijs vltimam felicitatem beatitudinemque collocent. Hunc errorem ostendit Sapientia. *Dixerunt* impij *cogitantes apud se non rectè.* Vbi Basilius notat illas voculas, *apud se*; quia primum peccatoris consilium est, solum esse & apud se, & cogitare talia, quæ ad alios dimanare non debeant. *Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis*: laboribus molestijsque nostris nullum præmiũ datur. Si enim post mortem vita aliqua esset, ex innumera hominum multitudine quæ morti occubuit, aliquis ad nos redijsset; *sed non est qui agnitus sit reuersus ab inferis.* Ratio est, *quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus*: soluitur in puluerem corpus, ani-

Sap. 2.

ma in nihilum euanescit. *Venite ergo & fruamur bonis quæ sunt; & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter.* Quia tempus currit, ætas voluptatibus apta volat. *Non prætereat nos flos temporis: vino pretioso & vnguentis nos impleamus.* Surgamus multo mane, *coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra*; vt herbæ nostris conculcatæ pedib. seruent vestigia nostrarũ voluptatũ: *vbiq; relinquamus signa lætitiæ.* Iob graphice Iob. 21.
depingit gentem hanc perditissimam, & delineata prosperitate eorum, subdit: *Tenent tympanum, & citharam* non deponunt vnquam è manibus, *& gaudent ad sonitum organi; ducunt in bonis dies suos*: deinde conuersi ad Deũ; *Recede*, inquiunt, *à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est Omnipotens vt seruiamus ei? & quid nobis prodest, si orauerimus illum?* frustra rogamus, in vanum supplicamus, nihil subsidij ab illo accipimus vnquam. Apud Malachiam quoque non absimilia loquuntur scelerati: *Va-* Cap. 3.
nus est qui seruit Deo: & quid emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, siquidem ædificati sunt facientes impietatem, & tentauerunt Deum, & salui facti sunt. Eundem errorem recitat Dauid in Psalmo quodam: Psal. 143.

Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. Paullus Ephesijs describit quoque his non dissimiles homines: *qui tradiderunt semetipsos impudicitiæ, in operationẽ immunditiæ omnis.* De ijsdem scribit ad Philippenses: *Quorum Deus vẽter est, & gloria in confusione,* seu impudicitia *ipsorum.* Huius sectæ infamis autores sunt Epicuræi, quorum scripta & doctrina omnis comprehenduntur hac sententia: *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.* Tota eorũ Philosophia & Theologia, & Astronomia, & artes liberales, Leges criminales & ciuiles; omnis denique eorum scientia est, edere, bibere, ludere. Illis successit Mahometes, qui in his paradisum constituit. Et licet hæc secta hominum tam sordida & brutalis sit, vt hominum nomine nedum consortio indigni sint, tamen innumerus numerus est eorũ, qui voluptatibus sese vitamque suam deuouerunt. Hieronymus dicit, adamantibus quidem omnibus non inesse duritiem illam extremam, præstantiores tamen nulla vi frangi, nullo instrumento comminui posse, sed solo hirci animalis luxuriosissimi sanguine colliquescere. Ita multi sunt viri in mundo sanctissimi, fortissimi, constantissimi, qui cum nulla quantumuis graui tentatione flecti possint, vna tantum carnali voluptate prosternuntur. Paullus velut

Ephes. 4.
Phil. 3.
Sup. Amos cap. 3.
Rom. 8.

lut generosus miles data scheda prouocat in arenam mortem, vitam, famem, persecutionem, gladium, præsentia, futura, infernum, & ipsos Cæli Angelos: ille, inquam, qui se ita validum ita robustum iactat, postea fatetur vexari se à stimulo carnis (quis id vnquam credidisset?) colaphizari, atque atteri: adeo vt rogauerit ter supplex Dominum, opemque postulauerit. 2. Cor. 12. Dicit Augustinus: Credite homini exercitato, qui vt talis ego vobis notum certumque facio, vidisse me hoc turbine cecidisse Libani cedros altissimas, & duces gregis Dominici, de quibus non dubitassem magis quam de Ambrosio aut Hieronymo. Meretrix, quam vidit Ioannes vestitam auro & bysso, manu tenentem poculum aureum, ex quo inebriabat omnes inhabitantes terram, eisque cerebrum & mentem eripiebat, est typus voluptatis: dicitque sedisse super aquas multas, quo nomine gentes multæ in scriptura significantur, vt innuat voluptatem omnes sibi homines subijcere atque mancipare. Hoc argumentũ latissime tractatur supra cap. III. & cap. XXXV. nihil hic dicendum restat, quam vt cõformiter alijs capitibus enumeremus mala quæ ex hoc fonte scaturiunt, & ostẽdamus clare omnibus, quam non recte sibi cor oculosque à voluptate eripi patiantur. Apoc. 17.

Primum malum huic bono adnatum, est tormentum & dolor qui voluptatibus adhæret, incredibilis. Non est vllum inter Arabes in pistrino mancipium, non remex inter Barbaros captiuus, qui noctes diesque remigando tantum laboris sustineat. Vnus ex titulis, quos sacræ literæ culpæ imponunt, est nomen seruitutis & captiuitatis. seruitus tormentum, captiuitas vincula significat. In hunc sensum dicit Esaias: *In iniquitatibus vestris venditi*
Esa. 50. *estis*, vt vendi solet mancipium perfidum, ebriosum, furax; & vendere, est abalienare, & domo sua eijcere. Ita Deus abalienat nos & è domo sua proturbat. Et S.
Rom. 7. Paullus venumdatum se vocat. Verum licet hic titulus omnibus vitijs communis sit, magis tamen proprie delicijs corporalibus videtur conuenire: nullum enim est inter omnia vitia, quod ita subditos suos abijciat, & pro mancipijs habeat, premat seruitute tam tyrannica, & vinculis coërceat ita crudelibus. Mancipio tyranni alicuius non liberum est sedere vel vno horæ momento ad edendum, vel procumbere ad dormiendum; subito enim accurrit patronus, hinc baculo, illinc flagro armatus. Si egregie delumbatus, & tantum non enectus roges forte

veni-

veniam, & blanda humilique prece ſtudeas eum ad pietatem & miſericordiam commouere, truculentiori voce reſpondet: Sta in pedes tuos ô canis: ſcilicet quieſcere rogat canis. Ita homo, qui carni ſeſe mancipi dedit, noctes triginta inſomnes traduxit, ſi vnam vnicam horam dormire deſiderat, ſubito accurrit tyranni in morem ſenſualitas & cupido deliciarum: Surge canis, dediſti fidem mihi, quod omnes noctes vigilare voles, & operiri quaſcunque occaſiones, & quietis deſiderium te inuaſit? Alij omnes labores & moleſtiæ tandem ſubleuamen aliquod inueniunt; at qui delicijs animum dediderunt, habent vigilias malas, & peiora feſta. Spes moleſtia, oblectamentum dolor eſt. Id pſalmiſtes expreſſit: *Concepit dolorem & peperit iniquitatem.* Non aliud parit mulier, quam quod concepit: & non aliud concipit, quam quod pariet. Peccator ergo peperit iniquitatem, quia iniquitatem conceperat; & quia concepit dolorem, dolorem quoque peperit; vnum enim atque idem eſt dolor & iniquitas. Hoc ipſum eſt quod dixit Eſaias per hæc verba: *Oua aſpidum ruperunt,* Eſt quoddam genus viperarum, quæ oua non ponunt, ſed in ſe ſeruant, & fœtus ſuos in ventre excludunt: qui matris vterum ventremque rodendo Eſa. 59.

perterebrantes eam occidunt, vt in lucem veniant: Ita voluptates humanæ partus viperini sunt, doloreque & morte ipsa genitores genitricesque suas afficiunt. Imago tormenti, quod secum vehunt deliciæ mundanæ, est apud Zachariam mulier conclusa in amphoram, cui os massa plumbea oppletum est. Quam rara & misera hæc captiuitas? Ruunt perditi in infernum, & clamant: *Lassati sumus in via iniquitatis, & ambulauimus vias difficiles.* Quod ipsum Ioannes dixit, quando iudicium delineans, *Infernus*, inquit, *& mors missi sunt in stagnum ignis.* Vbi peccatorem describit, cuius vita mors atque infernus est. & dicit mortem hanc atque infernum proturbata esse in alium infernũ, ex inferno temporali in alium infernum æternum. Et hoc est ludibrium, quo maxime Deo malus genius illudit. Tu hominem condidisti, pro eo mortalitatem induisti, inediam pro eodem miseriasque passus es, vixisti in laboribus à iuuentute tua, mortuus es in doloribus & supplicio infami: ego neque creaui hominem, neque pro eo natus sum, neque adeo nasci vellem, non viuo, non morior quoque pro illo. Tu illum gratia tua præuenis, ex famulis tuis custodem & pædagogum illi addis, qui dormientem excitet, vigilan-

Zacch. 5.

Sap. 5.

Apoc. 20.

tem

tem obseruet: ego non me excrucio pro illo, non laboro, immo à me nulla ei quies conceditur, sed agito illum plusquam venti arundinem. Tu illi nescio quid suggeris, consulis, auxiliaris, commonefacis omni hora: ego mille laqueos illi tendo, mille dolis circumuenio. Tu spondes illi præmium summum, infinitum, inexplicabile, quale neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cuiusquam cor descendit: ego post tormentum in hac vita maximum præparo tormentum aliud æternum. Nihilominus amicorum meorum mundus plenus est: tu habes tales quales. Via ad infernum multo amplissima est, & tam multi sunt tamen qui per eam ambulant, vt faciant sibi inuicem angustias: Cæli via angustissima est, satis tamen laxè ambulatur in illa. In meum hospitium diuertunt quotidie innumeri: in tuum vix vnus & alter. Puderet me illos creasse, conseruasse, & redemisse. Vt itaque vitam bonam viuamus, desideranda illa est, quam mundus malam nominat: vita enim peccatoris tantum bonæ laruam habet, cum reuera infernus sit; nulla enim quies datur illis, qui adorant bestiam & imaginem eius. Certe intellectu difficile est, quomodo homo in medio voluptatum & lautitiarum genialiter prandens,

cœnans pollucibiliter, accumulans oblectamenta oblectamentis, delicias delicijs, gestet in pectore infernum, habeat animam ipsa nocte tristiorem atque tetriorem. Verum sicut iustus pressus & tantum non oppressus cruciaminibus, celebrat in anima festum cælestium gaudiorum, & quasi super ignem extensus Laurentius, in pectore clausum habet paradisum: ita dicendum, pecatorem voluptatum suarum profundo immersum, gestare quendam in anima infernum. Cuius mentio est apud Dauidem: *Posuerunt me*, inquit, *in lacu inferiori.* Lacum inferiorem vocat locum inferorum in quo damnati pœnas vltimas luunt, vt distinguat ab inferno superiori, quem in hac vita peccatores habent. Eutimius hunc locum explanans vocat inferiorem infernum Prophetæ adulterium, ad differentiam aliorum infernorum, quos alia peccata caussant. Dicit Gregorius peccatorem valde bardum insipidumque, qui speret quietem & gaudium in voluptatibus: quies enim & gaudium comites iustitiæ sunt, & Spiritus sancti effectus, iuxta Apostolum: *Iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Quo igitur modo quietem speret aut gaudium, qui tam procul abest à fonte, ex quo illa scaturiunt? *Non est pax impiis,*

Hom. 1. sup. Ezech.

Esa. 84.

dicit Dominus: quia illos turbat sua impietas. Quando deuiat aliquis, montes, sentes, spinæque, & flexuosa semita non semita clamant, Hæc via non est recta; & licet caussas plures habeat sese consolandi, affligit se tamen, doletque tanto amarius, quanto longius aberrat: Ita peccatorem illæ ipsæ quas amat voluptates, commonefaciunt erroris, ex quibus necessario tantum doloris hauriet, quantum erroris amauerit. Iter vero quod Deo indice ad Cælum tendit, nihil in se delectamenti habet. Solebat dicere Anaxagoras delicatius sapere humi iacenti olus cum quiete, quam molli in lecto accubanti splendidum epulum cum inquiete.

Alterum malũ huic bono adgenitum est abiecta quædam sordities, vt nomine suo appellare erubescat etiam ille, qui vult reprehendere. Patet ex phrasi scripturæ sacræ: quæ cum adeo pura & emaculata sit, vt à verbis spurcis maxime abstineat; ita quoque tam ciuilis & modesta est cum de hoc vitio loquitur, vt neque ea quæ huic vicina sunt nominet nisi per periphrasin. Ad illa verba Paulli, *siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis*, dicit Origenes Apostolum, quando parum honesta coiunxit cum honestis, voluisse loqui verecunde, & per hæc verba, *siue aliud quid*

faci-

factus, naturæ debita intellexit. Et ea quæ ad Thessalonicenses scribit Paullus, *Ne quis circumueniat in negotio fratrem suum*; exponit Hieronymus in epistola ad Ephesios: Ne quis relinquat suam, & proximi vxorem concupiscat; quia iniuriam hanc grauissimè vlciscitur Deus. Et ipse Apostolus: *Fornicatio*, inquit, *& omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Neque mirandum est Paulli desiderium, cum Socrates vultum toties cooperuerit, quoties de rebus sensualibus dissereret, vt cognoscerent auditores quam non libenter de tali subiecto ratiocinaretur: Et hæc caussa est, ob quam Apostolus res lasciuas confusiones appellauerit. In epistola ad Philippenses loquens de helluonibus & lurconibus qui ventrem suum pro Deo colebant; *gloria*, ait, *in confusione ipsorum.* q.d. Attendite animum ad terminum exitumque deliciarum & gulæ vestræ, confusionem. Rerum harum nomen proprium non habent serui Dei, quare neque nominare conuenit.

1 Thess. 4.

Ephes. 5.

Philipp. 3.

Spurcities huius vitij probari quoque potest ab effectis: reddit enim hominem impurum, nauseabundum, & omnino bestialem. Apud Ioëlem *computruerunt iumenta in stercore suo.* Computrescere in stercore iumenta, ait Gregorius, nihil a-

Ioël. 1.

liud est, quam homines carnales finire vitam in immunditijs suis. Bonauentura carnalem inferno comparat tribus de caussis. Infernus ignem habet, qui nunquam extinguitur. Habet vermem qui nunquam non rodit: obijcit enim quod deperditum est, & quod lucri fieri poterat, deinde laborem molestiasque quas in deperdendo sustinere oportuit, & pacem gaudiumque quæ cum lucro poterat indipisci. Denique habet graue-olentiam quæ surgit à sentina mundani colluuiarij. Ita in homine carnali est ignis concupiscentiæ qui semper ardet, olla Hieremiæ quæ semper bullit. est vermis conscientiæ, qui semper rodit & accusat. denique est male-olentia: neque enim inter tentationes vlla est, quæ tam grauem fœtorem emittit, vomitumque prouocat, vt carnalis. Coruus à Noë dimissus, non reuersus est in arcam, quia morticinum aliquod repererat, quo pasceretur: ita carnales vbi cloacam aliquam ipsis cadaueribus peius olentem inuenerint, non reminiscuntur arcæ, non redeunt ad Ecclesiam, non curant præcepta, monita non audiunt. Plinius scribit pantheram esse animal adeo auidum humani excrementi, vt, si in altissimæ arboris summo cacumine vas illo plenum appendatur, aliquando inter ac- *lib.8.c.26. & 27.*

quiren-

quirendum se ipsam interimat. Imago hominis carnalis est, cui fœtor bene olet, amara dulce sapiunt. Huius vitij putor non multo post mundum conditum sese latissime dispersit, vt naribus quoque Dei molestiam faceret; qui statim aquis diluuij terram submersit, vt sensualitatis late populantem ignem opprimeret, vti quoque hanc machinam ignibus dissoluturus est, quia culpæ omnes nascentur à refrigescente charitate, & furtis, latrocinijs, vsuris, auaritia plena erunt omnia. Verum si argumentari voluerimus & huius vitij impuritiam colligere ex morbis, quos generat, ex locis quæ mundus deputauit velut telonia mercium suarũ, quæ lingua ita spurca erit, vt referre velit sorditudinẽ, quã sine nausea cogitare nemo potest? Deniq; adeò vile, sordidumque hoc vitium est, vt licet Dæmoni non ingratum sit videre homines immersos luto tam immundo, quia tam parcus miserque, est vt si te in nassam suam alliato attrahere possit, non promittat pastillos aut pulpamenta: sunt aliqui tamen inter cacoangelos adeo generosi, vt hac tentatione vexare homines erubescant aut dedignentur. Quare debilium tentatio appellata est. Quis non horreat cogitans verecundari dæmones & inuitos tam abiecta atque immunda tra-

ctare

ctare aut loqui: homines vero tam impudentes inueniri, qui non erubeſcant Deo cæleſtique gloriæ ea anteponere. Ioſeph heræ ſuæ precibus impuris aſſentiri noluit, excuſanſque beneficia quæ ab hero acceperat, & quæ à Deo, repetebat ſæpe ſæpius: *Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Dominum?* & vos famulæ importuni eſtis ſæpe, & rogatis abiectiſſimam ancillarum. Gen. 39.

Tertium malum eſt eius grauitas. Semper enim culpam rigor pœnæ menſurat. Porro nullum peccatum tam ſeuere caſtigatum legitur in ſcriptura, vt duo illa idololatriæ & ſenſualitatis. Nemo ignorat pœnam Sodomæ, quinque vrbium, & circumiacentium regionum; & illam tribus Beniaminæ propter vxorem Leuitæ; & illam filiorum Heli; & illam generalem totius mundi; alias denique multo crudeliſſimas vindictas, quas ſumpſit Deus de ciuitatibus, prouincijſque; bella, annonæ caritatem, peſtilentiam, quibus ſcriptura refertiſſima eſt. Monet nos D. Paullus malo alieno ſapere, & meminiſci eorum quæ habet liber Numeri. Et in epiſtola ad Epheſios dicit immundos non habere hæreditatem in regno Chriſti & Dei: ſubditque, *Nemo vos ſeducat inanibus verbis*, qui perſuadere vobis ſtudeat peccatũ hoc leue 1. Corint. 1. Num. 21. Epheſ. 1.

esse, quia naturali hominum inclinationi consentaneum est. Dicunt multi, Non furor, non iniurior, non sum Monachus, non coniugatus, fragilitatis meæ agam pœnitentiam. Ad hos hic Paulli sermo dirigitur. *Nemo vos seducat: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite effici participes eorum.*

In sacris libris peccata quædam, vt eorum grauitas insinuetur, dicuntur clamare in cælum, & rogare Deum vindictam. Huiuscemodi peccatum est defraudare mercede sua operarium: quia Dei in Leuitico præceptũ est, *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsq; mane.* Et tu mercedẽ
Leu.19. eius menses, annosque totos retines, vt prius illum fames absoluat, quam tu soluere occipias. Eiusdem-modi peccatum est, viduam opprimere, cuius *lachrymæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas: à maxilla enim ascendunt vsque ad Cælum.* Tale quoq; est paricidium: quare Deus ad Cain; *Vox*, ait, *sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Et Ioannes dicit animas Sanctorum rogare Deum vindictam. Ex eadem classe est carnis peccatum, vnde in Genesi dicit Deus: Finis vniuersæ carnis venit coram me, fœtor terræ iam corruptæ grauis est naribus meis. Et Niniuitarum peccata potissimum ab hac

Eccl.35. Gen. 4. Apoc. 6.

tur-

turpitudine originem duxerant, & dicit Deus malitiam vrbis Niniues coram se ascendisse: & licet tunc pœnitentiam egerint delictorum suorum, cum postea ad volutabrum redirent, adimpleuit quod minitatus fuerat, & Ionas diu desiderauerat. Denique Iob vocat *ignem vsq; ad perditionem deuorantem, & omnia eradicantem genimina.* In Prouerbijs dicit Salomon, *Fouea profunda os alienæ: cui iratus est Dominus, incidet in eam.* Adeo vt ab irato Deo supplicium sit vxori alienæ adhærere.

Ion. 1.

Iob. 31.

Prou. 22.

Malum vltimum huius boni est, quod homines excæcet, & de potestate mentis exire cogat. Qui effectus licet omnibus peccatis communis sit, huic tamen magis proprius est. Auaritia enim tam longe abest ab excæcatione, vt hominibus ingenium acuat, atque expoliat. & lynce melius longiusque videt auarus: cupido enim sexcentos illi oculos aperit, somnolentiam tollit, aliasque infirmitates mille, quibus subijciebatur. Ambitiosus vero quid non videt? Impudicitia vero obnubilat obtenebratque clarissima ingenia, non aliter quam crystallum puluis. Non perdit quidem naturam, quod ad esse rationale attinet, sed vitiat quoad potentiarum exercitium: deinde sensus alterat, mutat consonantiam, vt magis bestiæ quam

hominis imaginem præ se ferat. Apostolus loquens de Philosophis, qui instar brutorum viuebant, impuritijs suis immersi, quas ignominiam vocat, vt in verbis nihil de illis participet, dicit: *Obscuratum est insipiens cor eorum.* Duo in eis arguit, cæcitatem & stoliditatem, proprietates impudicitiæ & sensualitatis. Idem expressit Dauid: *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem.* Quod Apostolus tenebras atque obscuritatem nominauit, Psalmistes ignem, sed sine luce appellat, quæ proprietas ignis infernalis est, vt notat Basilius super Psalm. XXXIII. Quia licet habeat lucis aliquid: illa tamen adeo tristis atque obscura est, vt non seruiat ad recreandum oculos sicut solaris, sed ad terrificandum, cruciandum, & torquendum. Quando ignis concupiscentiæ inuasit cor hominis, ita excæcat, vt nõ relinquat illi oculos ad cognoscendum radium solarem. Angeli Sodomæos *percusserunt cæcitate à minimo vsq; ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent:* castigarunt illos conuenienter culpæ quam admiserant. Dicit Osee vinum & mulieres cor auferre, & relinquere hominem truncum, & expertem animæ. Hoc ipsum Veneris nomen indicat, quod significat defectum intellectus: per eua-

Rom. 1.

Psal. 57.

Gen. 19.

Osee. 4.

cuationem enim ſpirituum ſubtiliſſimorum, quæ ſit in exercitio illius, tantum detrimenti accipit cerebrum, vt ex frequentatis actibus totus intellectus corrumpi poſſit. Quod patuit in Salomone, cuius ſapientia cum adeo diuina eſſet, vt ex vltimis mundi angulis Reginæ accurrerent ad eum audiendum, mulieres tamen eum ad ineptiæ ſtultitiæque ſemitas redegerunt. Et patrem illius Dauidem, Berſabees amoribus inhærentem, prudentia quæ in ipſo rara fuerat, omnis deſeruit: cui etiam ſorditiem peccati cum explicare vellet Propheta, in parabolis locutus eſt. *4. Reg. 1. & 10.*

CAPVT XL.

Mulierum Amor examinatur.

QVANDO deliciarum humanarum campum ingreſſi ſumus, ſilentio præterire non poſſumus mulieres, quibus inter voluptates mundi Deus primas dedit. Prima plaſmata creata in mundi exordio licet bona eſſent omnia, vt ipſemet Deus ſibi in eiſdem complaceret; nullum tamen Adamo ſignum dedit, quaſi vultus eius adeo amœnus iucundusque eſſet, vt aſpectu illius

delectari posset: immo pro solitario derelictoque eum habuit. Verum ad conditam mulierem reflexit oculos, dixitque: Gen. 2. Propter hanc *relinquet homo patrem suum & matrem suam.* Non dixit: Relinquet animalia, volucres, pisces, frutices, plantas, arbores, aut aliud quiduis tunc creatum, parua enim omnia illi videbantur: sed illa quæ nondum erant in rerum natura, patrem atque matrem, quæ maiora parebant. Ecclesiastes dicit mulieres esse Eccl. 2. *delicias filiorum hominum.* Zorobabel la- 3. Esd. 4. tissime id probauit apud Regem Darium, Principesque & Sapientes omnes regni eius, in problemate, quod ipse & duo alij regij pueri proposuerant. Inter cetera dicit prodire in lucem & vitam ex illis omnes, ab illis lactari, educique; ab eisdem fieri stolas omnium hominum, & à manibus earum omnem ornatum nostrum pendere. Inditum præterea esse à natura quiddam illis, laqueum occultum, qui captiuet corda hominum, vt à mulieribus non possint separari. *Si congregauerint*, inquit, *aurum, & argentum, & omnem rem speciosam, & viderint mulierem vnam bono habitu & bona specie, omnia hæc relinquentes in eam intendunt, & aperto ore conspiciunt. Homo patrem suum relinquit qui enutrijt illum* tanta cum soli-

licitudine, *& matrem* quæ genuit illum, *& regionem* in qua natus est. *Et accipit homo gladium suum, & vadit in viam facere furta & homicidia, & mare nauigare & flumina, & leonem videt & in tenebris ingreditur: & cum furtum fecerit & fraudes, & rapinas, amabili suæ affert. Et multi dementes facti sunt propter vxores suas, & multi perierunt & iugulati sunt propter mulieres. Et nunc credite mihi* ô sapientissimi Persarum, mulieres sunt, quas vos præ omnibus adoratis. Ipse Rex loquatur: *Magnus est in potestate sua, quia omnes regiones verentur eum tangere. Videbam tamen Apemen concubinam Regis, sedentem iuxta Regem ad dexteram, & auferentem diadema de capite eius, & imponentem sibi, & palmis cædebat Regem de sinistra manu. Et super hæc aperto ore intuebatur eam. Et si arriserit ei, ridet: nam si indignata ei fuerit, blanditur donec reconcilietur in gratiam.* Additque sacer textus. *Tunc Rex & purpurati intuebantur in alterutrum:* & applauserunt illi vnanimes. *Rex vero osculatus est illum,* affecitque raris beneficijs. Legitur in Vitis-Patrum monachum quendam adduxisse in eremum puerum quendam adhuc infantem, vt eum solitudini assuefaceret, & vitæ perfectiori. Multis annis post cum adoleuisset, & pueritiæ togam

deposuisset, vidit forte mulieres veste, ac vultu splendidas eremum transire, ad peregrinandum, & quia nunquam tales viderat, rogauit senem suum, cuiusmodi animalia illa essent. qui respondit, esse dæmonia. Paucis post diebus vsu venit, vt rogaret iuuenem senior, quid eorum, quæ in mundo viderat maiori oblectamento illi esset cogitanti: subito adolescens; Dæmonia, inquit, quæ nuper hac in eremo occurrebant. Latet ergo in mulieribus aliquid maius potentiusque omnibus alijs humanis voluptatibus. Verum quia omnia, quæ mundus habet, bona vilia, misera, infelicia, immo mendacia sunt atque fraudulenta, vt quanto maius præstantiusque appareat bonum, tanto nocentior dolus, fallaciaque occulatur: operæpretium est, vt publicemus, quod sub niue illa, illa purpura, auroque, & forma mulieris ita scitula, venustula, & fucata tegitur: vt quia visus oculorum corporalium hebes, obstupidusque est, tantum videns ea quæ apparent; anima saltem penetret, intelligatque rationes, quibus doceatur bonum hoc odio & horrori habendum esse.

Sed ne quis ægro fortasse animo accipiat probra, quæ in mulieres hic scribentur, duo Lectorem scire volo. Primum, si limites modestiæ præter mentem & propositum meum excessero, non à desiderio obloquendi aut calumniandi exstimulari me, sed accendi charitate Christiana, zelo honoris diuini, & amore Deo obsequendi. Secundum, vitia omnia quæ mulieribus adscribentur, adscripta iri mulieribus improbis: quis enim nesciat probas longe viros præcurrere in omni genere virtutum, in pietate, misericordia, liberalitate, benignitate, fide? Augustinus vocat deuotum femineum sexum. Mulieres enim sunt quæ Sacramenta frequentant, in Ecclesijs assiduæ sunt, rei diuinæ intersunt quotidie, festa sanctificant, verbum Dei libentes audiunt, necessitati monasteriorum succurrunt, diuitant altaria calicibus sacrisque vestibus: denique illæ sunt, quæ sustentant oratoria, celebrant Diuos honoribus, in flammis purgantibus subleuant aut tollunt cruciatus animarum, suisque elemosynis cultum diuinum adaugent. Si ad fores earum stipem rogat plorans misellus aliquis, solatium accipit argentarium, aut verba tam dulcia, vt pluris æstimet sæpe mendicus blandam à muliere dimissionem, quam à viro non exi-

guum panis frustum. Quæ hausta esse ex sacris literis, & non ficta ab ingenio adulanti, vt sciant omnes, & virtus earum crescat, nostra vitia emendentur; reuocent in memoriam viduam Sareptanam, quæ fame per Israëlitas grauissimè sæuiente, cum non haberet nisi pauxillum olei in lecytho, & farinæ quantum capere potest pugillus, quæ comedere cum filio suo destinauerat, vt mortis deinde necessitatem expectarent, cum Elia dimisit medium. Et anus illa plus misit in gazophylacium, quam omnes simul diuites. Rememorent diuitis auari crudelem animum erga Lazarum: stultitiam Nabal verbaque eius aspera, simul benignitatem placidumque animum vxoris eius Abigail. Denique quis satis extollere poterit mulierum pietatem & commiserationem in quouis dolore & casu humanæ miseriæ? In laboribus solatio sunt, conuertuntur ad Deum supplices, precibus, votis, promissis; infirmis seruiunt auxilianturque tam promptè atq; sedulo, vt dicat Spiritus sanctus, *vbi non est mulier, ingemiscit egens.* Inter gentiles feminæ præstantissimæ fuerunt. Rex Ninus in partem omnium consiliorum Semiramidem suam admisit; Aspasiam Cyrus, Liuiam Augustus. Iustinianus in commentarios retulit, in Imperi

3. Reg. 18. *Luc. 21.* *Luc. 16.* *1. Reg. 25.* *Eccl. 36.*

ri

rij administratione coniugis suæ consilia magno sibi adiumento fuisse. Et Historia tripartita magni facit auxilium vxoris, quo Theodosius nomen tam Christiani Imperatoris acquisiuit. Aristoteles & Plutarchus referunt in negotijs grauibus Reipublicæ mulierum sententiam publicè auditam fuisse. Marcus Varro vult Athenis hoc in more fuisse: Cornelius Tacitus id apud Germanos consuetum asserit: alij Gallis attribuunt. Plato in libris quos de Republica conscripsit, vult legitimè collata esse munera, quæ in mulieres conferuntur.

Verum si malas mulieres cum viris etiam malis conferamus, illæ quoque præferendæ erunt. Vir enim negligens animæ suæ, non meminit orationis vnquam, non interest rei diuinæ, non audit verbum Dei, nescit ieiunij diem obseruare: mulier peruersissima licet sit, non abstinet à precibus assuetis, non violat ieiunia, non negligit diuinum officium, eleemosynas pauperibus distribuere non obliuiscitur. Quæ opera licet meritoria non sint, adiuuant tamen ad pœnitentiæ gratiam recipiendam. Si quid deperdiderint, confugiunt ad Ecclesiam: si itineratur maritus, filius languet, ad loca pia peregrinatur, quæ deserta videremus, si mulierum de-

uotio

uotio refrigefceret. Vt in compendium redigam omnia, non poſſunt certum in numerum cogi benefacta mulieris, ſi bona eſt. Quare ne ingenium meum quod exiguum infirmumque eſt, fruſtra defatigem, recte fecero, ſi tacitus prætermiſero bona, quæ digne recenſere non valeo, & ad mala quæ aliquo modo demonſtrari poſſunt, mentem manumque conuertero.

Primum malum eſt periculum quod ab adſpectu, & conſuetudine familiari mulierum naſcitur. Nolo hic referre veterum Philoſophorum opiniones, quibus tam vile immo infame fuit nomen mulieris, vt vnanimiter fere omnes oderint. Non poſſunt inuectiuæ omnes & ſatyræ in feminas ſcriptæ vno volumine comprehendi. Non poſſunt vno in libro notari varia eorum reſponſa ad quæſtionem, quæ petebat principium ex quo femina prodijſſet: omnes enim hallucinabantur. Ego non adferam aliud ab his quæ Spiritus ſanctus dictauit, aut in Eccleſia Catholica ſancti grauesque ſcriptores opinati ſunt. Verum eſt, antiquos non adeo hebetes cæcosque fuiſſe in quærendo etymon vocis (femina) vt non etiam ſacræ literæ aliquantulum ijs adſtipulari videantur. Cyrillus ad ſacrificium in quo Deus

Hom. 1. ſup. Leuit.

offer-

offerri sibi voluit vitulum *masculum sine macula*, dicit: Masculum voluit, quia in sacris literis femina culpæ symbolum est, masculi vero nomen dicit perfectionem: hinc apud Ecclesiasticum, *melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens.* Hæc Cyrillus. Ecclesiastes vero, *Lustraui*, inquit, *uniuersa animo meo, vt scirem, & considerarem, & quærerem sapientiam & rationem, & vt cognoscerem impietatem stulti & errorem imprudentium: & inueni amariorem morte mulierem.* q. d. inueni in muliere caussam impietatis atque erroris. Neque potest dici ambigua sententia, quam præcesserunt experientia & multa mentis attentio, qualis est omnium creatorum lustratio. Sub finem ergo longæ considerationis dicit inuenisse se duo amara, mortem & mulierem: sed multo amariorem morte mulierem. In scriptura mors fortis vocatur, quia nihil ei potest resistere: amara, quia tollit ea quæ in vita dulcia & in pretio habentur. Quare Ecclesiasticus, *O mors*, ait, *quam amara est memoria tua?* Mulier vero amara est, quia vitã tollit & substantiam. Deniq; quando diues efflat animam, quasi scrinium auro plenum frangitur, quod diuiditur in eos qui diu illud expectarunt. Ioannes Chrysostomus diem in quo diues moritur comparat illi, in

Leuit. 1.

Eccl. 42.

Eccl. 41.

Eccl. 7.

quo

quo porcus mactatur, gaudent enim de intestinis eius vicini omnes. Mulier vero, vt ait Ambrosius, destruit perditque omnia: exhaurit loculos, hebetat sensus, lumen naturale obnubilat, famam obtenebrat, taminat honorem, violat florem iuuentutis, formam corrumpit, debilitat corpus, sanitatem vitiat, vitam tollit, animam proturbat in infernum. Ob idipsum dicit Paullus aliud quoduis peccatum non pugnare cum hominis valetudine, verum luxuriæ crimen esse in corpus ipsius peccantis, contra salutem eius & vitam esse. Simile vero esse tineæ, quæ vestem adedit, testis est filius vnus prodigus in scriptura; & hodie centies mille prodigi filij, qui in xenodochijs innumeri vitam finiunt. Dicit amplius Salomon, cor mulieris esse laqueum, & rete captans omnia piscium genera; manus eius facit vincula & cathenas. Laqueus seruit venantium insidijs: rete piscatoribus: vincula carnificibus. Et quia in laqueum non ita multi irruunt, addit rete, quo plures capiuntur: quia vero rete non satis validum est, mulier autem potentior est, firmiusque captiuat homines, manus eius cathenas nominat. Neque enim vllus cippus, manicæue, pedicæue, aut boiæ cum femineis manibus in comparationem venire possunt. Videbi-

[margin: Ambros. ... Psal. 50.]

tis

tis hominem qui rem ſuam omnem dilapidauerit, honoris iacturam extremam fecerit, voluptatibus indulſerit, non incathenatum, non compedibus vinctum, non illigatum funibus, quem nullæ aquæ ambiant, nulli claudant muri, nullum ergaſtulum ſeruet; ſed vnæ femineæ manus ſerica lana byſſoué molliores ita conſtringunt, vt nullo pacto, nullis ſe viribus expedire queat. Aduertet ſe haberi odio, iniurijs affici, illudi, contemni, neque tamen illi tantum animi eſſe poterit, vt curam eius deponat. Occlamabit illi Deus per ſuos præcones, fores animæ pulſabit per Angelos ſuos, terrebit per Eccleſiæ anathemata, per mortem familiaris amici, immittet flagella infirmitatis & moleſtiarum, vt ne chlamydem ſuam in manibus eius relinquat, ſicut olim Ioſephus: non habebit tamen tantillum virium, vt declinet oculos illius. Vnde Sapiens: Qui Deo placuerit, fugiet ab hoc baſiliſco, & fera immani: qui Deum offenderit, incidet in manus eius. Videtur Deus illâ velut inſtrumēto vti, ad peccata punienda. Hoc ipſum confitetur infelix ille, qui ſe videt in carcere mille damnis oppreſſum, ſine ſpe effugij: &, Hæc, ait, ſunt peccata mea. Et ne quis dicat, forte dari vnam mulierem ita ferocem & crudelem, dari tamen con-

tra

tra mille alias bonas & sanctas: Respondebit Salomon, quod inter viros mille, facile bonus vnus inueniri queat; sed inter mulieres omnes, bona ne quidem vna vnica. Porro Salomon loquebatur de illis, quibuscum familiariter vixerat, quæ plurimæ fuerant: loquebatur vt insigniter sauciatus. Qui enim considerat amicitiam, quæ illi cum Deo primis regni annis arcta intercessit, cui bis familiariter locutus fuit, quem votis suis tam indulgenter assensisse vidit, vt nihil oculi eius intuerentur, quo cor non frueretur; qui animi sublimibus alis vsque ad Cæli alta euolauerat; cuius lingua Spiritus sancti penna erat: postea vero illum grandæuum inspexerit, thus adolentē cum mulieribus idololatris, quas adamabat, iudicare poterit quam fera bellua sit mulier. Huius sæuitiæ testimonium dedit Herodias. Herodes opinabatur recte de Ioanne Baptista, & de virtute atque sanctimonia eius: immò quando Christus mirandis operibus sese manifestare cœpit, credidit Ioannem suum in vitam redijsse: amoris sæpe illi magna signa dedit, oculos suos in illum, in eius verba aures intentas habebat, sermones eius probabat, honorem illi & dignitatis gradum in suo regno libens concessisset: sed captiuum eum tenebat Herodias Amoris laqueis, vt volun-

3.Reg.3.& 9.

3.Reg.10.

Marc.6.

tatem

ratem sequeretur eius, quæ eum sic vinxerat. Dalila idem probare potest. Ille qui cathenas diffringere, portas vrbis apprehendere & in humeros imponere ac fugere, vna asini mandibula plura hominum millia occidere, columnas quibus maximum ædificium innitebatur, concutere potuit, non potuit expedire se ex hoc carcere. Et maiori admiratione dignum est, quod Sampson irrisum se, illusum, odio habitum, venumdatumque videns, non conatus fuerit hoc ergastulum perfringere, etiam cum internecione ipsius custodis. In parabola, quæ est de Rege ad nuptias filij sui conuiuas vocante, excusabat se ambitiosus, dicens: *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam.* Auarus: *Iuga boum emi quinq;, & eo probare illa.* Mulierosus vero non produxit vllam excusationem, sed absolutè dixit: *Non possum venire.* q.d. Non sum liber, sed sub tyrannide crudelissimæ Dominæ, quæ mihi licentiã non dabit etiam roganti: collare mihi ferreum circumdedit, pedes manusque ferro obuinxit: itaque non possum. In Prouerbijs scribit Salomon dialogum mulieris atque adolescentis, qui solidè probat nostram propositionem. *De fenestra,* inquit, *domus meæ per cancellos prospexi, & video vecordem iuuenem, qui transit per plateas iuxta angu-*

[margin: ud. 15. & 6.] [margin: Luc. 14.] [margin: rou. 7.]

 lum,

lum, & prope viam domus quasi lucem fugiens *graditur in obscuro aduesperascente die. Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas, garrula & vaga, quietis impatiens, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians. Apprehensumq; deosculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur, dicens, Victimas pro salute deuoui, hodie reddidi vota mea. Idcirco egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre, & reperi.* q. d. Deo votum meum persolui te reperiendo. Hoc quod nunc reliquum est vt scias: *Intexui funibus lectulum meum, straui tapetibus pictis ex Aegypto: aspersi cubile meum myrrha, & aloë, & cinnamomo. Veni inebriemur vberibus, fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies. non est enim vir meus in domo sua, abiit via longissima.* Vt summatim dicam: *Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditijs labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius: velut si auis festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo animæ illius agitur. Nunc ergo fili mi,* ait Sapiens, *audi me, & attende verbis oris mei:* sit tibi hic casus in exemplum. *Ne abstrahatur in vijs illius mens tua: neq; decipiaris semitis eius.* Dicit Ecclesiasticus: *Melior est iniquitas viri, quam*

muli-

mulier bene faciens. q. d. Facilius & securius euadet homo manus inimicorum, quam amicæ suæ. Minus detrimenti accepit Dauid à Saule, quem hostem, & omni in loco persecutorem habuit, quam à Bersabee, quæ illum molli in lecto stragulis Babylonicis cooperuit. Inter proprietates, quas Iob Dęmoni attribuit hanc vnam adfert. *Halitus eius prunas ardere facit.* Commendate vos Deo, & patronis vestris tutelaribus, proponite sancte viuere, & in obsequio eius mori: vix conceptum hunc formastis, ecce occurrit vobis importuna tentatio. Quis eius caussa? Sathanas, qui carbones frigidos, & vt sic loquar, conglaciatos ardere facit. Flexis genibus procumbite in orationem, subito diuagamini animo, & hæretis mille lasciuis cogitationibus intricati. Halitus Dæmonis est, qui accendit cor mortificatum & iammortuum. Portentum animalis est cuius spiritus follis incendiarius est. Eadem est mulieris proprietas, quæ huius mundi Dęmon est, accenditque corda multo frigidiora. Vnde Sapiens: *Colloquium,* inquit, *illius, quasi ignis exardescit.* & qui verba eius in pectus admiserit, tenaciterque seruauerit, quid sperare poterit nisi incendium? *Nunquid potest homo,* dicunt Prouerbia, *abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius*

1. Reg. 20. & 21.

1. Reg. 11.

Iob. 41.

Eccl. 9.

Prou. 6.

non ardeant? Pro miraculo erit ille, qui necessitudinem cum muliere familiarem habet, & non amburitur. Cum ergo vobis nulla sit facultas impediendi vim ignis vt ne corpus adurat, ne sperate miraculum facere in igni qui vrit animam. Dixit Christus Magdalenæ, *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Verba commoda quæ vir proferat ad mulierem, licet Magdalenam, aut Magdalena sanctiorem: Noli me tangere; non sum enim corpus gloriosum. Sanctus Leo manum sibi præcidere cogitabat, veluti membrum putrefactum, quod muliere ad osculũ illius admissa, ardorem aliquem ignis impuri persentisceret.

Ioan. 10.

Solus mulieris obtutus multarum cladium autor est: quomodo non damnosa erit familiaritas? In Genesi *videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant:* vnde tam graue-olens ignis in mundo accensus est, vt Deo consentaneum visum sit extinguere, & mari vniuersam terram cooperire. Quia Princeps Sichem vidit Dinam, perdidit se & suos. Vidit Dalilam Sampson & parentibus populoque suo inuitis, contra legem à Deo datam accepit eam in partem matrimonij, ex quo postea tam multa aduersa enata sunt. Nō paruum damnum

Gen. 6.

Gen. 34.

[.] Reg. 11.

pas-

ſus eſt Dauid cum deambularet otioſus in ſolatio domus regiæ, & videret Berſabeen: 1. Reg. 13.
aut cum Amnon ſororem ſuam Thamar intueretur: aut cum ſenes duo nequiſſimi in formam Suſannæ oculos conijcerent. Dan. 13.
Refert Tertullianus Democritum ſibi oculos eruiſſe, vt ne mulierem aſpiceret vnquam. Alexander noluit in conſpectum ſuum admittere coniugem & filias Darij Regis quod ſciret venuſta forma eſſe, vt ne victor ſine bello hic vinceretur. Dicit Iob: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine*; & ſubito cœpit mala ſibi imprecari: Et hæc & hæc mihi eueniant, *ſi ſecutus eſt oculus cor meum*. Dicit nonnunquam cor, Ecce quam venuſtus vultus, quam lepida mulier: ſed ſtatim ad oculos meos recurro, & ad fœdus quod inter nos pactum eſt. In Prouerbijs monet nos Salomon procul abeſſe à muliere, & ianuæ illius omnino nō approximare, quia mortis atque inferni ianua eſt. quid ergo familiaris conuerſatio? quid ergo erit ſtare in foribus Eccleſiæ, & arbitro Deo oculos in eum defigere? Hos Petrus vocat oculos *plenos adulterij, & inceſſabilis delicti, pellicientes animas inſtabiles*, eorum in quos oculos defigunt. Quod ſcriptura de ſuo Ioſepho dicit: *Iniecit Domina oculos in Ioſeph, &c.* Et hac laſciuia deſiderijs Iob. 31. 2. Pet. 2.

fores animæ aperiunt, publicumque ex ea faciunt diuersorium: & verum fit, quod in Threnis suis habet Ieremias. *De-* Hier. 3. *prædatus est oculus meus animã meam in cunctis filiabus vrbis*. Oculi mei prædones fuerunt, fuerunt latrones manifestarij, qui cor mihi in omnibus filiabus vrbis deprædati sunt. Sententia perditis hominibus accommodatissima, qui nullam mulierem intuentur, quam non concupiscant. In Vitis-Patrum Monachus quidam ex iunioribus importune molestus fuit seni cuidam, vt secum in publicum educeret. Libens, inquit, senex tecum egrediar, sed in locum vbi nulla mulier sit. Tum iunior: Pater, ait, non est vllus extra solitudinem angulus, qui mulierem non habeat. Ergo, respondit senex, dum viuam, hic ero. Alium quendam ætate & sanctitate magnum Eremitam rogabat Domina quædam origine & virtutibus illustris, vt inter orandum sui memoriam aliquando haberet. Immo respondit ille: Hoc vnum orabo, vt tu mihi ita excidas, ac si nunquam vidissem. Dicit Cyprianus *Lib. de singul. Cler.* à ferro rubiginem, à ligno teredinem, tineam à panno, venenum à vipera, à muliere pestem generari, iuxta Ecclesiasti- *Eccl. 26.* cum, *qui tenet illam quasi qui apprehẽdit scorpionem*. Sanctus Nilus *in oratione secunda*

contra vitia dicit vnum mulieris aspectum esse iaculum ocyssimum potenti brachio vibratum: cuius damnum seruus Dei effugiet fugiendo spectacula, festa publica, & vbi mulierum conuenticula haberi solent. Additque adolescenti potius esse, igni quam mulieri approximare: ambustam enim ab igni manum tollere poterit, femineis vero ardoribus nullum remedium inueniet. Nam sicut flores, fruticesque vicini torrentibus protuberant felicius, ita mulieribus propinqua desideria luxuriosa. Qui non vitat, inquit Augustinus, familiaria mulierum alloquia, cito cadet. paullo pòst: ita inimicã mulierem habet castitas nostra, vt non modo resistere æquum sit, sed fugere quoque solutis habenis. Basilij verba sunt: *Cum femina semper esse & feminam non cognoscere plus est quam mortuos suscitare.* *De vera virginitate.*

Alterum est audacia & potentia mulieris ad omnẽ malum. Debilitatem suam excusat ad bona, & reuera est ipsa debilitas: ad malum vero nihil illi impossibile est. Valerius *in epist. ad Rufum* mulierem ad omnia quæ amat oditúe audacem atque intrepidam vocat. Quod inde nascitur, quia amat oditúe sine modo & modestia: Amor enim quia fortis atque im-

pauidus, vires animumque illi addit, & omnium malorum autor eſt. Ne multis rationibus delaſſeris, lege Aurelium & Iaſonis Medeam, notabiſque mulierem audere & poſſe omnia. & dicit; Roga Deum omnipotentem, vt te liberet à muliere omnipotente. Apud Plutarchum dixit Cato: Viri omnes vxoribus ſuis imperant, nos viris omnibus, vxores noſtræ
3. Eſd. 4. omnibus nobis. Innuere volens quod Zorababel in Eſdra probauit mulierẽ omnibus dominari. Si quis curioſus ex me quærat, quæ quomodo ſit ad malum mulieris tam grandis potentia: Reſpondeo, ſaluo ſemper ſaniori iudicio, inter hoſtes quos tres habet homo, puta Dæmonem, Mundum, & Carnem cuius famula mulier eſt, hanc eſſe potentiorem. Quod facili argumento demõſtro. Frequenter magnũ facinus aggreditur Dæmon, ſed votum ſuum non attingit: aduocat manum auxiliarem mulieris & potitur. *Sæpe* mundus conatur aliquid, & fruſtra eſt: ſociam aſſumit mulierem, & ſuccedit pulchre ſub manus negotium. Atque ita vtroque potentior eſt mulier. Argumenti huius pars prima manifeſta eſt in afflictionibus Iob: vbi omnes vires Dæmon exeruit, quaſcunque potuit technas machinatus eſt, adhibuit omnia

belli

belli instrumenta, vt Marpesiam hanc cautem euerteret: sed ne concussit quidem. mulieris operam inuocauit, quæ impetu tam valido irruit, vt damnum daret, quale totus Infernus facere non poterat. Idem in morte Christi accidit. Pœnitebat Dæmonem, quod ad mortem adeo crudelem Pharisæos exstimulasset, sed ab illis iam efferatis nihil obtinere poterat: quare ad Pilati vxorem confugit, auxilium quæsiturus, quæ inducta est, vt coniugi supplicaret ne iustum illum virum è medio tolleret. Dæmoni itaque mulier præualet. Porro mundo superiorem esse certum exploratumque habemus. Salomon qui vniuersum cum gloria sua mundum, cum felicitate fortunam suo subiecerat arbitrio, videns magnopere se delusum, dixit vanitatē esse omnia, & vanitatem vanitatum: sed legio mulierum ei occurrit, & primo conflictu cecidit regum, qui fuerant, ditissimus. Non potuit Rex Achab magna qua valuit autoritate impetrare à Naboth vineam, tametsi pretium illi plenissimum offerret: intellexit Iezabel, arguensque maritum ceu hominem nihili, qui potestate sua vti nesciret, ostendit illi viam modumque quo ipsi Naboth vitam, deinde nullo pretio vineam adimeret. Herculem omnes æru-

Matth. 27.

Eccl. 2.

3. Reg. 1.

Fulg lib. 2 Mythol.

Ouid epist Heroid. 9.

mnæ & vniuerſus orbis opprimere non potuerunt, vna Omphale regina Lydiæ ſubſtrauit pedibus ſuis. Neque magnopere admirandum, ad malum ita potentem eſſe mulierem, cum prima ſtatim in mundi exordio auſa fuerit cum ſerpente conuerſari familiariter, rogare atque reſpondere non aliter quam ſi diu conuixiſſent: neque minimum turbata eſt, aut inhorruit. Deinde adeo nihil timuit, vt in partes ſuas auderet pellicere coniugem ſuum ita prudentem, tam multarum gratiarum dote adornatum, tot beneficijs tot priuilegijs donatum, & ſuperauit tandem.

Tertium malum fragilitas eſt, fons omnium aut certe potiſſimarum in mulieribus imperfectionum. Vnde omnia mulierum peccata fragilitatis nomen accipiunt: quo reſpexit fortaſſe Euangeliſta, quoque, quando Magdalenam peccatricem nominauit, non recenſens ſingularia aliqua peccata, omnia enim dixit, qui mulieris peccata eſſe dixit, quæ non ſunt niſi fragilitatis. Quando Dæmoni minabatur Deus, quod femina caput eius contritura eſſet, duo effecit. primo timoris eum arguit, quia non eſt auſus cominus hominem aggredi, & pedem pedi, pectorique pectus opponere, ſed per inſidias muliere primum corrupta: deinde mulierem debili-

Luc. 7.

bilitatis notauit, quando se per hanc vindicare illum & veluti arundine delumbare voluit. Hominem instabilem atque infirmum mulierem vocare solemus: nam vt ex Augustino supra *cap. XXIV. fol. 369.* annotauimus, vnam rem nomine alio scriptura etiam vocat per analogiam seu proportionem. quia ergo omnium creaturarum inualidissima atque debilissima est mulier, pusilli aut nullius animi viro mulieris nomen imponitur. Dicit Ouidius. *Lib. de doct. Christ.*

Verba puellarum folijs leuiora caducis.

Et alius Poëta:

Quid leuius flamma? flumen. quid flumine? ventus.
Quid vento? mulier. quid muliere? nihil.

Mulier itaque natura sua debilis est, semperque & ab omnibus talis habita fuit. Addit Chrysostomus feminas odoribus, pigmentis, suffimentis, vnguentis, fucis multo debiliores atque infirmiores fieri; adducitque similitudinem plantæ, quæ à campo vbi vento, aquæ, aëri, Soli exposita erat, transfertur ad locum quo neque aër neque vlla cæli influentia potest attingere. Quare illæ quæ in montibus & siluis errant quotidie, plus virium ac roboris habent. Ex fonte hoc scaturiunt turbidi lutosique amnes: ex radice hac progermi- *Hom. 49. sup. epist. ad Hebr.*

nant

nant rami ferentes fructus amaros atque insipidos.

Primus ramus est Amor vindictæ, qui in illa crudelior est quam in omnibus simul feris. Supra probatum est vlciscendi desiderium nasci ex debilitate, cum vero femina ipsa debilitas sit, sequitur quoque esse ipsam vindictam. Elias, cuius os erat cæli clauis, claudens illud recludensque pro libitu suo, præterea tam generosi inuictiq; animi vir, vt Regi in faciē diceret;
Reg 18. *Non ego turbaui Israël, sed tu, & domus patris tui*: tam impauidus, vt quadringentos sua manu occiderit: ille, inquam, Elias ita timuit iram Iezabel, vt fuga sibi consuleret, & in abditam eremum penetrans, humi accubans sub arbore præ mœstitia obdormierit, & opus fuerit Angelo, qui è Cælo descenderet, & cibo oblato animum illi redderet. Quod argumento nobis esse potest, nullam vim rabiemque tantam esse, quanta est mulieris iratæ. Sancto cælum ac terra, Regesq; & ipsa bruta subdita erunt, Angeli cibum subministrabunt: vna vero mulier animam tollet. Herodias potius Ioannis Baptistæ caput elegit, quam regni dimidium ab Herode oblatum. Non satis illi erat, vinctum seruare, in exilium proscribere: nulla fuisset vindicta, sine internecione. Quod maxime atram eius bi-

lem

lem probat, est, quod Herodi Regi natalem suum solenni epulo cum optimatibus celebranti caput viri sanctissimi in mensam attulerit. Vorax ille Epicurus, cui venter suus Deus erat, sedebat attonitus intuens in caput illud pallidum duplici pallore ieiunij & mortis. Conuiuas tametsi pretiosis indutos pelliceis, & vnguento delibutos permanauit sudor frigidus, ex aspectu capitis cruore taboque sordidati. Palpo qui mille sycophantijs & blandiloquo verborum adulantium fumo Regis virtutes crepuerat, obmutuit videns linguam, quæ nesciuerat mentiri aut adulari, veritatis odio à reliquo corpore truncatam. Supra omnes trepidus, horrensque, & sibi non satis præsens Rex stabat, veritus citatum iri se ipsa nocte ad iudicem mortuorum. Vna sola nequam mulier, quæ viso mure aut lacerta fugere solebat aut vociferari, spectabat audenti applaudentique oculo mortui caput, blanditias illi loquendo non venerationis sed vltionis. Dicit Ecclesiasticus: *Non est caput nequius super caput colubri: & non est ira super iram mulieris.* Caput colubri merum venenum est, quod ex oculis atque ore vomit: præterea adeo durum, vt membris alijs omnibus in mille frustra dissecti: ipsum integrum sanumque viuat. Tali *Eccl. 25.*

mulie-

mulieris ira est: cui si mille vitas ademeris, non submittet se tamen, aut vlciscendi desiderium remittet. Ex hoc fonte per orbem vniuersum tot bella enata sunt. Et
Cap. 25. Iesus Sirach post longum de muliere commentarium scripsit facilius esse *leoni & draconi commorari, quam habitare cum muliere nequam*: ad huius iram, ad illorum venena animum aduertens. Deinde con-
Ibidem. cludit *breuem esse omnem malitiam super malitiam mulieris.* Menander vero dicit in mari & terra feras habitare, sed omnium illarum principem esse mulierem.

Alter ramus est eius inconstantia. In qua ne prolixi simus, repetendum est caput XXXIII. Hic vero considera anxietatē
Cant. 5. Sponsæ dolentis de spōso absente, quam festinè exierit, quibus periculis sese exposuerit, quot molestias deuorauerit, quot cruciatus sustinuerit. Et simul nota quam cito pòst fores pulsanti & vocanti sponso, leui de caussa aperire noluerit. Femina enim & occasio eadem sunt: ne pedes commacularet, ne depositam tunicam sumere deberet iterum. Ratio vna est cerebri feminini instabilitas: vult enim quādo nō vult, & nō vult quando vult: tam cito vult, quā noluit: lachrymatur quādo ridet,
Prou. 13. & quod de pigro dixit Salomon, *vult & non vult.* Neque scire potest homo, quan-

do

do velit aut quando non velit. Dixit Dauid: *Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt.* Id per eminentiam de mulieribus affirmari potest: non capit enim pectus humanum chymæras cogitationum, quas efformat imaginatio feminina. Psal. 93.

Ramus tertius qui è trunco debilitatis pullulat, est linguæ vitium: quod mulieri quia infirmæ, natura quasi adgenuit. licet enim omnia peccata debilium sint, linguæ tamen peccatum est debilissimorum. Dicunt Astrologi cælestes influentias omnes debiles, quæ finem suum non assequuntur, descendere in linguam. Atque ita videmus quosdam lingua mordacissimos, alios lingua liberalissimos: inclinationes sunt à debili influentia generatæ. Quando autem potior stellarum influentium pars debilis conuenit in ortum mulieris, nascitur dotata maximo linguæ beneficio. In Leuitico iubetur maledicus offerre agnam, animal inter omnia debilissimum, & timidissimum, quod à musca vna in fugam vertitur, & non habet quo se aduersus illam defendat. Dicit Plinius cicadam mutam naturæ miraculum esse, maxime garrulum enim animal est; inueniri tamen asserit in regione quam Reginiam vocat: ita muta femina mundi mi- Leuit. 5. Lib. 11. c. 7.

racu-

raculum est, maiorem enim partem garrulæ sunt & loquaces, tametsi aliquæ taciturnæ & prudentes sint. Apud Ecclesiasticum *Datum Dei est mulier sensata & tacita.* Eodem in numero ponit sapientiam & silentium, sapientia enim mulieris in taciturnitate consistit. Huius exemplum mulieribus reliquit Virgo beatissima, quãdo in legatione omnium quas vidit aut videbit mundus augustima, primum signum responsi dedit cogitando & tacendo. Dixit Philosophus cuidam adolescenti: Loquere vt te videam. sermo enim, risus, gestus, gressus dant testimonium viri. Mulieri vero dicendum est hoc solum: Tace vt te cognoscam. Paullus quoties de mulieribus loquitur, loquitur de silentio: *mulieres in Ecclesijs taceant.* & *mulier in silentio discat, &c.* In lege veteri, si aliqua virtus mulieris, certe silentium laudatur. Saræ iunioris Tobiæ vxori, feminæ sanctissimæ exprobrabat mulier quædam ancilla necem septem virorum, quos non ipsa sed malus genius oppresserat. Scriptura autem ponderans sanctitatem eius dicit, sine responso statim ad hæc verba perrexisse in cubiculum superius, & tribus diebus ac noctibus ab omni cibo potuque abstinuisse, sed in oratione perstitisse cum lachrymis, Deoque innocentiam suam ape-

ruisse,

Cap. 26. *Luc. 1.* *1. Cor. 14.* *1. Tim. 2.* *Tob. 3.*

ruisse,& supplicasse vt ab improperio illo liberaret eam. Susanna accusata adulterij nihil respondit vnquam: quare Deus suscitauit linguam Danielis, quæ pro illa loqueretur. Magdalenam pœnitentem omnes persequebantur: illa vero semper cōticebat. Discipulus perditricem, peccatricem Pharisæus, soror otiosam & socordem vocabat: Dominus vero illi patrocinatus est contra omnes. Idem adultera experta est.

Dan. 13.

Matth 26.

Luc. 15.

Luc. 10.

Ioan. 6.

Quartus ramus qui ex eadem debilitatis stirpe surgit est feminarum varia multiuolentia: quam si frænis non cohiberent plurimæ, tota earum vita esset vna impetuosa animi in diuersa vertigo. Tanta erat mœstitudo Rachel quia se infœcundam videbat, cum soror eius filiorum insignem coronam haberet, vt marito suo occlamaret: *Da mihi liberos alioquin moriar*. quasi ille Deus aliquis fuisset, qui fructu ventris eam priuaret. Alexander Macedo in bellum abiens, regni sui vices commisit Antipatro, qui rationem administrationis suæ illi reddens inter alia scripsit matris eius importuna vota superexcedentia legum iustitiæque limites: quæ adeo commouerunt Alexandrum, vt diceret: Ecce quam multa & magna exigit, quia me nouem mensibus in vtero gestauit. Eua stimulauit

Gen. 30.

Gen. 3.
Iud. 16.
Mar. 6.
Matth. 20.

Adam ad esum pomi: Dalila Sampsonem vt robur suum proderet. Herodias caput Ioannis Baptistæ postulauit. Mater filiorum Zebedæi illo tempore quo Christus de morte sua & cruce sermocinatur, rogat pro sedibus. Quia tanta est animi in eis debilitas, vt desideria sua ne vel minimum queant comprimere. Et quia multarum vota huic non absimilia sunt, prudenter respondendum est & debilitati earum aliquantulum indulgendum, parum tamen concedere oportebit ex ijs quæ postulant. Ad blasphemiam & hæresim vxoris suæ respondit sanctus Iob: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es.* Nimis humaniter eam tractauit, certe alio responso digna erat. Hoc est quod Petrus innuere voluit: *Impartientes honorem tanquam vasculo infirmiori.* Honorate illam ob debilitatem. Quia vas argenteum aut aheneum lapsu etiam grauiore ruit, & non confringitur: vitreum vero tenerè & cum metu tractandum est. Ita virum obiurgare & indignanti voce alloqui poteris, & non accendes ad irã: mulier vero vas vitreum, statim se contemni suspicatur. Christus pepercit matri sedes postulanti, sed filios adortus est, dixitque: *Nescitis, quid petatis.* exemplum certe nobis reliquisse videtur, vt feminas veneremur. Hic ritus in profanis perditisque

aulis

aulis religiosissime obseruatur, & videtur ab Euangelio vim suam accepisse; ita vt Rex etiam ipse, qui Deo non aperit caput, mulieri vni denudet. Dicit Ecclesiasticus: *Filiæ tibi sunt, serua corpus illarum.* Si filias habueris, molestæ tibi erunt mille obtestationibus, rogabunt iterum atque iterum etiam atque etiam pro hac licentia, pro illa libertate: verum vide quid facto opus sit. Nihil ita facile indulgebis, neque placidũ vultum illis ostendes, sed frontem potius caperatam: alioqui singulis horis noua desideria audies. Si difficile coërceri queant, in matrimonium colloca viris prudentibus: hoc est quod appetunt desideratissime, vnoque hoc indicio recreabuntur, scientque se à patre adamari. Quare ne demereantur parentis sui gratiam, & quod expectant patientiæ præmium, omnis illarum sermo de virtutibus est, & omnem lasciuiã quam seuerissime castigant. Multæ vero sui obliuiscuntur, quia à nuptijs patris sui alienum animum intelligunt.

Quartum malum liberalitas, aut vt rectius loquar, prodigalitas est, qua effundunt omnia vt votis suis potiantur; cum tamen natura sua parcæ, sordideque auaræ sint: verum vt assequantur quod Amore prosequuntur aut odio, Alexander nullus ita largus fuit. Hoc malum quoque nasci-

tur ex impotenti Amore: ſupra enim probauimus Amorem prodigum eſſe. Babylonijs erat Deus Bel in veneratione, quem Ninus incerto Numini conſecrauerat, vt leuaret grauem cephalalgiæ morbũ, quo filius eius Bel affligebatur. Et hinc quidam idololatriam trahere originem ſuam voluerunt. Huic non abſimilis hiſtoria eſt apud Sapientem. Moabitæ addita litera ad nomen Dei Babylonij, ſuum Beel vocauerunt: Palæſtini vero Baal dixerunt. Ita vt ex ſcriptura & hiſtorijs habeamus Bel, Beel, Baal, Beelphegor, & Priapum, vnius idoli diuerſa nomina: cui ſenſualitatis præfecturam commiſerunt. Porro huic Deo templum ſuis ſumptibus auguſtiſſimum mulieres dedicauerunt, adſcripſeruntque ſocietatem, cuius regimen ſumpſit Maacha filia Abeſſalom mater Regis Aſa. Seruiebant autem idolo huic viri quidam effeminati, & in eius templo nebant atq; texebant. Pòſt ipſum cum idolo templum euertit Rex Aſa, vt conſtat ex libris Regum & Paralipomenon. Neque minus prodigæ fuerunt in vitulo conflando: proijciebant enim omnes corporis ſui ornamenta, inaures, monilia, armillas. Vbi nota, quod cum mulieres præ omnibus cimeliorum & mundi ſui tenaciſſimæ ſint; nihil enim præter Deum magis blanditur oculis

Dan. 14.

Sap. 14.

3. Reg. 15.

earum: tamen propter idola appetituum ſuorum profundunt ea ipſa, & deſtruunt. Vt die vno ſolenni feſto interſit mulier, in xenodochio relinquet coniugem ſuum, ibitque onuſta quaſi vnius tabernæ omnibus mercibus. Verum ſi ad diuinam rem ære campano ſignum datur, aut palla aut pileus in quæſtione erit. Per vatem ſuum Ezechielem queritur Dominus de populo ſuo ſub nomine Sponſæ tametſi fœdifragę, quod de auro atque argento & ornamentis quæ pretioſa illi donauerat, ſtratum ſibi compoſuiſſet, in quo fornicaretur: ponderanſque omnia Prophetes, dicit; *ſicut non eſt factum, neq; futurum eſt. Omnibus*, ait Dominus, *meretricibus dantur mercedes: tu autem dediſti mercedes cunctis amatoribus tuis:* & amplius quam mercedes, donaſti enim quæ omnibus alijs ardentius amare, & plurimi æſtimare ſoles. Denique Salomon, mulierum expertiſſimus ſi quis alius, dicit, mulierem fortem & virilem eſſe rem in mundo inſolentem & raram, mercem que pretioſiorem auro & argento, omnibuſque margaritis, quæ de vltimis terræ finibus aduehuntur. *Prou. 31.*

CAPVT XLI.

Amor humanæ pulchritudinis depingitur.

BONA huius vitæ claudet forma seu membrorum elegans ad amussim diuinam fabre composita habitudo, bonum si non summum, de summis tamen non infrequenter triumphans. Plato secundum locum in bonis humanis illi donauit: quam doctrinam ex poesi Simonidis sumptā esse asserit Theodoretus. Athenæus eundum illi gradum & honorem defert, anteponitque diuitijs, amicitiæ, industriæ, victoriæ, eloquentiæ, alijsque bonis compluribus, quæ spectant ad humanam felicitatem. Plutarchus cum Zenone virtutis florem: Homerus & Ouidius donum cælitus & gratuito datum appellarunt. Plato priuilegium naturæ: literas commendatiuas vocauit Aristoteles. Quemadmodum Deus posuit signum in Cain, vt ne quis illum offenderet: ita in formoso homine signum posuit, vt illi omnes bene velint. Isabellæ Hispaniarum Reginæ genere & forma eximius adolescens tradebat literas, quæ illum pro beneficio impetrando commendabant: oculos autem in amabilem vultū eius defigens, Commen-

Lib. 1. & 2. de leg. & lib. 6. de Rep. & in Gorgiam. Lib. de iud. lib. de pu. cap. 21. In Amat. lib. 1. Iliad. lib. 3. de arte.

datio-

dationis, ait, non egebat iſta tua forma. Et Priami formam Poëta vocat dignam imperio. Plutarchus in Nicia pro caſu raro narrat mancipia multa eleganti forma in crucem acta eſſe. Demoſthenes oratorum omnium diſertiſſimus, omnium quoq; celebratiſſimè formam decorā laudauit: cui non modo primum locum inter humana bona attribuit, ſed diuinā quoq; dignitatē. Et quemadmodum res diuinę non pariunt vllum faſtidiū, ita forma elegans nunquam ſatiat: imo vidēdo deſiderium generat immortale. vnde nulla res mortalis cum illa æquiparari poteſt. Audiuerat Pythagoræū quendā, mancipium adeo deuotum huic bono, vt homines omnes Deos Deaſúe aut minimùm Dei imagines nominaret; alluderetq; fortaſſe ad id quod dici ſolet. formā eſſe ſplendorem, & notam, effigiemq; diuinæ faciei. Quintilianus inſigni vſus eſt hyperbole, vbi formā Helenæ dicit in tanto pretio fuiſſe apud Græcos & Troianos, vt hi & illi felicem mortē eius iudicarent, cuius terra hoc pulchritudinis miraculum conſeruaret. Iſocrates Rhetor facundiſſimus, in oratione quam in Helenæ laudem dixit, affirmat Deos ardentius ferociuſque in hoc bello quam in giganteo conflixiſſe. Contra gigantes enim vna concordique manu dimicabant; hic vero pro fama He-

lenæ iudicium Paridis defendebant alij, alij vindicabant: atq; ita tam rara forma Cælum atque terram seditione & bello intestino commouit. Gentiles tametsi cæci perditique essent tam in venerando Deos plures, quos natura non admittit, quam in negando Dijs suis omnem omnium bonorum eminentiam, quorum vno deficiente ipsa quoque diuinitas iam defecit: nunquam tamen vlli Deorum formæ præstantiam tetulerunt. Tantum enim bonũ in hac situm esse autumabant, vt sine eo diuinitas stare non posset. Apud nationes etiam barbaras in eo pretio forma fuit, vt formosior Rex esset. Scribunt quoque Strabo & Diodorus Siculus in Indijs Orientalibus regionem quandam certos iudices habere, qui bimestres infantes visitant, sententiamque edicunt, vitane digni sint an è viuis tollendi. Idem de Æthiopibus narrat Aristoteles. Lacedæmonij formæ elegantiam summe venerati sunt: quare Archidamo Regi in thalami consortem inficetam vultu mulierem assumenti grauem multam inflixerunt. Euripides dicit Ganymedem iure merito raptum ad consortium Deorum ob formæ decorem. Hoc enim inter omnia bona admirantur, adamantque vehementissime: neque enim magni æstimant Ciceronis

Lib. 15. *Lib. 13.*

4. Pol. 4.

facun-

facundiam, aut in dicendo vim Demosthenis, aut Cæsaris triũphos, aut victorias Alexandri: non egent Midæ diuitijs, neque Polycratis faustis successibus recreantur. Dea, quam ipsi Dij adorant, est pulchritudo: quam vbi negauit natura, ars naturæ æmula tam industrie diligenterque imitatur, vt verbis exprimi nequeat. Quot gutturnia sudant aquam ad hunc finem? quam remotis è terris stibium aduehitur? quot instrumenta adinuenerunt mulieris dæmonisque iuncta ingenia? quot remedia ad vitia frontis & genarum tollenda? Olim in Deorum suorum festis solennibus mulieres de formæ præstantia certabant, vti Græci & Romani in Pythijs & Olympijs ludis de agilitate currendi luctandiué. Quæ autem publico suffragio victrix erat, tantum superbia, quantum indignatione deuicta intumescebat. Illa præ gaudio, hæc præ dolore non se capiebat: vt opus pæne esset vtriusque insaniam vinculis cohibere. Inter Lacedæmonios Musæus, inter Parrhasios celebre hoc fuisse Athenæus refert. *Musæus de Hero & Leandro lib. 13. & 33.* Ex certamine hoc effect⁹ ita contrarios natos esse rationib⁹ probari quidẽ potest, sed melius exemplo demonstrabitur. Super forma tres Deæ contendebãt. Iuno nouerca erat, Pallas bellicosa, vi-

rilis, ferox, sine pulchritudinis vllo vestigio, Venus autem omnibus numeris venusta: & tamen Paridis suffragium ita incendit Iunonis Palladisque animum, ita exacuit ad vindictam, vt cum Dij omnes ardere Troiā, atq; Hectoris cadauer ab Achillis equis rapi lachrymantibus oculis cernerent, illæ solæ ostenderent lætum & iam-placatum vultum. Apud Lyricum Europa ita sibi sua in forma placet, vt optet prius venire in escam feris, quam videre pulchritudinis suæ spoliatorem diem. sic enim loquitur.

Horat. 3. Carm. od. 27.

-----O Deorum
Quisquis hæc audis, vtinam inter errem
Nuda leones:
Antequam turpis macies decenteis
Occupet malas, teneræq; succus
Defluat prædæ, speciosa quæro
Pascere tigreis.

Denique cum pulchritudo tam præstans bonum sit, omnium intuentium oculos animamque ad se rapiens, loquentium verba ornans magis quam sapientia vlla, hominum pectora mouens amplius quam omnes Rhetorices figuræ, domina Amoris, vt Lucretius loquitur, domitrix atque imperatrix animorum, non relinquens locum inuidiæ, quæ vermis & tinea est boni alieni: nihilominus quasdam mulieres re-

peri-

perire est, quæ videntes sibi hoc bonum à natura negatum esse, adeoque paucos habere amatores, cum in fenestram vicinæ plurium nobilium oculi defigantur, ibi noctibus singulis audiatur musica, sonet chelys, Amoris denique multa signa demonstrentur, tam mordacibus inuidiæ stimulis agitantur, vt tam diu oderint, quam vixerint. Et illa argumenta quæ ad formæ præstantiam commendandam hactenus attulimus, debilia sunt, quia homines multis in rebus adeo cæcutiunt, vt malum boni nomine appellent, vt dicit Esaias.

Firmiora sunt argumenta, quæ è libris sacris ad probandum hoc bonum petuntur. Ambrosius pulchritudinem vocat figuram bonitatis internæ. Augustinus habet pro cælesti dono atque beneficio. Ecclesiasticus dicit: *Sicut Sol oriens mundo in altißimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus eius.* Et sponsus importune instat, vt faciem sponsæ suæ oculis vsurpet: quam psalmistes ipsam pulchritudinem vocauit; *Concupiscet Rex decorem tuum.* Vim argumento huic addit, quod sæpe miraculose quasdam sibi charas mulieres Deus formositatis gratia donauerit. Elizabetha Hungariæ Regina, & formæ & ornamenti regij negligens in veste communi quotidie ambulabat. Contigit le-

Lib. 2. de Virg.
De ciu. Dei lib. 15. c. 22.
Psal. 44.

gatio-

gationem illustrem adesse, & Regem orare veniam, vt liceret Reginam salute & manus osculo dignari. Regi iniquum videbatur non concedere votum tam leue & iustum; sed displicebat Reginam adeo sui immemorem & plusquam decebat, negligenter comptam viuere. Induxit ergo Rex tametsi inuitus ad Reginam legatos: sed quam præter opinionem summo cum stupore ita plenam veneris & gratiarum, ita pretiose vestitam inuenerunt, vt aliam descendisse à Cælo Elizabetham crederent. Vlyssipone nobilis quædam matrona erat, adeo inuenusta & deformis, vt domesticis, externisque omnibus *ludibrio* esset: quod misellam ita *afflixit* vt proponeret rogare Diuum Vincentium, cui deuotissima erat, vt eam à probro illo liberaret. Iam multas grauesque contumelias deuorauerat, cum exaudita à dicto Sancto, repente tam decorum splendidumque vultum accepit, vt pulchritudinis speculum videretur. Quo miraculo factum est, vt non minus ab Vlyssiponensibus mulieribus, quam à Valentinis ciuibus suis Vincentius celebretur. Facile huic historiæ fidem dabunt, qui in oculos Iudith barbari Ducis deprædatores, suos coniecerit: *cui*, vt ait scriptura, *etiam Dominus contulit splendorem.* Et qui conside-

rabunt

rabunt Esther ingredientem ad Regem, vt deprecetur pro libertate populi sui: cui Deus auxisse decorem atque gratiam creditur, tametsi sacri libri non exprimant. Et tres illi pueri Babylonij habitiores formosioresque euaserunt solis leguminibus vescendo: quod naturæ aduersari videtur. Præter hæc Sanctorum exemplis vita nostra vt sic loquar, pæne confunditur: quatuordecim enim annis Iacob pro forma Rachel seruiuit. Iuris quoque consulti venustati fauent. Extrauagans de Iureiurando determinat, vt si quis in matrimonij fidem iurauerit alicui mulieri, quæ post casu aliquo damnum formæ notabile incurrerit, non teneatur adimplere iuramentum. Idem affirmat Glossa in verbo, Oculos. Et Alexander in hac professione celebris asserit mulierem nobilem, diuitemque, sed deformem, si cum paupere, sed formoso & bene habito contraxerit, legitimè contraxisse. Panormitanus quoque & Antonius de Imola dicunt mulierem venustam dignam esse marito diuite & nobili, sed non etiam formoso. Suffragium vltimum dant cum Medicis Astrologi, qui ex forma corporis animæ formam præominantur. Rasis in hac scriptorum classe princeps existimat fieri vix posse, vt in homine inuenusto sint

cap. Quemadmodum.

venu-

venusti mores. Galenus quoque non vno in loco dicit mores animi corporis habitudini respondere. Et in libro de vsu partium allegat Hippocratem, qui naturam iustam prouidamque demonstrabat in simia, in cuius absurdo corpore inclusit animam adeo ridiculam. Et quos in Iliade sua Homerus à pulchritudine laudat, laudat quoque à virtute: Thersiten vero, cuius nequitia extrema erat, depingit abominabilem, & inter Græcos qui ad bellum Troianum exierunt, maxime deformem. Proclus in lib. de Magia, ait, in omnibus membris corporis Deum expressisse effigiem animæ. Denique pulchritudo est index bonæ complexionis, quæ iuuat maxime ad virtutem. Et fortasse quamuis hæc regula non sit vniuersaliter vera, quia certum est multos virtute præditos fuisse, quibus natura formam negauerat, satis est maiori ex parte non fallere.

Vltimum pro laude & pretio venustatis argumentum dat Socrates, qui orare coactus in huius boni vituperium clausit oculos, vt innueret illum cæcum debere esse, qui formam reprehendendam assumpsisset. Huc allusit Aristoteles, quando dixit à Cælo quærendum esse, paruumne an grande, aut an bonum omnino esset forma: deinde Amorisne an odij caussa.

Ambro-

Ambrosius dicit venustatem auditam non minus delectare quam visam: aut si fortasse non eodem modo delectet, caussam vnam solam hanc esse, quia vix amatur quod non cognoscitur; & oculi formæ sensus proprij sunt atque Amoris portæ, vt loquitur Augustinus. Atque ita saltem hoc concedit Ambrosius, formæ elegantiam tam grande bonum esse, vt sola fama sui Amorem excitet. Et constat multos amasse solo rumore prouocatos. Refert Horatius Sterpsichoren Poëtam oculorum vsum perdidisse, quia Helenæ formam carpserat, neque recepisse prius, quã publicam palinodiam cecinisset. Et Socrates fortasse oculos suos non aperuit, ne postea in hanc Poëtæ pœnam incideret, eosque illi aliquando in æternam noctem Deus vindex clauderet.

Hic commode adscribi potest: Non omne quod lucet, aurum est. Neque pulchritudo diuinis pænè laudibus celebrata tanti est, quanti æstimatur. Sub colore enim niueo aut coccineo, sub facie angeli, sub collo eburneo, sub oculis radiantibus, sub margaritis dentium, sub aureis capillis tam insignis fraus, tam ingens latet dolus, vt recte nominari possit apparens, fictum, & falsum bonum: aut sicut Philosophus dixit quidam, simulata fraus

vel

vel silentium fraudulentum. Et cum duplex pulchritudo sit, vna quæ ex largifluo naturæ fonte hauritur, fucata altera & sudore multo acquisita; rationi consentaneum est, vt damna vtriusque proponamus, quæ Amorem simul ac voluntatem nostram errare non patiantur: sicque methodum illam obseruabimus, quam in omnibus bonis supra examinatis ingressi sumus.

Primum huius boni malum est. quia

Lis est cum forma magna pudicitiæ:

ita vt formosa virgo res insolens sit,

& coruo rarior albo.

Non dico nullam castam & formosam inueniri, ne Virginibus, Martyribusque tam frequentibus iniurius sim, in quibus multos annos certauit corporis simul & animæ pulchritudo. Verum licet in vnam aut forasse alteram hæ duæ conuenerint, discordes erunt dissentientque in alijs pluribus. Huic opinioni assensere in Fastis Ouidius, Terentius in Andria, Propertius, & Pontanus. Iuuenalis dicit in vna suarum Satyrarum, optasse Lucretiam formam deformem, vt ne Amoris caussam Tarquinio præbuisset: ita neque castitatis iacturam passa fuisset, neque vitam sponte sua proiecisset. Et licet ipsa in hoc Amore iuxta omnium sententiam non

pecca-

peccauerit, occasionem tamen peccandi alijs dedit. Dicunt Dares Phrygius, Dyctes Cretensis, & Homerus, incomparabilem Helenæ formam depopulasse Græciam, & Troiam incendisse. Ex scriptura sancta cognoscimus extremũ discrimen, in quod incidit cum sua pulchritudine Susanna: cladem Sichemitarum Principum, ex solo Dinæ adspectu. Et pulchritudo filiarum hominum accendit pectora filiorum Dei; vnde nata est illa fœditas, propter quam totus mundus generali diluuio expurgari debuit. Ezechiel reprehendens Hierusalem sub metaphora mulieris publicæ, dicit: *Habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo: & exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, vt eius fieres.* Ecclesiasticus vero, *Vestigium*, ait, *cordis boni, & faciem bonam difficile inuenies & cum labore.* Hieronymus docet à mulieribus probis formam negligendam, quærendam esse solum ab illis, quæ corpore suo quæstum faciunt. Tertullianus vocat formosum vultum escam voluptatũ: Valerius Maximus stimulum Amoris; Horatius facem appellat. Xenophon probat esse ipso igne ardentiorem: ignis enim propinquos adurit tantum, forma etiam procul remotos. Quotidiana experientia ostendit pericula in quibus viuunt piæ quoq; & sanctæ mu-

Ezech. 16.

Eccl. 13.

lieres, quas formæ beneficio natura ornauit: Dæmones enim ſubtiles ſunt, homines importuni, ganeones fallaces, dona ſplendida quæ multis ceruicem frangunt, cor carneum aut potius cereum, vnde euentus naſcuntur inexpectati. Et dici ſolet, eam quæ prædatur oculos & corda aliorum, aliquando fore quoque prædam, vt delictum ſuum ſoluat eadem moneta. Et ſemper notatum eſt, ægre cuſtodiri, quod multorum patet inſidijs. Quare Antiſthenes roganti cuidam conſilium hoc dedit, vt ne formoſam vxorem duceret, quæ multorum deſideria queat accendere. Quod alijs pluribus plures poſtea alij philoſophi conſuluerunt. Alexandri mater Olympia ineptiæ arguit Monimonem, quod in matrimonij conſortem ſibi Phrynen formoſam mulierem aſſumeret: Niſi fortaſſe, ait, vitam ſuam martyrio libens deuouere velit.

Neque minus periculoſum in viris hoc bonum eſt, cum videamus pulchritudinē Ioſeph pro ſeruo diuenditi ita incendiſſe pectus dominæ ſuæ, vt ſeruum domino anteponeret. Quodam die ad colloquium, alio die ad luctā ventum eſt. Cum hic tam conſtans eſſet, quam leuis illa; hic tam fortis, quam illa debilis; tam honeſtus hic, quam laſciua illa: ſicut qui furentis tauri

cor-

cornua effugere laborat, ſæpe in circo chlamydem relinquit, ita Ioſeph ne Domino ſuo iniurius eſſet, in dominæ ſuæ vnguibus reliquit pallium. Neque tantum animæ diſcrimen formæ adiunctum eſt: ſed corpus quoque ob eandem grauiſſime periclitari ſolet. vt pro miraculo ſit formoſus homo, qui ſine notabili infortunio vitæ ſuæ penſum abſoluerit. Abſalonem capilli auricomi, pars decoris eius potiſſima, in funem contorti, quercui illigarunt. Iezabelis genæ fucatæ mouerunt Ducis Iehu oculos, vt eam de feneſtra præcipitem & canibus in eſcam dari imperaret. Infelicitatem denique eius teſtabantur omnes, cum admirabundi quęrerent: *Hæccine eſt illa Iezabel?* Fieriné poteſt vt tam fortunata principia, ita proſpera media adeo infelicem exitum ſortiantur? Verum ſi ab his ad quotidiana euenta oculos animumque reflectimus, inueniemus plures hodie Abſalones atque Iezabeles. Quot adoleſcentes, virgineſque occidit infelix illa pulchritudo? Quot coniuges formoſis coniugibus inſidias poſuerunt? Quot puellæ coactæ à fratribus, ſæpe à parentibus ducere vitam malam, expectare mortem peiorem? Quæ deformes ſunt, à pœnis tormentiſque ſe, alios à zelotypia atque inſidijs liberant. Quot raptæ ſunt aui-

 dius,

dius, quam gazæ Persicæ? Quibus formam natura negauit, securos quoque ab hoc damno fecit. Quot ex ijs appellantur, pulchræ male coniugatæ? quia pulchritudo vxoris marito sortem infelicem adfert. Quot ex illis morituræ vultum cacoangeli assument, quæ in vita angeli boni faciem habere visæ sunt? Vt summatim dicam, *Fallax gratia & vana est pulchritudo*, inquit Sapiens, quam in pretio habet mulier, & acquirere laborat sudans: quæ vero solicite procurat vt sit *timens Dominum, ipsa laudabitur.*

Alterum huius boni malum est fragilitas: de qua Ouidius.

Forma bonum fragile est, quantumq; accedit ad annos,
Fit minor.

Adeo breue est hoc bonum, vt anno decimo octauo incipere, trigesimo secundo desinere soleat. Quare Socrates breuis temporis tyrannidem appellauit. Vas est crystallinum, pro quo solicitudo maior habenda est vt ne frangatur, quã voluptas hauriatur in bibendo. Verum quia materiã hanc late disputauimus *cap. XXXII. & XXXIII.* hoc vnum dicam stupendũ, quod res tam breuis & fragilis tantã superbiam generet.

Fastus inest pulchris, sequiturq; superbia formã.

Oui-

Ouidij sententiam sequuntur Menander, Petrarcha, Terentius, Propertius & alij. Ioannes Chrysostomus dicit pulchritudinem esse pellem tumidam arrogantia, superbiaque, & contemptu.

Men. dial. 4.
Petr. de remed. Ver. fort. lib. 2.
Terent. in Heautont.
Prop. lib. 3.
Ioannes Chrysost. hom. 2. sup. epist. ad Ephes.

Tertium malum est insipientia atque imprudentia. Formosæ enim mulieres similes sunt pineis, & quercubus, altisque arboribus, quæ aut nullum aut suibus non hominibus vtilem fructum ferunt: humiles quædam plantæ vt cepa & istiusmodi multo ad vitam sustentandam fructuosiores sunt. Et apis vtilior, & prudentior formica est: pauo vero cum picturato superbarum plumarum orbe auis inepta atque inutilis est. Ita pulchriores, imprudentiores mulieres esse solent. Verum si ad imprudentiam hanc formæ præsumptio accesserit, vah quanta fatuitas, vanitas, superbia eas in perniciem trahet! Quod audit, quod credit, quod iubet, quod rogat, quod desiderat, quod in animum eius subitò incidit, bonum, malum, impossibile, possibile, sub specie mulieris formosæ licet. Ita vt forma sine cerebro, sine Deo sit, & omnium malorum malum extremum appellari queat. In Prouerbijs dicitur: *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua.* Quemadmodũ enim sus nihili æstimans aurum, adamantemúe, quo ligata

Prou. 11.

eſt, caput & cum eo circulum aureum luto fimoque immerget: ita formoſa mulier, ſi leuicula eſt, collutulabit formæ ſuæ aurum, ad inhoneſta & ſpurca ſeſe abijciens.

Quartum malum eſt, quod forma non ſit eius qui poſſidet, ſed alienum bonum, puta eius qui fruitur illo, oculoſque ſuos paſcit. Et cum felicitas in fruitione boni conſiſtat potius, quam in bono ipſo; & nemo ſua forma frui poſſit, quod Narciſſo mortis cauſſam dedit: ſequitur non bonũ in forma, ſed in eius fruitione ſitum eſſe. Bonorum enim alia ſunt quæ poſſidet homo & fruitur; alia poſſidet quidem ſed nõ fruitur: iſtiuſmodi autem eſt hoc bonum. Deus vero, qui eſt vna eſſentia ſimpliciſſima, ſua pulchritudine fruitur, quia in eo idem eſt & is qui fruitur, & id quo fruitur. Quod ipſum de Angelis & Beatis affirmari poteſt, qui ſua quoque pulchritudine fruuntur: vident enim illam in ſpeculo diuinæ eſſentiæ. Hic vero non poteſt herus formam inter bona æſtimare, quam neque videt, neque fruitur.

Adderem aliquid de incomodis formæ illius, quam induſtria format fuco atque pigmentis: ſed quia F. Ludouicus *di Leon* *Lib. de coniuge perfecta.* ea tractatu vberrimo comprehendit, tantum hic dicam, quod me non ſemel in ſtuporem rapuit. Cum mulieres pro ſummo

bono

bono pulchritudinem ament, vt quid non desiderant æternam? Eritné in mundo hoc quam magnus est, femina vlla, quæ, si offeratur forma rara, peregrina, denique omnibus numeris absolutissima, ducentis annis duratura, hac lege vt deformitatem duodecim prius annis æquo animo toleret, non acceptet conditionem? An fortasse erit aliqua, quæ pro duodecim annis nō certò duratura pulchritudine sese defatigare, atque enecare volet, vt accipiat execrabilem & dæmoni propriam turpitudinem? Istud hic vsu venit tanto excellentius, quanto præstantiora sunt temporalibus cælestia: & tamen ita cæcutiunt, vt pluris æstiment biduo victuram, quā eam quæ cum Deo suam ætatem metitur & seruat, pulchritudinem. Pro coronide refero quæ Tertullianus scripsit de damnoso virorum & mulierum mutuo aspectu, quod species mulierum non modo viros quamplurimos perdiderit, juxta illud Sapientis; *Propter speciem mulieris multi perierunt*; sed Angelos quoque in interitū rapuerit. Probatque per illum locum Geneseos, *Videntes filij Dei*, per quos intelligit Angelos, *filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant*. Vnde infert mulieris faciem adeo periculosam esse, vt non modo terrā, sed Cælum quoq; ipsum

est, caput & cum eo circulum aureum lute simoque immerget: ita formosa mulier, si leuicula est, collutulabit formæ suæ aurum, ad inhonesta & spurca sese abijciens.

Quartum malum est, quod forma non sit eius qui possidet, sed alienum bonum, puta eius qui fruitur illo, oculosque suos pascit. Et cum felicitas in fruitione boni consistat potius, quam in bono ipso; & nemo sua forma frui possit, quod Narcisso mortis caussam dedit: sequitur non boni in forma, sed in eius fruitione situm esse. Bonorum enim alia sunt quæ possidet homo & fruitur; alia possidet quidem sed nō fruitur: istiusmodi autem est hoc bonum. Deus vero, qui est vna essentia simplicissima, sua pulchritudine fruitur, quia in eo idem est & is qui fruitur, & id quo fruitur. Quod ipsum de Angelis & Beatis affirmari potest, qui sua quoque pulchritudine fruuntur: vident enim illam in speculo diuinæ essentiæ. Hic vero non potest herum formam inter bona æstimare, quam neque videt, neque fruitur.

Adderem aliquid de incom̃odis formæ illius, quam industria format fuco atque pigmentis: sed quia F. Ludouicus *di Leon* ea tractatu vberrimo comprehendit, tantum hic dicam, quod me non semel in stuporem rapuit. Cum mulieres pro summo

Lib. de coniuge perfecta.

bono

bono pulchritudinem ament, vt quid non desiderant æternam? Eritné in mundo hoc quam magnus est, femina vlla, quæ, si offeratur forma rara, peregrina, denique omnibus numeris absolutissima, ducentis annis duratura, hac lege vt deformitatem duodecim prius annis æquo animo toleret, non acceptet conditionem? An fortasse erit aliqua, quæ pro duodecim annis nō certò duratura pulchritudine sese defatigare, atque enecare volet, vt accipiat execrabilem & dæmoni propriam turpitudinem? Istud hic vsu venit tanto excellentius, quanto præstantiora sunt temporalibus cælestia: & tamen ita cæcutiunt, vt pluris æstiment biduo victuram, quā eam quæ cum Deo suam ætatem metitur & seruat, pulchritudinem. Pro coronide refero quæ Tertullianus scripsit de damnoso virorum & mulierum mutuo aspectu, quod species mulierum non modo viros quamplurimos perdiderit, juxta illud Sapientis; *Propter speciem mulieris multi perierunt*; sed Angelos quoque in interitū rapuerit. Probatque per illum locum Geneseos, *Videntes filij Dei*, per quos intelligit Angelos, *filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant.* Vnde infert mulieris faciem adeo periculosam esse, vt non modo terrā, sed Cælum quoq; ipsum

scandalizet. Atq; ideo vult precepisse Apostolū, vt *mulier velamen habeat supra caput suum, propter Angelos*, quibus in principio mundi conditi ad perniciem dedit occasionē. Cuius opinionē postea cum Lactantio multi graues sanctique autores secuti sunt; quorū errorem manifestarunt Chrysostomus, Hieronym⁹, & Augustinus. Placuit autē mihi referre hanc opinionē licet falsam, tanquā hyperbolen aptā demonstrare damna, quæ parit decor femininus: quia si aspectus eius in Cælis tam grandem cladē fecerit, quā non dabit in terra stragē hominū debilium & omnibus modis miserorū? non habent enim robur Angelicū: neq; solū in vnam faciem oculos defigunt, sed pedes quoq; eius mirantur, numerant gressus, tripudia metiuntur, alloquio detinētur, audiunt musicā, omni omniū Syrenarū cantu suauiorem. Sed iam satis multa dixisse videor, quæ moueant hominibus nauseā muliebris cōuersationis, stimulent ad earū fugam, cogant deniq; omnem illarū aspectum declinare: veruntamen si fortasse nō possumus feminea prorsus carere societate, quia vt quidam ex Sapientibus dixit, mulier necessariū malum est; saltem acquiescamus consilio Democriti, qui rogatus cur vxorem adeo breuem duxisset, respondit: Ex malis minimum elegi.

1 Cor. 11.

Lib. 2. c. 15.

Hom. 22. sup. Gen. Hier. & August. in quæst. sup Gen. & de ciuit Dei lib. 12. c. 24.

Cap. XLII.

CAPVT XLII.

Epulandi Amor carpitur.

INter humanas delicias luxus cõuiuiorum non immerito numeratur, ſcilicet cui mortalium plurimi adeo immerſi ſunt, vt ventrem pro Deo ſuo habeant. Scribit hoc lachrymans ad Philippenſes Paullus, cum non niſi aliam vnam preter hanc epiſtolam lachrymans ſcripſerit. *Multi ambulant*, inquit, *quorum finis, interitus*; qui boni malique terminum mortem habent (quorum perſonam aſſumpſit Sapiens quando dixit: *vnus interitus eſt hominum & iumentorum*) *quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione* atque inhoneſtate *ipſorum.* Quæ vt intelligantur, notandum quod dicunt Origenes & Chryſoſtomus; ſcilicet hominibus ſingulis ſingularem affectum eſſe atque idolum, cui animum mentemque conſecrant. Quoſdam delectant mundanæ deliciæ, quoſdam diuitiæ, honores appetit alius, alius proſapiæ ſuæ toto affectu incumbit. Hoc eſt quod Poeta dixit:

----Trahit ſua quemq; voluptas.

Et quemadmodum ad mandram ſuam iu-

Philipp. 3.

Ecleſ. 3.

Orig. hom. 2. ſuper lib. Iud.

Chryſoſt. ſuper ep. 2. ad Corinth. c. 14.

menta omnia alligantur, quæ non nisi pabuli curã habent: ita desiderijs suis aduinciuntur homines, & quasi illis vnis continuo pascuntur. Neque satis probè scio, an Poëtis non fuerit libitum vocare mundum hunc domicilium insanorum; quod
Esa. 24. Amos 3. nomen illi apud Esaiã & Amos Dominus imposuit. Nam sicut in domo, quæ phreneticos asseruat, varia insaniæ signa eduntur: ita in mundo. Ab eo liberari postulabat Dauid, cum diceret: *Proba me Deus,*
Psal. 138. *& tenta cor meum. Et vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna.* Domine affectiones & desideria mea examina, quæque non sana deprehenderis, corrige: vias quoque meas inspice, & si fortasse aliqua non recta aut deuia est, obsecro, dirige. Hieronymus legit: *Et vide si via idoli in me est:* si in desiderijs meis aliquod idolum est, quod te offendit. Videtur alludere ad id, quod Patriarchæ Iacob vsu venit, qui absolutissime cõfidebat intra suos parietes nullum latere idolum: quare socerum suum visitare iussit, & euoluere omnia: sed vxor eius occuluerat. Ita dicit Psalmistes; Domine eandem habeo quam olim Iacob, fiduciam: sed homo sum, decipi possum, vt fortasse quod ego nescio caro mea abdiderit idolum aliquod. quare, quod oculi mei non deprehendunt, tu

inue

inuestiga, an tale aliquid inter affectiones meas delitescat. Quare cum appetitus hominum varij Deos multiplicent, dicit quosdam ita cibo potuique inhiasse, vt venter illis pro Deo esset. Hugo Victorinus ad hæc Paulli verba dicit olim in more fuisse Deis templa consecrare, offerre victimas, thus adolere, sacerdotes deputare: omnia autem hæc ventri conuenire. Templum coquina est, altare mensa, victimæ aues & animalium carnes quæ pro hostiis inter conuiuandum dissecantur, sacerdotes & ministri sunt condipromi, coqui, & mediastini; incensum dat mensæ rectus apparatus. Hos Paullus appellat *inimicos Crucis & Christi*. Non enim omnes cruces oderunt, quas aliqui assutas chlamydi aut thoraci circumferunt, & plurimi æstimant, sed solius Crucis Christi inimici sunt. Vnde sequitur eos amicos esse crucis rubeæ, candidæ, aut viridis quæ in pectore deportatur, sed Crucis Christi inimicos. Illa enim in immunditia & gula; hæc in aceto & felle sita est. Illa fixa est in pectore hominum imtemperantium, & bestialiũ magis, quã equi quibus insident; hæc in pectore pœnitentiũ & lachrymantiũ. Vnde nõ omnes aut semper amici sunt: & hinc enatũ est prouerbium, quo dici solet, Dæmonem non fugere omnes cruces.

Damna huius vitij principalia sunt: torpescit intellectus atque obbrutescit, perit anima, violatur sanitas, & vita abbreuiatur. Primum damnum grauissimum est, quia intellectus homini seruit pro ductore, qui omnes eius operationes dirigat: est lux à Deo animæ data, vt in huius vitæ tenebricosa nocte videat Dei mirabilia, atque ita in cognitionem Amoremque eius veniat. Porro hæc lux à multo cibo obruitur: quia humorum densa materies quæ ex illo generatur, suscitat in nobis puluerem, vaporemque tam spissum, vt obnubilet cæcumque reddat intellectum, qui nauarchus & nauis nostræ gubernator est. Porro si id quod lumen dare natum est, nox occupat, quid de ijs erit, qui hoc sequi debent? Esaias minatur grauissime
Esa. 28.
populo cuidam perdito & superbo, qui Prophetis, sacerdotibusque, & sermonibus eorum illudebant: nihil enim aliud toto die vociferabantur, quo audientium capita transuerberabant, nisi hoc vnum: *Manda, remanda, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi*, hoc orationis exordium, hoc confirmatio, hoc epilogus erat: hoc iterum atque iterum repetebant. Reddensque caussam impudentiæ huius ac contemptus Propheta, dicit: *absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate.* Et paullo infra

ſra rogat: *Quem docebit ſcientiam* Dominus? *& quem intelligere faciet auditum?* Et reſpondet: *Ablactatos à lacte* & mundi delicijs, *auulſos ab vberibus*, qui non debent vt puer uli delicate enutriri. Idem dixit Iob. Rogat: *ſapientia vbi inuenitur?* Reſpōdet autem: *non inuenitur in terra ſuauiter viuentium.* Baſilius docet ideo Moyſen in deſcenſu montis legis tabulas confregiſſe, quia cibo potuque diſtentum videbat populum ſuum: indignum namque & inconſultum ei videbatur credere legem hominibus vino ciboque oppletis, & vniones ſuibus obijcere. Deus enim legis ſuæ intelligentiam non dat niſi obſeruantibus, ac timentibus eam: vt ille ipſe dixit apud Pſalmiſten. Commiſeratione dignum factum. quod enim quadrginta dierum ieiunio vnus vir meritus fuerat, hoc epulandi ſuperfluitas vna nocte deperdidit. Idem Baſilius in quadam homilia dicit inutilem eſſe clamorem, qui fit ad eos quorum ſtomachus adhuc grauatus eſt crapula pridiana: tam potens enim eſt vt hominibus vſum tollat oculorum, aurium, aliorumque ſenſuum, & in beſtias transmutet, iuxta Eccleſiaſticum, *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes.* Ex hiſce tenebris quas intellectui ingurgitatio multa generat, naſcitur animæ peri-

Iob. 28.

Eccl. 19.

culum:

culum: ſubito enim voluntas pro bono malum, pro dulci amarum, turpe pro eleganti appetit, quæ viam ad interitum rectam ſternunt. Nulla Dæmoni obtingit commodior hora incitandi pectus hominis ad quamuis culpam, niſi quando illum ſaturum videt. Quare Iob prius quam menſæ accumberet, cum à famulis accerſeretur, ſolebat recedere ad aliquem domus angulum ſecretum, & ibi lachrymis

Iob. 3. precibusque ſeſe præparare. *Antequam comedam*, ait, *ſuſpiro: & tanquam inundantes aquæ, ſic rugitus meus.* Domine ſerua me, ne quid hic in te delinquam, ne perdam te aut obliuiſcar, abſorptus edendi voluptate. Domine, quot deſiderant ea, quæ mihi ſuperant, qui tibi melius quam ego, obſequuntur? Neque accedere audebat ad prandendum prius, quam ſe huiuſmodi oratione muniuiſſet. Quid egiſſet igitur, ſi ad menſam Angelorum, ad corporis Dominici communionem vocatus fuiſſet? Quando porro *filij eius faciebant conuiuium per domos, vnusquisque in die ſuo, Iob ſanctificabat illos: conſurgensque diluculo offerebat holocauſta per ſingulos. Dicebat enim: Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordib9 ſuis.* Si filij tam pij ſanctiq; patris ab epulo tam non pij ſurrexerint, quomodo vos à conuiuio redire putatis? vos

qui

qui nullo vnquam sacrificio vos Deo offertis, neque scitis quid sit commendare se precibus religiosorum, quos ne recto quidem oculo intuemini, neque succurritis elemosyna, vt Deus vobis propitius sit, & peccantibus conniueat. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Quando Israëlitæ vitulum aureum conflarunt, ab epulis ad idololatriam surrexerunt; quod significat vox *ludere*. Gentiles enim Deorum suorum festa celebrabant ludis & tripudijs: quem ritum Hebræi imitati sunt. Vnde cum ex monte descenderet Moyses, dixit: *vocem cantantium ego audio*, vocem festi & iubili: Ita explicarunt nonnulli locum illum Geneseos, qui dicit Ismaëlem filium lusisse cum Isaac: dicunt enim struxisse illos aras paruulas, in quibus statuas minutas, siue sigillaria collocauerint, quæ adorarent. quod in ætate illa pueritiæ quidem indulgendum erat, postea tamen ad idola colenda deflexit Ismaël, & posteri eius. Filios Heli primum gula perdidit: non satis erat illis quod sacrificij partem acciperent ex carnibus quæ coctæ offerebantur, sed contra Dei legem crudam eripiebant è manibus sacrificantium. Vbi tamen Dei magnum beneficium notari potest, quod non nisi carnem coctam eis dari voluerit; vt doceret mise-

Gen. 32.

Gen. 21.

ricordiam præsertim sacerdotes: potuissent enim crudam salire & seruare, coctam vero diuidere oportebat. Postquam vero egregiè helluati essent, cœperunt tractare ex ventris saturitate ea quæ infra ventrem sunt, vt fieri solet: adeoque & sacerdotio & vita eos Deus priuauit. Dicit Iob, vt supra annotauimus, sensualitatem *ignem esse vsque ad perditionem deuorantem omnia, & omnia* virtutum *eradicantem genimina.* Exstirpat omnia, nihil relinquit, non pietatem, non salutem, non vitam, non animam. Ignis hic sua ligna, & fumum, & cineres habet. Ligna quæ accendit, dat ciborum affluentia: fumum facit infamia: cineres congregat infirmitas fastidiosa & molesta vsque ad mortem. Hieremias circuibat vias Hierusalem, & quærebat in plateis eius virum aliquem iustum, cumque ad diuites venisset, inuenit eos reliquis omnibus nequiores, explicansque flagitia eorum, dicit: *Saturaui eos*, cibo potuque se infarserunt, *& mœchati sunt; & in domo meretricis luxuriabantur: Equi amatores & emissarij facti sunt. Vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat.* Itaque sine his lignis non ardet concupiscentiæ ignis, siue, vt Comicus dixit, sine Cerere & Baccho friget Venus. Adolescentes Babylonios, qui de Regis mensa pollui noluerunt, non

Iob. 31.

Hier. 5.

corri-

corripuit hæc ſenſualitatis flamma. Hieronymus ad Furiam, Si quod ſentio, ait, tibi ſcribendum eſt, nihil inuenio quod corpus humanum magis ad impudicitiam exſtimulet, quam ciborum abundantia. Et ad Euſtochium, Sponſa Chriſti inſtar veneni vinum fugiat, hoc enim principale Dæmonis machinamentum eſt, quo iuuentutis muros quatit. Non excitat tam graue cum auaritie, ambitione, aut ſuperbia bellum; ſed ſenſualitatis appetitum laceſſit indeſinenter, quia hunc intra mœnia noſtra hoſtem circumferimus quoquo ambulamus. Quare ignem alteri igni, aut oleum flammæ ſuperinijcit, qui vinum adoleſcentiæ commiſcet. Sicut fons, ait Baſilius, qui in prata deriuatur, venenatas herbas progenerat; ita vinum & cibus ſparſa per vniuerſum corpus producunt venenata & laſciua deſideria. Chryſoſtomus dicit neceſſarium eſſe, vt gulæ mancipium frequentiſſime delinquat volendo & nolendo. ſicut enim ratem demergit pondus inæquale: ita animam, & eius gubernatorem cibi potuſque onus ingens. Additque, bouem poſtquam arauit fœnum accipere, equo dari auenam poſtquã ambulauit: gulones vero conſurgere mane, vt loquitur Eſaias, ad ebrietatẽ ſectandam & potandum vſque ad veſperã, atque

Serm. de abdicatione rerum serm. contra luxum & crapulam.

Eſa. 5.

ita boue atque equo ineptiores esse. Denique, sicut humore abundans terra, inquit, vermes procreare solet: ita vaporibus ex vini cibique affluentia natis innatans corpus progignit desideria non recta. Augustinus, Qui, inquit, in speculum intuetur puluere sordibusque obsitum, non potest sui figuram agnoscere, alium enim ab eo qui est repræsentat: ita cibo potuque oppletus homo naturalem sui effigiem non inueniet. Pluuia rara terram penetrat & fœcundat; nimbi violenti lacunas aperiunt, in quibus animalium herbarumque nociuarum genimina pronascuntur: ita moderata refectio frugiferam reddit animam, luxus implet mille malis. Dicit Ecclesiastes, *Melius est ire ad domum luctus*, vbi mortuus aliquis plangitur, *quam ad domum conuiuij, in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit*, delictique sui pœnitet: in hac vero peccatis se onerat & ad iter perditionis ineundum viatico se præparat. Hoc docet seruos furari & peierare omni hora; negotiatorem fallere & vsuras illicitas contrahere; equitem domum & prædia sua oppignorare; virginem se prostituere; coniugem parui honorem pendere; viduam denique à publico non abstinere. Ita Esau *accepto pane & lentis edulio comedit, & bibit, &*

Eccl. 7.

Gen. 25.

abijt,

abijt, paruipendens quod primogenita sua vendidisset. Eua vnius pomi esu generis humani incomparabiles thesauros perdidit. Et hodie millia multa animarum velut pisces esca capiuntur. Denique qui ad perfectionis apicem ascendunt, carnis macerationem primum gradum faciunt: hæc enim hostis adeo potens feroxque est, vt si plenis viribus in campum exire illi liceat, celeberrimas de spiritu victorias queat reportare. Nobiscũ sentiunt Horatius, Hieronymus, Cyprianus, Isidorus, Doctor Angelicus. Hieronymus ad Eustochium, monachum illum vt delicatulum notatum fuisse scribit, qui herbis coctis vesci ausus fuisset. Asinus enim quem nimis laute tractaueris, recalcitrare incipit, iuxta illud Deuteronomij: *Incrassatus est dilectus, impinguatus, dilatatus, & recalcitrauit.* Idem Philonis, Eusebij, & Cassiani iudicium est: Mancipium castigare verbis non sufficit, ad flagra sæpe veniendũ est. Sunt in mundo nonnulla, quæ inter mala censere opus est, quia malum bono, bonum malo remunerant. Ita mus ponticus verbera bono odore compensat. Et quosdam seruos reperies ita sceleratos, vt si eos hodie vestias, blanditias loquaris, gladio accingas; cras illum audant in te stringere: eosdem si mastige demulseris, genu flexo tibi

Gen. 3.

Horat. lib. Serm. Hier. ad Nepotianum. Cypr. de ieiunio & tentatione Christi. Isid. de summo bono. Thom. 2. 2. q. 25. a. 3. Deut. 32.

seruient. Ex eodem remigio sunt caupones multi. Si diuerteris ad pandocheium aliquod, vbi hospiti mulieriq; ac liberis, ipsi quoque feli abblandiri volueris, non proderit tibi, nisi vt symbolum à te maius exigant: credunt enim hominem munificum te esse, & facilem promptumque dare quidquid petitur. Si paucis post diebus illuc reuerteris, nemo te agnoscet. Non meministis adeo liberaliter effudisse me nuper, quidquid rogabatis? Domine, tam frequens viatorum numerus est, vt memoria nos facillime fugiat. Verum si pro symbolo litem moues, aut hospitem feris, aut non soluis quod petiuit, non erit minimus à stabulo puer, qui te redeuntem non probe cognouerit. Ita vt beneficia in puluere, maleficia in marmore scribantur. Hic mos palatinus est. Seruies alicui Dynastæ à puero, panem inuenies donec præ senio dentes omnes amiseris: equum vnum, donec vires tibi ad inscendendum defecerint: & lectum, in quo cum requiescere diutius prohibeberis, & vitæ diem vltimum imminere videbis, tritam illam conclusionem Theologicam repetes, quæ frequens in ore eorum est, qui laborum suorum præmio fraudantur: Si tam diu fideliter Deo inseruijssem, vt domino huic meo, quam felix & beatus forem. Quare dum

ætas tibi integra est, palatia diuitumque aulas desere, & tuo te tuguriolo include: subito audies mille voces acclamantium, Quantum honoris per illum palatio huic accedebat? quot defectibus occurrebat? quam nunc alia domus est ab ea quam ille reliquit? Ex numero quoque eorum est mulier mala. Amicè illi loquere, adulare, obsequere, oppignora temet vt nihil desiat eorum quæ desiderat, in barbam tibi insiliet & oculos eruere conabitur: verum si pugno illam frequenter salutaueris, aliquando fuste exdorsuaueris, raro serenum vultum illi ostenderis, adorabit te, & suimet immemor vt tibi placeat, vestigia pedum tuorum exosculabitur. His adiungere possumus Dæmonem, mundum, & carnem. Quomodo præmiet suos Dæmon, iam scimus: mundus autem peius suis stipendium soluit. Exemplo tibi sint heroes & summates viri, qui mulieribus obsequia sua dedicarunt; aulici, qui in Regum palatijs thesauros suos effuderunt, pignori ditiones suas dederunt, vt famulorum longum ordinem post se traherent, epulas Pontificias instruerent, spectacula & ludos præberent, munera opulenta offerrent, facerent pro more aulico sexcenta alia, quorum nulla viuit apud mundum memoria. Si roges, an te

cognoſcat, cum hoſpite reſpondebit: Ta
frequens tranſeuntium numerus eſt, v
Eccl. 1. memoria me omnis fugiat. *Generatio pr*
terit, generatio aduenit. Carnem quoque
tractes molliter hodie, cras in te impetu
faciet: verum ſi rationi eam tametſi in
tam ſubieceris, fiduciam concipe no
ceſſurum te mundo Dæmoniue in pr
dam. Duo enim duobus oppoſiti ſunt,
æqualiter diuiſi belligeratores. Verum
illa nobis quoque repugnat, quis de trib
ita potentibus furentibuſque aduerſari
victoriam ſperare poterit? Quare manc
pij inſtar cohibenda eſt, non mollienda
palpo; ne ſubito in os tibi inuolet vt
blande habitus ſeruus, & perdas quid
quid in eam inſumpſiſti. Pro Dina He
Gen. 34. mor ſe & ſuos circumcidi paſſus eſt, &
perdidit ſe & ſuos. Perit, quidquid pr
Dina fit. Nemo pater eſt, qui non caſtige
filiam honoris ſui negligentem: ita æquum
eſt caſtigare corpus & in ſeruitutem cum
1. Cor. 9. Apoſtolo redigere. Inimici domeſtic
alijs longe nequiores eſſe ſolēt. Gabaonita
vicini erant, & inſigni aſtu Ioſue deluſe
runt; non deſtruxit eos tamen ſed ſeruos
ſibi fecit, & ſeruili more tractauit: ita car-
nem nobis inimicam quia deſtruere fundi-
tus non conuenit, ſaltem velut mancipi-
um coërcere debemus, vt ſciat ſibi facien-

dum

dum esse, quod Domino placitum esse viderit. Paullus ad Galatas scribens, damna carnis & fructus Spiritus sancti disponit velut castra contraria: eo autem inclinabit victoria, quo anima propenderit. Porro anima nostra in se diuisa viuit, & quæ vna est, aliquando se duobus modis regit: nunc rationis pręcepta sequitur, nunc carni obtemperat. Cum ratione volat super pennas ventorum, cælestibus innixa cogitationibus: cum carne præceps ruit in profundum sorditiei. Ex caussis ita imparibus succedunt casus admodum diuersi: vnus est, quo homo spiritualis, alter quo carnalis appellatur. Illo in Cælum conscendit, & cum Angelis Beatisq; conuersatur. tanto enim gaudio carnem afficit spiritus, vt ipsemet Paullus dicat: *Scio hominem in Christo (siue in corpore, nescio: siue extra corpus, nescio: Deus scit) raptum huiusmodi vsque ad tertium Cælum.* Hoc ego scio, & iureiurando confirmare ausim, Paullum saturum non confecisse hoc iter: nam, vt ait Chrysostomus, differunt à nobis bruta, quod illa post pastum leuiora sint, grauiores homines. Ita vt homo spiritualis volet, carnalis demergatur: *corpus enim quod corrumpitur* graue est, *&* *aggrauat animam.* Quod intelligendum

2. Cor. 12.

Sap. 9.

eſt non de ordinario tantum pondere, quo ſpiritus à corpore oneratur, ſed de incommodo quod ex eius conſortio reſultat: ita enim moleſtum eſt, vt corpore terræ mandato, anima quieſcere nequeat, donec ad pœnas æternas & ipſum quoq; ſurrexerit, conſors enim particepsque carnis fuit: caro vero prolabens ſecum trahit animam in ruinam. Ita ſæpe viſum eſt, aquis immerſo auxiliari conantes, cum eo cui opem ferebant, abreptos eſſe & perijſſe. Et æquum videtur, vt quos tam arcta neceſſitudo in vita coniunxit, mors non diuidat, & anima quæ ſicut caro vixerat, cum carne mortem vltimam moriatur. Itaque non blandiri, ſed ſubſternere oportet. Si enim Paullo repugnauerit, à quo caſtigabatur quotidie, vt ſe infelicem nominet; quid ſperare poterit, qui belle delicateque eam eduxerit? Dicit Eccleſiaſticus tria eſſe, quibus aſinum herus pro nutu ſuo quo vult flectit: *Cibaria, & virga, & onus.* Seruum obedientem faciunt totidem, *panis, & diſciplina, & opus.* Carnis tormenta licet plurima ſint, quæ illam refrænant, & intra terminos regulaſque certas cohibent, nullum tamen potentius eſt quam cibus vnciatim diſpertitus, quantum na-

Rom. 7.

Eccl. 33.

naturæ neceſſitas poſtulat. Nonnulli ſunt, ait Chryſoſtomus, qui aduerſus Dæmonem ſe muniunt cilicijs, humi cubant, ambulant excalceati, laceram induunt veſtem, ſed bibendi & edendi regulam non habent: hi, inquit, ſimiles ſunt illis qui ſe papyro obarmant aduerſus ſtrictum inimici mucronem. Paullus; *Qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* Cælum luctæ aut curſui comparat, quem in ludis ſuis Græci ac Romani exercebant, imitantes Herculem: qui ſcribitur ſpatium centum & viginti quinque paſſuum vno curriculo vnoque ſpiritu abſoluiſſe. & huic curſui locum deputatum Paullus ſtadium appellat. Præterea qui ſe hic exercebant palæſtritæ, ex agilibus hominibus erant, cauentes ſibi ab omnibus quæ ad luctam curſumué ineptos reddere poſſunt: velociſſimis autem aſſignata erant præmia per diribitores diſtribuenda. Horum ludorum Agellius & Plinius meminerunt. Dicit ergo Apoſtolus. Qui die ad certamen hoc conſtituto currere debet aut luctari, licet multa fortaſſe illum ad edendum bibendumúe inuitent, nihil vult tamen, quod ſpem præmij queat interturbare: quid autem præmij expectat præter ſertum floreum, quod marceſcit prius quam victoriæ locum egrediatur, &

1. Cor. 9.

Agell. lib. 1 noct. Attic. Plin. lib. 2 cap. 2.

vix diebus quatuor seruari potest: nos vero qui expectamus coronam immarcescibilem; inuitati epulo dapali, cœna geniali in qua vsque ad vomitum desidendum est, non possumus abstinere ab eo, quod tam grauia nobis damna parturit? Mulier quæ obesam se animaduertit, aut quia nimis auide lauteque se pascit, aut quia natura nutrimentum ita auare seruat, vt redeat ad priorem macilentiam & formæ decorem parce comedit, & ieiunio pinguitudinem suam castigat: nos vt Deo formosi videamur, non desinemus gulæ nostræ satisfacere? Satis superque de incommodis, quæ à crapula patitur anima.

Damna vero quæ corpus incurrit sunt ea, quæ supra attulimus: loculi exhauriuntur, violatur sanitas, vita absoluitur. Dicit Chrysostomus nihil sapidius esse, nihil salubrius, nihil quod stomachus facilius digerere queat, quam victus moderatus. Hic parit voluptatem ingeniumque acuit; nimius generat mille molestias, ægritudinesque. Denique mala omnia quæ à fame, eadem & multo grauiora ab ingluuie progignuntur. Fames enim facili negotio placatur, crapula vero occidit hominem sensim, quod cruciabilius est. Darius ab Alexandro victus, in fuga sitim extinxit hausta fæculenta in itinere aqua, iurauitque

que nullum ſibi vnquam vinum ita dulce ſapuiſſe. Hieronymus narrat diuites aliquos podagricos aut alio morbo elanguidos, aduerſante fortuna ad paupertatis terminos redactos & in xenodochio animam agentes, priſtinæ ſaluti reſtitutos eſſe: nam ſicuti diuites quiete, ita valetudine bona priuat ſaturitas. Eſaias loquens de helluonibus, qui luceſcente die rogant confeſtim; quid edemus hodie? dicit: *Propter hoc dilatauit infernus os ſuum.* Propter exceſſum hunc, ait, ita incraſſantur, vt ſepulchra communia eos non capiant. Gregorius Nicenus explicans hanc orationis Dominicæ particulam, *Panem noſtrum quotidianum*, poſtquam dixiſſet Deum docere modum quo vitæ neceſſaria poſtulanda ſunt, deinde Angelos non rogare quia ad cæleſtem menſam accumbunt, homines vero pati vacuum, quod ſolo pane reparandum eſt; quando autem inanitatem hanc Deus emendauerit, ſimiles Angelis fore & nihil rogaturos; addit: Non vult Deus vt delicias deſideremus, ſed panem ſolum; quia Dæmon quando Euæ inſidiabatur, ſerpentis figuram induit, animalis callidi, trahentis facile totum corpus, quocumque caput immiſerit. Hoc Eccleſiaſticus innuit: *Quaſi à facie colubri fuge peccatum.* q. d. vbi caput in nobis Eccl. 21.

pecca-

peccatum semel deposuerit, vix ab ingressu pleno prohibebimus. Caput ergo serpentis huius fuit damni vniuersalis exordium, puta esus pomi: statim subsecuta est nuditas, dolor, ægritudo, mors. In Euangelio sæpe vocatur Christus ad manducandum panem, & conuiuium panis nomine vocatur: præter panem enim non adhibebantur magnæ lautitiæ. Quia, vt dicit Plutarchus, olim in varios vsus diuitias suas effundebant, prudenter alij & recte, alij non recte & stultè: nunc vero pecuniæ omnes in ventrem immerguntur. Quando Christus solenne illud epulum quinque conuiuarum millibus instruxit, dixit Andreas: *Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos & duos pisces, sed hæc quid sunt inter tantos?* Nihil difficultatis inuenit in eo, quod hordeaci essent, qui cibus pauperum esse solet in extrema annonæ caritate, sed non sufficere credidit tantæ multitudini. Et sicut panes multiplicauit Christus, ita embammate aliquo pisces condire poterat: noluit tamen, vt significaret à Cælo nunquam defore nobis quæ ad vitam sustentandam necessaria sunt. gulæ vero delicias industriæ humanæ filias neque dabit, neque vult rogari. Lanam subministrabit, qua te vestias, sed eam velut pauonis caudam picturare ars

Ioan. 6.

com-

commenta est. Immo quia opulenti tan-
tum luxum excogitarunt, pauperibus oc-
cluserunt sua viscera. Amos id graphice
expressit. *Qui dormitis in lectis eburneis* qua- *Amos. 6.*
si suauius in illis somniaretis, *& lasciuitis in*
stratis vestris, bibentes vinum in phialis, &
optimo vnguento delibuti : & nihil patieban-
tur super contritione Ioseph. i. afflicti non mi-
serebantur. Luxus impietatis huius geni-
tor est. Non æstimant pecunias, quæ in
mensam, vestes, & voluptates alias effun-
duntur, pauperis autem nemo meminit.
Hunc viuendi modum diuitibus præscri-
bit Stygius legislator, qui in suum oblecta-
mentum omnia sua dilapidant, & prodi-
gi erga se, in alios crudelissimi sunt. Dixit
Christo diabolus : *Hæc omnia tibi dabo.*
Quidquid vides, meum est : si vis tuum
erit, ita tamen tuum, vt deuores conti-
nuo, & omne in delicijs animi voluptati-
busque tuis insumas. Idipsum dixit Euan-
gelicus diues: *Anima* mea, *habes multa bona* *Luc. 12.*
posita in annos plurimos : requiesce, bibe, *co-*
mede, *epulare*. Sui tantum, alius non me-
minit. Basilius ad hunc locum, Quid in-
eptius, ait, quam animæ dicere vt bibat,
comedat, epuletur? porcine an bruti, for-
tasse alterius est? Et respõdet, nõnullos es-
se, quorum anima quoque comedit. Con-
firmatque hac ratione : Quia bestia futu-

ra

ra, ne verberibus quidem cogi potest, vt amplius comedat: homo vero plenus iam ciboque distentus, qui si brutum animal esset à cibo omni abstineret, amplius atque amplius ingerit propter animam, redditq; quod sumpserat, resumitq; quod reddiderat iterum atque iterum, ita vt quod corpus non patitur, in corpore admittere anima non erubescat. Porro quanto opere Dei bonitatem misericordiamque offenderit, serio intellexit ex voce, quæ aures illius perculit, dicens: *Stulte, quæ parasti cuius erunt?* Non gustabis ex ijs, quæ animæ tuæ condidisti & condiuisti: *hac nocte repetunt à te animam tuam.* Plura alia huius vitij mala enumerat Ecclesiasticus, & per omnes vbique sacros libros in gulones illud væ adeo frequenter repetitur, tot pœnas tam seuere de ijsdem Deus sumpsit, vt inter huius mundi clientes, se cogitare possint perditissimos. Legi poterit *Deuteronomij caput 21. Hieremiæ caput 25. & 31. Ecclesiastici.*

CAPVT XLIII.

Luxus vestium damnatur.

AB inani gloria nascitur hoc vitium, adeoque mentes hominum fatigat hodie, vt ne dormire quidem securos patiantur. Laborat enim in somnis humana industria, quomodo se postridie induat, & in non vsitato compareat apud populum vestimento Famosi sunt hoc vitio Hispani. Quare ingeniosus quidam pictor exprimere volens varia omnium nationum indumenta, Hispanum delineauit nudum, cui mensam apposuit & in ea pannum atque forfices, vt ille ipse sibi quam vellet formam effingeret: quod nouo semper vestiendi genere delectetur. Mathematici terræ climata, cælique influentias examinantes, varia varijs populis vitia adscribunt. Scytas crudeles, Afros infidos, Syros auaros, leues Italos, stupidos Gallos, Germanos ebriosos, vanæ gloriæ cupidos Hispanos notant. Recte superbos, & vestium nouos interpolatores eosdem vocant: simul enim habitant fastus & vestium luxus, & hic illius index certissimus est: vti baltheus militiā, fumus alchymisticus ignem, vinum

venale hedera, arteriæ moderat⁹ pulſus ſanitatem: cordis ſuperbiam indicat veſtis laborata. Hoc expreſſit Eſther, quando auſa fuit introgredi in adyta regiæ, & non vocata venire in conſpectum Aſſueri. Edictum enim erat, vt qui huc penetraſſet, interficeretur confeſtim, niſi forte Rex aurea virga ſignum clementiæ dediſſet. Induta ergo cultu regio, & multiplicibus ornamentis, quibus mundi muliebris nomē ſcriptura imponit, conuertit ſe ad Deum, ſupplici prece rogans eum auxilium in neceſſitate communi. Porro inter rationes, quibus flectere Deum conabatur, hæc vna

[E]ſth. 14. erat. *Domine tu ſcis neceßitatem meam, quod abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ, & deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ.* Tranſuerſos multorum animos rapit hæc vanitas, quos in pſalmo quodam Dauid egregie depingit. Sunt in mundo homines, inquit, *quorum filij* ambulant veſtiti *ſicut nouellæ plantationes in iuuentute ſua. Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ vt ſimilitudo templi*: videntur in

[P]ſal. 144. Eccleſijs aræ ſummæ eſſe. Citatque applauſum quorundam ſtultorum; qui *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt.* At ego aio, dicit Dauid: *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius*, licet in calonibus, aut

pe-

peronibus ambulet. Occurret aliquis : vt quid ergo diuitiæ, ſerum lana, opera Attalica ſunt, ſi vti non liceat? Huic Cyprianus ita reſpondet. Vult Deus quidem vt omnia hominis vſui ſeruiant, ſed vult ſimul vt ſeruiant eiuſdem ſaluti. Ita homini vocem donauit, ſed noluit eum hac vti ad rythmos laſciuos, praua colloquia, ſcommata. In terræ viſceribus metalla creauit, non iuſſit tamen conflari in enſes & ijs latrocinia exerceri. Condidit myrrham, thus, ignem: ſed idolis ea adoleri non imperauit. Quando creauit animalium greges adeo multiplares, non mandauit ea falſis mendacibuſque Deis victimari. Ita ſerum lanam, vniones, margaritas, & alia quæ pretium apud homines faciunt, non conceſſit Deus, vt ijs ad vanitatem ineptiaſque ſuas abutantur. Additque nõ creaſſe Deum diuerſicolores pecudes, neque docuiſſe lanæ tincturam, neque artem Phrygiam: immo, ait ſanctus Vir, Dæmonum aſtus induſtrius hæc commentus eſt.

Diuitis epulonis peccatum, quod explicatiſſime notatur in Euangelio, eſt, quod veſtitus fuerit quotidie byſſo & purpura, indumento regio: quod quia perſonæ impar erat, occaſionem dedit crudelitatis erga mendicum Lazarum. Quia cum ſumptus cenſum ſuperaret, & menſam ve-

stimentumque regium iactare non omitteret, pietatem perdidit, & quem debebat pauperibus, animum misericordem. Et hodie videbitis innummeros, qui pauperi succurrerent, nisi eos hæc vanitas efferaret. Verũ seruus induitur nutritq; se vt dominus, dominus vt princeps, princeps vt monarches: qui dum inanẽ, dignitati suæ imparem fatuitatem pascunt, miseri Lazari fame enecantur. Neque tantum ad sæuitiam hæc eos accendunt, sed impellunt quoque ad latrocinandum. Hieremias damnans Solymam crudelitatis atque impietatis dicit: *In alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum & innocentum.* Textus Hebræus habet, *In vestitu tuo pretioso.* Portabant enim Hebræi vestes fluxas & sinuossas, quarum lacinias multo auro gemmisque intertextas in tergum reuocabant, & alas nominabant. Illud hodie in multos quadrat, qui chlamydes suas sericas vndantes quassando faciunt: quorum praxis vna est, ex hoc paupere vnum, ex illo alterum pilum tollere, ex quibus deinde sibi togam scutulatam consuunt. Qui si restituere cogerentur, quod mala fraude pauperibus suffurati sunt, non vnus in tota eorum domo pilus residuus esset. Respiciens Christus ad superba Scribarum indumenta, quibus alarum sanguinolentarum

Hier. 2.

tarum nomen dat Hieremias, *Væ*, ait, *vobis: quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.* Quam gratum oculis est videre sandapilam panno segmentato obuestitam? quam horribile vero aperire, & cadauerosum mortui vultum inspectare? Ita hominem elegantem, speciose atque opulente indutum obtueri decet: quando feretrum velo holoserico aut acu phrygia Belgicaúe picto obductum est, signum est latere cadauer aliquod. Abacuc; *Ecce*, ait, *iste coopertus est auro & argento, & omnis spiritus non est in visceribus eius.* Idola respicit sensus literalis: Videbitis idolum hoc auro argentoque ornatum, sed vitæ indigum: ijsdem oculis aspicite hominem superbe vestitum & cogitate idolum, truncum, aut petram esse, cadauer aliquod animæ expers.

Matth. 23.

Abac. 2.

Hoc vitium semper familiare mulieribus fuit. Leuitas enim affinis pulchritudini est idolo omnium feminarum. Dicit Clemens Alexandrinus mulierem primam à serpente, reliquas omnes à mundo aureo deceptas esse. Vocat aureum mundum, quem scriptura mundum muliebrem nuncupat, vt supra annotauimus; puta variam variorum indumentorum

Lib. 2. Pædag. c. 12.

& semper nouam luxuriem. Cum enim innumera sint, & à mulieribus multiplicentur quotidie, recte mundi nomine appellantur. Esaias, vt erat aulicus, videtur curiosulè inspexisse mulierum synthesin, & hinc inde supra infra volutorum ornamentorum omnium nomina quæsiuisse: non videtur enim fieri posse, vt homo tam grauis minimorum nugamentorum nomenclaturam teneat. Quare mundi vanitatem vnam continuam semper fuisse verisimile est; vestium enim qui hodie, idem luxus erat quando vixit Propheta. Si nunc ad fores Ecclesiæ solenni in festo obseruaret mulierum opulentarum superbificum ingressum, non posset diligentius eas depingere. *Eleuatæ sunt*, inquit, *filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum* lasciuis *ibant & plaudebant, ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant*. Deinde numerat *torques, monilia, armillas, mitras, discriminalia, periscelidas, murenulas, olfactoriola, inaures*, & alia quam multa quæ silentio melius transmittimus. Deinde subiungit pœnam, quæ manet filias Sion ex qua culpæ grauitas facile deduci potest. Et notandum vestimentum culpæ primæ pœnam esse, vti quoque in sudore vultus pane suo vesci: statim enim à peccato

Esa.3.

nudi-

nuditatem suam parentes primi intellexerunt, & tegere conantibus Deus vestes confecit ex pellibus animalium mortuorum. Si ille, quem sanctum Inquisitionis Officium ad pœnitentiam in vili habitu peragendam damnasset, gloriæ sibi duceret vestem hanc sed sericam portare; latro honorificum crederet, ex aureo laqueo pendere; mancipium argentea cathena vinctum magni se faceret: stultitiæ omnibus nota inureretur. Ioab insidiosè principem militiæ Iudaicæ fortissimum optimumque Abner occidit, & sanguine eius calceos suos intinxit. (ô perfidiæ inanẽ gloriam!) In scelere suo exultabundum non interimi iussit Dauid: inualuerat enim bellum, & inter militum duces vix vllus ei fortitudine atque industria rei Martialis par erat. Sed in vltimæ voluntatis suæ testibus literis iussit eum ad inferos deduci non pacifice; ita enim iureiurando sibi hoc præfixisse videbatur. Ita hodie non satis est nobis peccatum ipsum perpetrasse: sed iactare quoque volumus. Nihil certe aliud significant plumis aureisque sigillarijs adornata pilea; diadematibus vnionibusque intertexta caliendra; quam inaurare supplicia propter temerarium cum antiquo serpente cõmercium

Euæ irrogata. Hunc luxum notans in mulieribus Paullus, iubet eas in templo caput obnubere propter Angelos, (ſic Dei miniſtros appellat) vt ne ſpeculum illud diuinum contaminetur, non obtenebreſcat illa lux, ille ſal non infatuetur. Verum ſi Deo ſacri presbyteri, qui Dñm manibus attingunt, bibunt, comedunt, captiuari poſſunt laqueis illis in capite mulierum explicatis: quid dicemus de Sathanæ mancipijs, in Eccleſia ſtipem rogantibus pro
1. Cor. 11. oleo ad Diaboli lampadem? Quare Paullus iubet feminas orare capite velato, refragantes vero contentioſe velut inſanas templo excludit. Ergoné ô Domine obuelare debet mulier cæſariem gloriæ ſuæ decus maximum? Et ad Timotheum, vult
1. Tim. 2. *mulieres orare in habitu ornato; cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa.* Petrus quoque, *Mulieres*, ait, *ſubditæ ſint*
1. Pet. 3. *viris ſuis; quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus.* Paulli itaque & Petri tam vigilans ſolicitudo cauet damna, quæ latent in comis muliebribus: ita vt feminæ caput, caput viperæ ſit, veneno intumidum. Licet ergo à calce ad vſque caput tota mulier nihil ſit niſi laqueus & merus dolus, quo ſimplices animulæ ſicut aues

viſco

visco capiuntur: quosdam enim decipiunt crepidæ, vt Holofernem: *Sandalia eius rapuerunt oculos eius.* alios candor manuum, nam iuxta Ecclesiasten, *vincula sunt manus illius.* ornatus lasciuus alios: ita depingit Salomon mulierem, *ornatu meretricio præparatam ad decipiendas animas*; & ritu eodem se induit Thamar ad fallendum socerum. nonnullos blanditiæ: nam vt Sapiens dicit, *verba sua dulcia facit.* Verum generale rete, quo intricantur omnes, est vultus speciosus, caput formosum, circumdatum laqueis multiplicibus animæ omni periculosissimis. Quod indicauit Sponsus, quando dixit: *Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Præter hoc animarum præsens periculum accedit indecorum quiddam non tolerabile: videlicet quod vbi ad exequias Christi celebrandum in Ecclesia conuenimus (nam qui sacrificio interest, quasi Christo iusta funebria persoluit, iuxta illud Paulli, *Mortem Domini annunciabitis*) seu ad culpam cognoscendum & veniam pro ijsdem rogandum, stulte vestis pretiosa, & superba assumatur. Funus patris quomodo decentius quam pullo amictu celebrabis? & pœnitentiæ opera nō bene peraguntur in ornamento nuptiali. Rogante

Iudith. 16. *Eccl. 7.* *Prou. 7.* *Prou. 7.* *Cant. 4.*

Moyſe pro populo ſuo, qui vitulum conflatilẽ adorauerant, primũ Dei mandatum fuit: *Iam nunc depone ornatum tuum.* Signa enim lætitię deponat neceſſe eſt, qui peccati ſui veniã mereri, & Deo placere laborat.

Exod. 34.

Huic vitio mederi poterunt mulieres, ſi viros æmulatæ fuerint. Solebant olim viri in veſtibus diuerſi coloribus ire inſtar pauonũ varie picturati, quod cum familiare etiam populo fieret, ſummates viri velut decentiorem & modeſtiorem amictũ nigrum aſſumpſerunt, vt nõ tantum in Principum aulis primarij, ſed milites quoque nõ vnus nunc, vti æmuli horum atro gaudeant veſtimento. Ita ſi mulieres illum luxum, qui ancillis fere infimis nunc familiaris eſt, deponerent, & Chriſtianam modeſtiam induerent, magnam huic exitio anſam tollerent.

Huc vſque oſtendimus quam vilia ſint huius vitæ oblectamenta, & quam non digna Amore: Nunc ſi me roget aliquis, quomodo in res tam viles tam feruẽtes hominum animi rapiantur; Reſpondeo, naturę à culpa tantum vitium infirmitatis atque debilitatis obueniſſe, ita auerſam fuiſſe à Cælo, & propendere ad terrenas voluptates & mala omnia, vt virtutis viam admodum pauci ingrediantur. Vt non dicam quod ſit

---faci-

---*facilis descensus Auerni:*
iter vero ad virtutem arduum;
Non est à terra mollis ad astra via.
Socrati meretrix quædã obijciebat, quod vno obtutu plures Athenis iuuenes post se raperet, quam ille omnibus doctrinæ suæ præceptis. Cui Philosophus: Tu, inquit, cum illis descendis; ego vero ascendo. Respondeo secundo, magis nota & familiaria nobis esse, quæ sub sensum cadunt, & maximam partem homines capi atque vinciri; neque enim quidquam in intellectu est, quod vias sensuum non transierit: bona autem sensualia vt plurimum intellectualibus contraria sunt, atque adeo illa magis rapiunt humanam affectionem. Tertio bona sensualia hic suo præmio fruuntur; spiritualia expectant in altero mundo: quare illa vt proximiora magis nos mouent. Vnde minas captiuitatis & cladis magnæ prædicanti Ezechieli occlamabant Auditores: *Visio, quam hic videt, in dies multos: & in tempora longa iste prophetat.* Et Petrus monet, *quod venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, dicentes: Vbi est promissio aut aduentus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ.* In Deuteronomio dicit Deus: *Ego sum Dominus Deus tuus, faciens misericordiam in multa millia.* id est iuxta Galati-

Ezech. 12.
2. Pet. 3.
Deut. 5.

 num

num ego Dominus misereor eorum qui me diligunt post multa annorum sæcula: & vult esse traditionem Hebræam. Quarto dicit Lactantius in virtute aliquid aspe-rum & difficile latere; vitijs vero omnibus aliquid voluptatis tametsi fraudulentæ adnatum esse: & hinc esse, quod virtuti nuncium remittant plurimi, & vitia amplectantur. Quinto docet Aristoteles bona sensualia & eorum vsum atque necessitatem nobiscum crescere, vires sumere, atque ætatem: non idem esse cum spiritualibus bonis. Prius enim quam oculos mentis intellectus maturus nobis aperuerit, vt distinguamus à malo bonum, lucem à tenebris, iam magna de nobis spolia pars sensitiua obtinuit, & ita assueuit homo voluptatibus, vt nihil difficilius sit, quam sensus ad rationis leges seruandum compellere. Sexto, habemus aduersarium sagacissimum & callidissimum, cum quo sine spe induciarum continuum bellum gerimus: nam vt Paullus scribit, *non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus principes & potestates, rectores tenebrarum harum*; aduersus hostes inuisibiles, qui mille vbiq; laqueos ponũt & in eis escam illam mellitæ voluptatis, qua, vt casei odore mures gliresue, capiamur. Denique mundus hic inter Cælum atque in-

Lib. 1. de Iuuen. instit. c. 1.

Ephes. 6.

fernum

fernum medius est; à Cælo longissime dissitus, sed inferno admodum vicinus: atque ita aër noster participat multum de fumo quem euaporat sentina illa fæculenta, in qua velut centro suo mersi iacent peccatores. penetrat enim terræ venas hæc pestis, & hemisphærium nostrum inficit sua contagione. A loco vero pestilente longe fugiendum est. Hæ ergo rationes sunt, cur bona sensualia mortalibus ita damnosa sint: Qui autem se ab illis expediuit, potest immò debet grates agere misericordiæ Dei infinitæ.

CAPVT XLIV.

Victoriarum & triumphorum Amor inanis ostenditur.

SVnt quædam particularia huius vitæ bona, quæ licet non tam ardenter omnes appetant, vt vitam, honorem, aut diuitias, multi tamen non minori affectu colunt. Ex his vnum est, Viro principi placuisse, familiarem esse, eius negotia tractare, gratiam communicare alijs, vt audiant: Hic administrat omnia. Aliud victorias triumphosque spectat; quibus multorum omnes actiones ita incumbunt, vt cetera nihili æ-

stiment. quare seruantes armorum fragmenta, comminutas galeas, disrupta tormenta, videntur domum suam facere armamentarium & signorū vexillorumque custodiam. Huius gloriæ cupidissimi olim Romani, Græci, Carthaginienses, Persæ, Macedones, & Gothi, atque Hunni fuerunt. Inter bona vitæ non postremum locum habuit quoque eloquentia Oratorum, qui sublimitate dictionis suspensos à se tenent omnium animos. Sed hæc rationem boni habere non posse, generali ratione supra à nobis probatum est: nunc vero ad particularia descendentes, à Principum fauore ordiamur: cui respondebimus verbo vno dicentes, bonum non esse quod à voluntate pendet eius, cui sicut amare ita liberum est odisse. Aman erit omnibus Dynastis exemplo. *Rex Assuerus,* vt habet sacer textus, *exaltauit Aman filium Amadathi, & posuit solium eius super omnes principes quos habebat. Cunctique serui Regis qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua & adorabant Aman.* Ille Assuero in summis delicijs erat: nulli Rex magis fauebat, nemini homini melius volebat. Paullo post nouo modo eum exaltauit in ligno, alto quinquaginta cubitos, & qui vitam omnium quasi sua in manu habebat, in cruce suam amisit. De fauore

Principum ille versus psalmistæ intelligi potest: *Mendaces filij hominum.* Plus enim ille, quam ipsum mendacium, mentitur: huic nemo fidem dat, illi fere omnes. Præterea magis mentitur in damnum tuum: quia te deserit, cum eo tibi maxime opus est, & firmiorem spem ludum facit. Paullus vetat nos sperare in incerto diuitiarum. 1. Timot. 6 Si ergo thesaurus quem domi centum clauibus obseramus atque obseruamus, nobis incertus est, quomodo certa erit Principum voluntas, quæ vno momento ab Amore transit in odium, & odit vna hora amplius quam omnibus retro lapsis annis amauerat. Hinc Dauid: *Nolite confidere in Principibus, in filijs hominum, sed in Deo.* Psal. 145. Esaias: *Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius est*, vita est flatus vnus. Esa. 2. Humana spes quia incerta, impendio molesta est, atque hominem excruciat immaniter: diuina recreat & seruat. Hæc duo proponit Romanis Apostolus. Rom. 8. Et Hieremias meminens eorum, qui in Deum omnem fiduciam collocant, *Bonus*, ait, *est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum: Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei*: Threm. 3. Homo vero qui homini spem suam consecrauit, quotidianus est in querelis. *Hoc* ergo *recolens in corde meo, in Deo sperabo.*

Victo-

Victoriarum vero & triumphorum gloria quomodo in numero bonorum censeri queat, quæ adeo breuis sit? ita frequenter tristis atque infausta? Abimelech militiæ ductor fortissimus in expugnatione Thebes lapide à mulieris imbelli manu emisso occumbit, & omnium facinorum laudabilem seriem claudit morte minus gloriosa. Xerxes nauium numero velut ponte strauit Oceanum, ad fugam vero vix lembum inuenit. Quis in numerum cogat Alexādri Magni victorias? quis triūphorum eius gloriam eloquatur? illum tamen in florida ætate pauxillū veneni abstulit. Pompeius Magnus tot clarus victorijs, tot celebris triumphis ceruice percussori data, caruisse sepultura dicitur. Mahometes, à quo ad Ottomannos tam potens deriuatum est imperium, post tam multas feliciter pugnas pugnatas, infinitas gentes subactas, inclusus in caueam proiecta sibi panis fragmina accepit, & Tamerlani pro scabello seruiuit, ex quo commode in equum conscenderet. Quare stultitia multo maxima est appetere bonū tam multis malis subiectum.

Verum si dicendi artem consideremus, tot malorum semina inueniemus in vno hoc bono, vt quidam diceret, sibi non placere hoc bonum, à quo malorum fontes

scatu-

ſcaturirent. Demoſthenis Oratorum principis pater faber ferrarius fuit, qui peccauit grauiſſime quando filij ſui ingenium Rhetoricis præceptis imbui & ad robur eloquentiæ formari ac firmari iuſſit. Vi namque dicendi concitauit aduerſum ſe Macedonum Reges duos potentiſſimos, à quibus in illas anguſtias redactus eſt, vt veneno ſibi mortem conſciuerit, ne viuus in eorum veniret poteſtatem. Quare melius filio conſuluiſſet pater, ſi in eadem ſecum officina Vulcania arte inſtruxiſſet, & media in æſtate fornacis ardorem tolerare docuiſſet. Ciceroni Demoſthenis æmulo propter orationes Philippicas, maxime ſecundam, quas contra M. Antonium ſcripſit, dextera manus præciſa, & roſtris affixa eſt, vbi declamauerat. Quã multo conſtat eloquentia multis hodie oratoribus? vel quia ab animi recta conſcientia non dirigitur, vel quia ad malum omne velut inſtrumentum vſurpatur. Quod de eloquentia dictum eſt, in alijs omnibus ſcientijs locum habet: quæ Deo non ductore tendunt in ſtudioſorum ſuorum interitum.

CAPVT XLV.

De coniugali Amore disputatur.

PRimi in mundo coniuges fuerunt Adam & Eua. Paranymphum, Sacerdotem, Ministrum egit Deus: testes quia terra non habuit, Angelos dedit Cælum. Locus nuptialis assignatus & donatus ad animi oblectamentum homini fuit paradisus. Prius tamen quam matrimonij festus hic dies ageretur, Deus ostendit signa prognostica Amoris, qui à coniugibus desiderari & haberi deberet. Erat enim in viri dormientis abscondita visceribus mulier: qui deinde euigilans quasi attonitus spectauit nouam hanc sui imaginem, ignorans scopum, in quem Creator collimauerat; ex quo colligi poterat signum ex visceribus hausti Amoris. Secundo ex omnibus Dei plasmatibus, nullum reperit Adam, quod adamare posset, immo solum se existimauit: & quia iudicauit Deus non esse bonum hominem solum viuere, simile ei adiutorium facere voluit, & euigilans Adam cor animumq; reflexit in Euam; adeo vt si vtriusque anatomiam fecerimus, non inuenire possim⁹ nisi carnē vnā, & ossa vna. at-

que

que ita sicuti seipsũ amare, ita naturale Adamo fuit amare sponsam suam Euã, tanquam carnem & ossa sua. Sed quia Amor sui solius licet naturalis non tamen iucundus est, vnum duplicare Deus voluit, & ex Adami costa Euã eduxit. Veruntamen quia si duo illi diuersi distinctique fuissent, paulo post vnitatis suæ memoriam facile obliterassent; quasi separationis huius pœnitentia ductus Deus matrimonij fœdere eos coniunxit iterum, & præsentia sua autoritatem addens huic Sacramento (ita loquitur Paullus) eis quoque in hunc orbem, quantus est, imperium communicauit. Verum esto; sponsi affines erant, & consanguinei plusquam fratres: sed omnipotens erat Sacerdos, & in hoc quoque gradu dispensare poterat. ita vt vinculum hoc diuinum sit, & mille laqueis potentius. Apostolus dicit hoc quod inter Adamum & Euam contigit, Sacramentum esse magnum in Christo & in Ecclesia. Eua ex dormiente Adamo; ex Christo mortuo Ecclesia. Eua ex costa, ex latere Ecclesia. Propter Euam patrem atque matrem Adam, propter Ecclesiam patrem reliquit Christus, & descendit in mundum, reliquit matrem & rediuit ad patrẽ. Adam vti carnẽ & ossa sua amauit Euam; vti sanguinem & vitam Christus Ecclesiam. Ita *Ephes. 5.*

vt Adamus veluti emblema fuerit eorum quæ à ſponſo ſuo Eccleſia receptura erat. ille figura, hæc figurata fuit. Et ex omnibus coniugibus præceptum format Apoſtolus: *Viri diligite vxores veſtras, vt Chriſtus Eccleſiam.* Interroganti, quomodo dilexerit Chriſtus Eccleſiam, reſpondet, ſicut Euam Adamus. Vnde conſequitur & illud & alterum matrimonium eſſe archetypon Amoris in lege gratiæ inter coniuges obſeruandi.

Ibidem.

Primum Eua ex viri coſta prodiuit, ex latere Eccleſia: non ex pedibus aut capite, vt ſcias mulierem neque pedes neque caput familiæ eſſe. Non debet regere; hoc enim ſignificaret te virum non eſſe: quia vbi domus à muliere adminiſtratur, facile poſtici claues alius adulterat; & periculum eſt vbi mulier imperat, ne te quoque exturbet. Ita Adamum ex paradiſo Eua eiecit: tam multi enim varijque ſunt motus ingenij feminini, vt miraculum ſit, quando vno in deſiderio vnam ſolidam horā perſeuerat. Verum vt ne quoque familiæ famula ſit, non ex pedibus, ſed coſta formata eſt, vt cōiugum paritas deſignaretur. Hinc Chriſtus ad ſuos: *Iam non dico vos ſeruos, ſed amicos.* q. d. poſtquam in ſponſam mihi aſſumpſi Eccleſiam, non dominium quæſiui, ſed amicitiam.

Ioan. 13.

Se-

Secundo Adamus Euam vt carnem atque ossa sua dilexit; Christus Ecclesiam vt sanguinem & vitam suam; quare æquum est vos diligere coniuges vestras vt carnem atque ossa vestra, vt sanguinem atque vitam. *Qui suam vxorem diligit*, ait Apostolus; *seipsum diligit*. Idem Matthæus indicauit: *Erunt duo in carne vna*: aut sicut idem dixit; *Erunt non iam duo, sed vna caro*. Si quis opposuerit, dixeritque non prodijsse ex costa mulierem, vt ne cum viro vna caro esset: Respondeo hanc esse vim Sacramēto à sanguine & aqua de latere Christi fluentibus communicatam: ita vt coniuges iam in vnam carnem copulati, mali boniúe mutui participes esse debeant. Maritus sit delicium vxoris; vxor gaudium, voluptas, solatium mariti in laboribus. Quis lenijsset dolorem Euæ in extrema illa calamitate, quando se tam grandis mali autorem intellexit, nisi paracletus illi Adam adfuisset? Vt ne se perderet, verba solantia illi suggessit Adam, & Euam id est multarum gentium matrem vocauit. q. d. si multorū peccatorum mater fueris, certe eris mater quoque eius, qui mundum vniuersum redimet. Isaac ingressus ad vxorem suam, *in tantum dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret*. Si enim marito pater materúe defungitur, hunc

Ephes. 5.

Gen. 2.

Gen. 24.

casum emollit vxor: & decet, vt eum consoletur in morte eorum, quos amore eius viuentes reliquit. Idem de alijs rebus, damnis, sumptibus, calamitatibus iudicium esto: quia præceptum legis erat, vt si maritus qui soluendo non esset, à creditore in vincula conijceretur, posset venumdare vxorem; quod existimaret æquum esse, vt ea quæ boni gaudijque fuerat, etiã mali damnique particeps esset. Eandem quoq; in spiritualibus communionem esse conuenit, qui enim *adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo*. Decet animam quæ se Deo desponsauit, quod significat verbum *adhærere*, spiritum vnum, vnam voluntatem habere: non aliter inter coniuges communio esto spiritualis orationum, confessionum, eleemosynarum; atque ita quod coniux vnus pro se non poterit, pro altero impetrabit. *Deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua, eo quod esset sterilis: &*, qui illam non exaudiuerat, *exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ*. Inter coniuges cordis atque arcanorum omnium participium esse conuenit: nihil diuisum, nihil absc̃oditum esse oportet, & si vxorẽ prudentem capacemq; indeptus fueris, ne quære amicum alium in quem animi tui abdita committas. De hac dixit Sapiens, *confidit in ea cor viri sui*. Isaac morti proximus non satis prudenter sta-

1. Cor. 6.

Gen. 25.

Prou. 31.

tuerat

tuerat primam benedictionē Esau impertiri; licet illi vt primogenito deberetur: verum si vxorē suam consuluisset, quid facto opus fuisset, intellexisset. Neque quidquā eorum quæ inter coniuges contingunt, ad alios emanare oportet: alioqui alter alteri suspecti sunt, & matrimonij thalamus redditur inquietus. Quando occurrit Angelus in diuersorio, & filij sui præputium Sephora circumcidit, subito secretoque egit, vt præter Moysen Sephoramque nō esset arbiter ali⁹: quia si fieri possit, neq; Angelo scire conuenit ea, quæ inter coniuges aguntur. Denique peccata cōmunia esse debent; debent, inquam, haberi vt cōmunia: & pro mariti sui culpa supplicare debet mulier, vt pro stultitia Nabal rogauit Abigail Dauidem: Ignosce Domine coniugi meo, quod enim illi, hoc mihi sit, hoc filijs meis. Ita vt qui præsenti animo matrimonij statum inspexerit, nihil inueniat præter laqueos vinculaque Amoris. Laqueos in anima; quia vna in eis volūtas est: laqueos in filijs, in diuitijs, in delicijs, quia omnia communia sunt: laqueos in vita & morte, quia nunquam eos diuidi fas est. Et solicite curat Deus reddere æquales in omnibus coniuges, quia Amoris conditio æqualitas est: quare nullum inter eos odij semen reliquum esse voluit. Basilius

Gen. 27.

1. Reg. 25.

mouet conuenientem proposito nostro quæstionem, Cur, quando Deus hunc in animis coniugum Amorem plantare, & radicem altam agere voluit, voluerit quoque maiorem viri affectum esse erga mulierem, quam mulieris erga virum: Respondetque Deum condidisse mulierem subditam viro, à quo regatur ipsa, instruatur, moneatur, ita vt ne quidem oculorum suorum palpebras cõiuge inscio vxor moueat: vt ne ergo vir exurgat in altiorem quam decet fastum, & aspernetur mulierem, eum in Amore subiecit mulieri, atque ita matrimonij statum fecit æqualem. Atque ita si quis me roget, quid sit maritus; Reddam: Dominus & seruus est vxoris suæ. Dominus, quia imperat illi, regit, instruit, sustentat: seruus, quia eandem amat, adorat, honorat, famulatur. Et sicut mulieri cęsariem longam, & capillorum luxuriem dedit, quos vir velut frenos arripiat adgubernandum: ita viro dedit cor molle, amans, quod in prædam mulieri facile veniat: atque ita caput mulieris vir est, vt loquitur Apostolus; vxor autem cordi virili dominatur; propter quam, inquiebat Adam, relinquet homo patrem & matrẽ. Miratur Basilius, cur Eua non tantundem de Adamo dixerit: Respondetque maritum Amore capiendum esse. Adducitque

Ephes. 5.

Gen. 2.

sum-

ſumptam à magnete ſimilitudinem: Sicut enim ille ferrum ad te trahit licet durius grauiuſque: ita mulier virum, licet ſuperiorem. Et quia fere viri omnes flaccidi ſunt, moroſi, & graues: creauit mulierem ita ſpecioſam, vt intuendo, alloquendo, arridendo, allachrymando eum velut magnes ad ſe raperet. Amor ergo coniugum naturalis eſt, & propter obligationes infinitas ita debitus, vt qui immemor ſui odium in coniugem alterum conciperet, præterquam quod gratiæ naturæque ordinem violaret, mille ſibi poſſit in vita timere pericula, & triſtem in morte exitum. Immo plane neceſſarius hic Amor eſt, alioqui vita coniugalis mors foret atque ipſe infernus. In matrimonio enim occurrunt tot & tam graues moleſtiæ, vt qui tolerare eas vellet ſine Dei ope atque ſubleuamine, quo coniugibus ſuccurrit, puta ſpiritu ſuo atque amore, nullam poſſit cogitare crucem grauiorem. Monachi crux mediocris eſt, quia ſi Priorem auſterum obtinuerit, tertio anno ſe ab illo liberum videt. Clericus, qui ſub duro Epiſcopo crucem patitur, ad alterum epiſcopatũ migrat, & remedium inuenit. Ita ſub Domino ſeruus, ſub Prætore ciuis tolerabilem crucem patiuntur: coniugalis vero crux portanda eſt ad mortem vſque alterutrius.

Matth. 19. Apud Matthæum vetat vxori dare libellum repudij leui de caussa. Qua ergo de caussa licebit vxorem suam dimittere? Nõ nisi ob peccatum, quod maxime pugnat cum fide coniugali. Tum Petrus: *Si ita est caussa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Christus vero: *Non omnes capiunt verbum hoc.* Non omnes intelligunt quanto melius sit abstinere à coniugio. Olim vxores emebant viri, quod hodie apud Saracenos adhuc in more est: & Iacob seruiuit auunculo suo Laban pro Rachel annis quatuordecim. Et emisse videntur, quas tam leui de caussa repudiabant. Nunc vero tametsi mulier serpens sit, astat ad puluinar tuum, adiuuatque morientem: quare longo Amore opus est. Lignum pedibus alligatũ non difficile excutitur, capiti vero aduinctum non ita facile. Præfectus, Dominus, Præsul, sunt ligna, quæ tibi pedes vinciunt; mulier caput obsidet, non potes eam calcibus impetere: si vero capite in eam arietaueris, plus tibi quam illi dolebit. Est tormentum illud, quod tyrannus quidam excogitauit, qui viuentes mortuorũ corporibus alligabat. Hinc illa de mulieribus Philosophorum veterum nomenclatura. Quidã vocauit mulierẽ malum necessariũ: putauit alius viros cælestes fore, si absque

mulieribus possent viuere. Alius dixit, nisi viros in Amore mulieribus natura subiecisset, nolle se mulierem in via occurrentem pede attingere, quod cerebrosa atque importuna sit. Et si fortasse contigerit mulierem aliquo die nihil nouum moliri, posse virum clamare, & Deo sonanti voce gratias agere, se tandem semel liberam videre domum à molestijs, quas hactenus tolerare debuit. Porro in liberorum educatione quam magnæ molestiæ occurrunt, quam multa pericula, præsertim vbi fames dominatur, & acutæ stridũt voces rogantium panem: singulæ enim voces lancea penetrantius patris cor feriunt, vt necesse illi fere sit pallium in humeros sumere, currere ad forum, obsonari, & familiæ necessaria prouidere. Neque minus vxor patitur, si maritum habet malum aut aleonem. Dicit Apostolus: *Si nupserit virgo, non peccauit: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.* Vnde paret, quantum hallucinentur Sectarij, qui cælibes maioribus carnis tribulationibus subditos esse vociferantur. coniuges enim lacessendo eam & prouocando, male assuescunt, & ignem in se accendunt infernalem. ita quoque clericus qui nubere cogitat quia vritur, desiderat salitam potionem, maioris sitis excitamentum. Si

1.Corint.7

ergo tam multæ in matrimonio tribulationes sunt, multo Amore opus est. Quare nouis coniugibus publica munia dari vetuit Deus: Sub vmbra eos radices Amoris agere permittite, vt bona iaciant matrimonij fundamenta. Deinde æquum est vt nunc voluptatis suæ primitijs fruantur, paullo enim post suborientur molestiarum nimbi, qui non concedent locum oblectamentis: neque enim diu sorte sua contenti sunt. Et sicut nouitij coniuges primo anno gaudent, ita lassantur altero. Et qui dixit, Si vis tibi anno vno bene esse, vxorem ducito; poterat quoque dicere; Si vis duobus tibi annis bene esse, vxorem ne ducito. Quia vero matrimonij felicis ac beati autorem præsupponimus Christum, qui amara reddit dulcia, grauia leuia, difficilia facilia, operæ pretium arbitror quasdam hic regulas annotare, quæ homines instruant, quomodo hic Amor obtineri queat.

Deut. 20.

Prima est: vt ad nuptias suas Christum inuitent: hic enim primum earum principium est. Quia licet non frequens Christus in nuptijs videatur, nuptiæ tamen sine illo non nuptiæ, sed pugnæ sunt, molestiæ, mors ipsa. Nullus est vitæ status, qui non respiciat ad cochlear & offam, præter religiosum, qui perfectissimus est:

quem

quem ſi mundano appetitu amplexus fueris, ſemper neſcio quid mundi ſapiet. coniugalem vero, qui minus perfectus eſt, ſi propter diuitias, formam, voluptates elegeris, ſemper aliquid iſtorum olebit. His adde, Amorem qui diuitijs innititur, perire illis amiſſis. Raphael dixit Tobiæ iuniori: *Qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt ſuæ libidini vacent*, neque Deum vocant, neque eius auxilium inuocant, *habet dæmonium poteſtatem ſuper eos.* Idem de nummis aut forma iudicium eſt. Quando ad fœnus deponere vis tria quatuorue millia, rogas ſtatim pro ſecuritate fideiuſſorem, aut latifundia prædiaque obſtricta tibi eſſe poſtulas, alioqui cauebis pecuniam fœneratò dare: Et audes ita parum tuto corpus animamque tuam fœnori deponere, fidemque das pecunijs, formæ, voluptati, quæ cras pereunt, & te ludos faciunt? Poterit tunc Deus dicere, vt quid non recurritis ad ea, quibus fiſi eſtis? *Hi ſunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam. Surgant & opitulentur vobis.* Si itaque moleſtiarum maritalium leuamen inuenire deſideratis, Deum pro paranympho aſſumite, & fideiuſſore: & quando coniux veſter, difficilis ac moroſus eſſe cœperit, ad Deum confugite; Domine tu me huic marito coniunxiſti, obſecro, emolli eum. Quan-

do

do in Amore refrixisse videbitur: Domine si tibi ita libitum est, iube illum me amare primo feruore. Illi soli coniuges recurrunt ad Dominum, quos eius dextera copulauit.

Regula secunda monet nos Christi opem implorare ad hunc vitæ statum amplectendum. Quia vt Sapiens ait, *domus & diuitiæ dantur à parentibus: à Domino autem proprie vxor prudens.* Potest tibi socer dare domum quam inhabites, dotem ex qua viuas; hæc enim Deus eorum manibus concredidit: mulierem vero proprie prudentem sibi reseruat. Vbi notari debet (proprie prudens) prudentia enim impropria mundus plenissimus est. Nemo est qui formosæ audeat nomen imprudentis dare, quia garritus eius quotidianus & formæ elegantia eius prudentia est, ita vt hæc & illa comites indiuiduæ sint magis quam SS. Cosmas & Damianus. Si votum paranymphi rogas, respondebit formosam, modestam, prudentem, denique salem esse, & ad omnem rem quasi è cælesti culina condimentum: & credetis salem apportare domum, & salsuginem apportabitis Idem sentio de ijs, quæ maritum prudentem se reperisse gaudent, & stipiti nupserunt. Deinde ideo quoque proprie prudentem mulierem à Deo dari sentio,

Prou. 19.

quia

quia licet Salomonem prudentia, & Sibyllas ſapientia vincere credatur, inſipiens tamen erit ſine Deo, & ad matrimonium Chriſtianum atque ſanctum omnino inepta. Paullus ad Titum monet vxores, paucisque verbis omnem earum prudentiam atque Theologiam comprehendit: iubet ergo eas *amare viros ſuos, filios diligere, prudentes, caſtas, ſobrias, domus curam habentes, benignas, ſubditas viris ſuis.* Vbi amplius notandum, cum multa à marita exigat Spiritus ſanctus, formæ tamen elegantiam non requirere: quia nihil minus quam hæc facit vt diu placeat; & nihil magis quam hæc ad omne infortunium adiuuat. Iacob ita obſtinate ambiuit vxorem vultu ſpecioſam, quam poſtea pro mandragoris mutauit aut vendidit. Pœna pertinaciæ debita. Liam deturpabant lachrymantes oculi, & pro Iacob mandragoras dat: Formoſa erat Rachel, & pro Iacob mandragoras accipit. Deformis te amat & fidem ſeruat; venuſta præterquam quod obſequi ſibi omnes velit, neminem ſe dignum arbitretur, pro bene-olenti vno floſculo mutabit coniugem. Si porro zelotypia maritum attigerit, habet ſupplicium cui opponi nequeant quantæquantæ hauriri poſſunt voluptates. Et ſupra probauimuus, quanta cum formæ

Tit. 2.

præſtantia caſtitati lis ſit. Quid igitur agendum cum formoſis, ſi matrimonio non aptæ ſint? Duo hic conſilia ſuggeram. Primum vt inter veſtales Deo virginitatem ſuam conſecrent: quia multis non bene cedit matrimonium, quia clauſtralem vitam, ad quam vocabantur, contempſerunt. Neque multum, ſi patres id Deo faciant, quod coquo ſuo ſolent. Si fortaſſe cibum aliquem lautiſſime coxerit, bolum ei vnum remittunt, vt guſtet quã bene & accommode omnium palato cibum condiuerit. Sed ſecus agunt, ſimiles ſunt ijs, qui ad eleemoſynam erogandã nummos quærunt in loculis minutiſſimos. Si dixerit mihi pater aliquis, formoſioribus parum dotis ſufficere: Reſpondebit Baſilius miſellam eſſe virginem, quæ infelix eſſe cogitur, quia bella eſt. Alterum conſilium eſt; ſi à monaſterio abhorruerit, vti viris diſſuadeo ducere formoſam, ita ſpecioſam adhortor, vt ne nubant viro nimium aſtuto, ſed modeſto, humili, manſueto, & morigero: ſi enim animi ſuſpecti rationes ſecũ adduxerit, illa ſtimulũ animi maligni patietur, pax familiaris exulabit.

Tertia ad Amorem coniugalem confirmandum regula docet zelotypiam temerariam neſcire. Quare hic aduerti debet, propter Sacramenti energiam magis con-

iugatæ

iugatæ quam solutæ mulieri confidendum esse, si in reliquis pares fuerint. Introgrediamur in tribunal Babylonium, videbimus omnium Patrum suffragantium vnanimi calculo damnari innocentiam Susannæ. Præterea extrema dementia est inuestigare mulieris libidinosæ consilia: mille tibi ponet decipulas. Dixerat Christus mulieri Samaritanæ: *Quinque viros habuisti: & nunc quem habes, non est tuus vir.* Luc. 7. illa verò *Domine*, ait, *video, quia Propheta es tu.* Si ergo Prophetam esse oporteat, vt quis vna in domo sex viros videat, qualibus oculis opus erit, ad penetranda feminei pectoris arcana? Et quando Seruator Magdalenam admisit, vt pedes eius lachrymis suis ablueret, & capillis tergeret, tacitus secum Pharisæus dixit: *Hic si esset* Ioan. 4. *Propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Si igitur ad flagitia publica quæ per omnia ora ambulabant, cognoscenda, Propheticis oculis opus est, qui poterunt fallacium mulierum abditissimas technas deprehendere? Quare mulieri confidendum aut cum ea dissimulandum est, vti filiæ suæ Dinæ Iacob connixit: filiam enim atque vxorem vir debet aut omnino abigere, aut oculos, quod potius, claudere ad ignorantiam. Et hoc est quod Salomon dixit: *Par-*

na

tia ad tempus stultitia pretiosior est sapientia & gloria. Mulierum vero zelotypia inquietis & periculorum maximorum caussa esse solet. virum enim quem conciliare & emendare debebant, perdunt incitantque ad tentanda ea, quæ nunquam nisi muliebri lacessitus zelotypia cogitare ausus fuisset. Quare in Canticis Sponsa nunquam zelotypiæ morbo ægra videri voluit, tametsi Spõsus illi sæpe causã daret vt mulieres intelligant in hoc minus sibi licere quam viris.

Quarta regula est, vt exemplo & consilio sancto vxorem suam maritus instruat: Amor enim non sensualis sed Christianus esse debet. Quod Paullus quoque monuit. *Viri, diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt sanctificaret illam.* Vir caput est, habet sensus, & corpus gubernat, atque ita conuenit dare à se vitæ & famæ bonum odorem. Non potest autem ad bene viuendum bonas regulas dictare, si is ipsus malus est. Defectus quoque minus in capite quam in pedibus tolerabilis est: Et si mulier, tanquam impatientior male de coniuge suo opinabitur, facile odium eius concipiet. Deinde si inter coniuges defectus aliquis admittendus est, minor erit si in muliere fuerit: vir enim simulare do-

Ephes. 5.

ctior

ctior est. A Saræ nomine Deus abstulit literam vnam, & nomini Abrahæ adiecit, ita vt in ipso quoque nomine vir primas habere debeat.

Quinta iubet viros non tantum mulieres tolerare, sed blanditijs fouere quoque. Apostoli præceptum est: Viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Nemo vnquam carnem suam odio habuit: sed nutrit & fouet eam. debet autem considerare illam esse carnem ex carne sua, & os de ossibus suis. Et quemadmodum ille, qui bina habet corpora, duplo sese labore & cura emacerat; hinc qui à maritis suis lõge diuq; absunt, si caussa non legitima satis est, non debent à sacerdote pœnitentiæ gratiam accipere: sunt enim manifesta vtriusque coniugum pericula.

Regula sexta iubet virum in loquendo simul & agendo esse circumspectum, vxoris sermonibus etiam locum & aures dare, vetat foris lætum, tristem vero domi esse, aut amaris verbis coniugem verberare. Sępe enim verbera præ verbis maritæ eligerent. Non vult eum instar leonis ferocire, sed instar agni mansuetem esse, amari magis quam timeri. Proprietates canis illi cõmunes esse vult, qui allatrat, & mordet interdum extrarios; domesticis vero blanditur atque oblectat. Hæ regulæ si obseruen-

tur, formabunt maritū optimum, figentq; in mulieris pectore Amoris radicem inextirpabilem, quæ totius felicitatis quæ in matrimonio desiderari possunt, clauis est. Nunc animus mihi est alijs regulis quatuor instruere mulierem, quæ non dico amari possit à marito, sed adorari debeat.

Prima est. Mulier viro suo subdita sit, eum vereatur & reuereatur tam absentem quam præsentē, etiamsi fortasse origine & diuitijs inferior fuerit; Christi enim personam agit, & qui illum spernit, Christum spernit. Supra probauimus hominis cum Deo similitudinem, & inter alia diximus consistere in dominio, quod ad mulierem non spectat. Dicit Apostolus: *Mulier orans velet caput suum. Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam imago & gloria Dei est.* Faciem caputque obnubere olim seruorū erat: quod hodie significat velum, quo sanctimoniales integuntur. Et sic Deus loquitur; *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vt præsit vniuersæ terræ:* mulier vero præesse aut dominari non iubetur. Si maritus vociferetur, non obganniat illa: nam vt contritis lapidibus ignis, ita illinc discordiæ incendium pronasci solet. Ibat matrona quędam & vicinæ de mariti sui moribus immodestis non modeste querebatur: quæ non ignorans illius linguam

,Cor. 11.

en.'.

guam intemperantem fouere has familiares turbas, respōdit. Est mihi aquæ pauxillum, cōtra maritorum immodestiā opportunissimum remedium. Quæ mulier vociferante viro hanc aquam in os sumpserit, seruetque dum à clamoribus sponte sua abstinuerit, reddet intra paucos dies eum oleo tranquilliorem. Illa vt hoc inaudijt, aliquantulum aquæ ambiuit solicite. Hausit illi de fonte domestico vicina, & donauit. Matrona vbi domum redijt, & maritū turgere iracundia animaduertit, quod iussa erat, fecit diebus aliquot, & ad desideratam mansuetudinem coniuges sui animū emolliuit. Redijt ergo ad vicinam vt grata esset, quæ fraudem aperiens ostendit illi nō aquam sed silentium virorum iracundiæ moderari. Veteres neonymphis offerebant equum furentem, cui ephippium & habenas adiungebant, significabantque discordiarum quæ secum adducit genialis lectus, remedium ac frenum esse silentium. Ita efferum & omni Schyta crudeliorem maritum suum vicit Monica patientissima. Et supra dictum, prudentiæ muliebris signum esse taciturnitatem.

Secunda jubet mulierem œconomiæ incumbere, præesse familiæ, famulorum dissidia impedire. Aristoteles celebrat quoddam Hesiodi dictum, quo matrimo-

nium ex viro, muliere, & boue semper arante compositum esse dixerat. Pierius docet Germanos veteres neonymphis olim prima donaria binos sub vno iugo boues obtulisse, vt innuerent coniugum vtrique, ad labores æquali pede ambulandum esse: boues enim non pares difficile conueniunt.

Quam male inæquales veniunt ad aratra iuuenci.

[...]tudino.

Tertia vult in mulierem perpetuam esse verecundiam etiam circa licita & communia cum sponso gaudia: vt ne viro qui suspicionis semina semper aliqua habet, progerminet malæ opinionis surculus. Sponsus in Canticis iterum atque iterum gestit Sponsæ suæ faciem intueri, clamatque desiderantissimo voto: *Ostende mihi faciem tuam.* Post signa affectus tam manifesta, post voces Amoris abundantissimas, rogat videre Sponsæ suæ vultum: signum profecto raræ verecundiæ. Ibat Rebecca ad coniugialia fœdera, & quando aspectu maxime vsus est, occurrente Sponso suo Isaac, *tollens cito pallium suum, operuit se,* tametsi iter omne intecta absoluisset. Tanto ergo vxoris verecundia esse debet, vt vultū eius videre maritus desideret. Et hæc est regula vniuersalis: Quæ non prouocat coniugem ad sua desideria, mulier honesta est; quæ

Cant. 2.

volu-

voluptatibus animoque eius amanti resistit, pudica & verecunda est: infelix vero, quæ iurgando repugnat.

Quarta locum mulieri in ædibus secretum assignat. Dixit Philosophus quidam licitum esse mulieri ter domum egredi: ad baptismum, matrimonium, & tumulum. Psalmista coniugij benedictionem vnam habet: *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Deus tibi donet vxorem fœcundam, sicut in vinea pergulam aliquam, ex qua pleni vuarum racemi dependent. Verũ ne fenestrã spectet aut fores hæc pergula, & periculum sit à furibus. In Exodo mandat Deus tribus anni temporibus viros omnes in templo se sistere: mulieribus vero nullum præceptum datur; non quia domum egredi necesse non sit, sed quia tanta earum pietas est, vt Deo non præcipiente templũ libentes frequentent. Sponsus ad fastidium vsque inuitabat Sponsam suam, dicebatque: *Veni amica mea, columba mea, in foraminibus petræ.* Ita publicum fugiebat, vt vocet eam columbam quæ in cauerna maceriæ nidulatur. *Iam hiems transijt, imber abijt, flores apparuerunt, tempus putationis aduenit:* & abstinebis à publico semper? *Surge amica mea, speciosa mea, veni, egrediamur in agrum.* Respondet sponsa: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Non opto agrum

alium, non desidero alium florem quam te: scire me, quod bene mihi velis, ego te amem, voluptas mihi multo maxima est. Egregium mulieris honestæ responsum, quæ ita publicum fugere deberet, vt opus esset marito eam ad prodeambulandum sollicitare, & quando fortasse importunus esset: responderet, *Dilectus meus mihi*. Neq; minus aptè Carmenia locuta est. Apud Cyrum cum marito suo conuiuata fuerat: redeuntem rogat, quid sibi videatur de maiestate & splendore Regis. illa vero; Quamdiu, ait, accubui, nunquam meos oculos reflexi à tuo vultu. Quis istic non flectat lumina in hominem tam grauem atque elegantem, immo quis in plateam nõ egrediatur, non prospiciat de fenestra? Damæ similes esse mulieres addecet. illa ad motum frondis tremit propter pericula in quæ aliæ incurrerunt: ita pulchrum est leui de caussa trementem videre mulierem & timere casus aliarum infelices. Et quemadmodum damam, ita mulierẽ insequuntur mille venatores: vnde Poëta.

Imbelles damæ quid nisi præda sumus?

Omnes porro leges quas tulimus, & quas ferre hic possemus, vna cõprehendit: scilicet, quæ iubet mulierem ita sanctam esse, vt coniugem suum queat conuertere, & facere, quod de pulpito suo non possit Ec-

clesia-

clesiastes. Quædam maritos suos ad impietatem exstimulant, ad stultiã redigunt aliæ, aliæ vanum, prodigumque reddunt, aliæ ad Dei offensam prouocant, vti vxor Iob, Eua, Iezabel. Matrimonij finis principalis est, vt sibi mutuo opitulentur coniuges ad Deo obsequendum, & sicut in terra ita quoque in Cælo socij sint. Et adeo potens est ad flectendum viri animum, vt omnis cōmodi incommodiq; marito caussa sit. Pigmentis suis aliud pigmentum addere, & superbis vestibus aliud velum induere solent vxores, & dicere, Ornare se, vt maritis placeant. Ita senem aliquē Euclionem roga, vt quid non comedat, quiescat, gaudeat? semper excusabit filios. Ita luxum suum excusant vxores dicendo, Coniugi meo placere volo. Sed splendido mendacio fallit: tota enim hebdomade lacere sordideque induta occurrit marito suo: die vero festo quando in publicum exeundum est, & videri debet, sumit omnem mundũ muliebrem. Ita vt, si maritus multo mane exierit, & sub meridiem vxori suo forte occurrerit, caput illi aperiat velut non antehac cognitæ videtur enim ætatis suæ annos viginti domi reliquisse. Supplicabat olim Traiano seniculus quidam pro nescio quo beneficio: repulsam passus redit anno sequenti, & barba capillisque tinctis obse-

crati iterum. Tum Cæsar: Putasne tibi concedam, quod tuo nuper patri negaui? Hoc mulieribus illis vsu venit, quæ adolescentulæ in publicum prodeunt: domi matres sunt & auiæ sæpe. Scribit ad Corinthios Paullus; *Quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorẽ circumdamus: & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent*, & pluribus velis obnubuntur. Hic manus, faciemq; nemo cooperit, capitis modicam partem integimus: quia corporis partes digniores sunt. Quare mulier quæ vultum suum tegit solicite, videtur eum velut turpem atq; ignominiosum reputare. Vnde Doctor quidam acute dixit, nulla in re stupidiorem fuisse Diabolum, quia cum mulieres natura sua amabiles sint, fuco illo se reddunt inamœnas. Sicut infans matris suæ vbera quæ amauerat, odisse incipit, postquam amari quiddam in illis gustauit. Et si his legibus coniugij molestiæ nondum exhaustæ aut depulsæ sint, meminerint in nuptijs defecisse vinũ, quod solatij signum est, Dominum vero matris precibus inductum suppleuisse quod deerat: æquo animo expectent, conuertentur aquæ molestiarum & doloris in vinum voluptatis atque exultationis.

Veteres celebrãt exempla quædã Amo-

ris coniugalis. Susanna mori maluit, quam peccare in maritum suum. Paullina intelligens vena incisa mortē iussu Neronis cōiugem suum Senecā oppetijsse, & ipsa sibi venam incidit, & maritum ad Acherontem subsecuta est. Admetum Regem Thessaliæ periculose ægrotantem dixerunt augures victurum, si amicorum eius summus moreretur: audiuit vxor, & irruit in gladium, quod inter amicos eius primum sibi locum vindicaret. Plinius iunior narrat maritum quendam vehementibus torminibus oppressum cucurrisse ad mare, vt se submergeret, accurisse quoque vxorem, & tam arcte amplexum tenuisse hominem, vt in aquas vterque præcipites ruerent. Regis Nauarræi filia maritum suum Castiliæ Comitem expediuit ex ergastulo, & semet impediuit. Artemisia virum suum Mausolum fato absumptum quantopere desiderarit licet argumētari ex tumulo, quem ei struxit opus inter mundi septem miracula non postremum. Quid de tumulo loquor? ipsa Mausoli viuum ac spirans sepulchrum fieri cōcupiuit, cuius ossa potione aspersa bibisse traditur. Portia M. Catonis filia, cum interemptum virum suum Brutum cognosceret, quia ferrum ad manus non erat, ardentes hausit carbones, & viscera sua duo-

bus ignibus adusta demonstrauit. Hipsicratea Mithridatem coniugem suum in castris victorem & victum à Pompeio per asperas gentes fugientem animo pariter & corpore infatigabili secuta est. cum præcipuum formæ suæ decorem in habitum virilem commutasset. Rusticus quidam Neapolitanus vidit in seruitutem adduci à Mauris vxorem suam: quos ille secutus atque obtestatus est, vt se quoque in seruum assumeret: quorum deinde fideles animos Rex Tunetanus admiratus, liberos dimisit vtrumque. Tiberius Gracchus anguibus domi suæ mare ac femina comprehensis, certior factus ab aruspice, instare mortem sibi, si feminam; vxori vero, si marem dimitteret: salutarem potius coniugi, quam sibi partem augurij secutus, marem necari, feminam dimitti iussit: sustinuitque in conspectu suo seipsum serpentis interitu occidi. Cæcilia Veneta marito è viuorum numero sublato, se quoque fame sustulit: neque audiebat familiarium aut amicorum preces. Dominicus Lesbiæ Princeps non voluit vxoris suæ leprosæ conuictu abstinere vnquam. Darius ab Alexandro victus, nullum doloris signum dedit: intelligens vero vxorem hostium potitam esse, vim ingentem lachrymarum profudit.

CAPVT XLVI.

Parentum & liberorum Amor delineatur.

TANTVS est hominum præsertim coniugum affectus in liberos, vt qui illis caruerit, inglorios se viuere arbitrentur. Desiderij huius caussam dat Eccclesiasticus. *Qui docet filium suum in Zelum mittit inimicum. Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus: Similem enim reliquit sibi post se. In vita sua vidit, & lætatus est in illo: in obitu suo non est contristatus. reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.* Eccl. 30. In veteri lege diuinæ gratiæ donum erat *Vxor sua sicut vitis abundans.* Psal. 127. In ortu Ioannis Baptistæ *audierunt vicini & cognati* Elizabeth, Luc. 1. *quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.* Sterilitas autem coniugibus cedebat in opprobrium. Reuerso à cæde quinque Regum Abrahamo dixit Dominus: *Abram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Cui Abraham: *Domine Deus, quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis; & ecce vernaculus meus Eliezer, hæres meus erit.* Statimque animum eius lenijt Dominus & hæredem promisit. Itaque naturale est ho-

minis

minis desiderium videre propaginem suam, in qua duret eius posteritas: cuius caussa qualiscunque sit, siue quia patris sui pars filius est, siue quia à parentibus hic Amor erga filios descendit, constat tam ardentem esse hunc Amorem, vt sæpe cum odio sui coniungatur. Exemplum habemus in Rebecca, quæ desiderans filium suum Iacob accipere à patre benedictionem, adolescens vero refragaretur & diceret: *Timeo*, si me pater agnouerit, *ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem pro benedictione.* Respondit mater: *In me sit ista maledictio, fili mi.* q. d. Si tu non potes indipisci benedictionem, sim maledicta ego. aut, si opus est, maledictio in me sit, modo tu benedicaris. Typus est multorum patrum, qui vt filios diuitent, à sordibus eleuent, & in humeros equiti collocent, fores sibi inferni aperiunt. Agrippina ita ambiebat videre filium suum Cæsarem, vt cum ab aruspice intellexisset à filio Imperatore se mactatam iri, responderit: Occidat, modo imperet. Contigitque, vt Nero matris suæ carnifex immanis fieret. Ita parentum plurimi filijs honores conferri postulant cum damno etiam vitæ suæ. Hanc insaniam Ægyptij hieroglyphico exprimebant. Pater funem ducebat, filius torque-

bat

bat in laqueum, ex quo deinde pater penderet. Innuere volebant, quod pro filio sese euisceraret pater, texendo illi honoris & diuitiarum funem: hunc postea filius torqueat, dilapidet, abliguriatque quantum omni vita sua corrasit pater: denique suspendio perit, id est ruit pater in æternam damnationem. Dixit Christus: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te. Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proijce abs te.* Matth. 18 Parentes filios non infrequenter oculos suos nominant, vocant manus, pedesque: verum si ad offendendum Deum ansam dant, proijciuntur ex ædibus, & manent cæci, claudi, manci parentes. Porro quam vehemens sit erga filios patrum Amor, ostendunt exempla. Octauius Balbus proscriptus à triumuiris, cum domo postica clam esset egressus, iamque fugæ expeditum initium haberet: postquam intus filium trucidari falsus clamore è vicinia accepit, ei se neci, quam euaserat, obtulit, occidendumque militibus tradidit. Fabius Rullianus quinque consulatibus summa cum gloria peractis, legatus ire Fabio Gurgiti filio ad bellum difficile & periculosum conficiendum grauatus non est. Seleuco filius fuit Antiochus qui nouercæ amore infinito correptus, ad vltimum vi-

tæ discrimen pia dissimulatione venit. Pater vbi intellexit caussam morbi, clarissima sibi coniuge filio cedere non dubitauit. Inter grauissimos autores agitatur quæstio vter parentum magis filium diligat? Respondet in Ethicis Aristoteles maiorem erga filium esse matris affectum. Verum hoc extra dubium est, patrem fortius atque efficacius, tenerius & blandius matrem amare. Ita Augustinus dicit amorem Christi erga Petrum potentiorem erga Ioannem delicatiorem fuisse, quem signis clarioribus manifestabat. Sic Plutarchus dicit Alexandrum coluisse duos amicos, Parmenionem atque Ephestionem: Sed vtrumque vehementissime alio & alio modo. vt Rex atque Imperator magis diligebat Parmenionem, qui ditiones illius diligentissimè fidelissimeque administrabat: vt Alexander magis amabat Ephestionem, cuius familiari ac dulci consuetudine maximopere delectabatur. Ita Dominus vt Cæli ac terræ caput magis amabat Petrum, quare & caput eum esse voluit: tenerius vero diligebat Ioannem, ideoque in Euangelio dicitur, *quem diligebat Iesus.* De patre & matre idem asseuero, pater filium Amore fortiori diligit, pro quo molestias subit & pericula; mater vero tenerius blandiusque amat.

Cap. 8.

Pro Amore matris duæ valent rationes. Quia magno illi constat filius, multæ enim pro eo sustinuit concipiendo, pariendo, educendo. Quare per Esaiam dicit Dominus: *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* filius matri multo, sed pluris tu mihi constas. Paullus Philemoni commendat Onesimum, vt illum ceu viscera eius suscipiat, quem vt illa amabat, caussamque addit tanti Amoris: quia in vinculis ipsam genuisset. Mater ergo filium amat quia doloris sui filius est. Altera ratio est, quia mariti sui Amorem magni æstimat mulier, cuius potissima caussa filius esse solet; vti Lia dixit, cum Ruben pareret: *Nunc me amabit* Iacob *vir meus.* Et si rationes deficerent, sufficeret experientia quæ Amoris huius toto orbe dedit exempla manifesta. Tobiæ iunioris mater filium absentem, vt dicit scriptura, *flebat irremediabilibus lachrymis.* dolebat quidem pater non modice, sed illa velut insana procurrebat in platea, & ex tenero pectore ductis suspirialibus, *Heu, heu,* inquiebat, *fili mi, vt quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ spem posteritatis* nostræ? *Omnia simul in te vno habentes, te*

Esa. 49.

Gen. 29.

Tob. 10.

non

CAPVT XLVII.

Amor patriæ demonstratur.

AMOR patriæ omnes rapit, nobiles, ignobiles, sapientes, insipientes, probos atque improbos. Excipe fortasse barbarum aliquem Cæli terræque hostem perditum, omnes amant, in pretio habent, desiderant patriam suam.

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Vnum hoc est ex seminio, quod sua cum gratia Deus in naturæ nostræ campo seminauit. Tantus porro est hic Amor in nonnullis, vt familiarium, agnatorum, patrum, sui Amorem superet, & cum diuino fere contendat. Atque ita virtus heroica est, & idem cum eo qui Deum respicit, nomen habet, & pietas vocatur: vti quoq; patriæ contemptus impietatis vbique nomine appellatur, & barbarorum & summe crudelium peccatum est. Ita sentit D. Thomas. Et lex quædam capit. Curialis dicit eum impium, qui aspernatur patriam. Et Spiritus sanctus *lib. 2. Machab.* bis coniūgit *fortiter dimicare & vsque ad mortem pro legibus, templo, patria:* quasi in singulis eorum pietas, atque san-

2. 2. q. 101.

2. Mach. 3.

Rhet. 2. ctitas comprehensa lateret. Aristoteles inter sententias suo æuo celebres hanc ponit: *Pugnare pro patria optima auis.* q. d. bonum victoriæ auspicium est, pro patria dimicare, neque enim Deorum concilio hic opus, neque attendere quid aues occinant, inuestigandum est; felicissimum enim augurium est, pro patria arma sumere: & ratio est, quia si victus est, nihil tamen de suo honore perdit miles. Cap. 4. Thomas de Regimine Principum dicit Romanis à Deo tam prospere omnem bellorum aleam cecidisse, quia tanto patriæ Amore tenebantur. Testimonia huius Amoris legi possunt apud Thomam libro iam citato, Augustinum de ciu. Dei, & Valerium Maximum. Dixit Plato terram in qua nascimur potius matriam appellandam esse, quod nobis veluti mater sit. Cretensibus hunc loquendi modum tribuit Plutarchus. Et licet cum Aristophane Cicero vocet patriam, vbicumque homini bene est, tamen Euripides & Stobeus dicunt homini sapienti potiorem esse terram in qua natus est, quam aurum, argentumque & omnes huius vitæ deliciæ. Dicit Menander viuere in terra patria libertatem, in aliena seruitutem esse. Sophocles vocat beatum illum qui nullum præter natalem aërem hausit. Euripedes putauit extra patriam

nemi

nemini fortunam prosperam esse: quantumcunque enim alienum Solum laudent homines, affectu tamen ad patriũ rapiuntur. Rogatus Pythagoras, quomodo ferre deberet homo ingratitudinem patriæ: Respondet vt genetricem, quæ male filijs vult fortasse, sed à quibus non pie colitur. Lacedæmoni Persarum Regem grauissimè offenderant, cuius choleram vt mitigarent aliquantulum, quosdam ad eum ciues legarunt, quorum supplicio iram suam vindicaret. Rex admiratus promptum animum eorum, qui pro Amore patriæ tam intrepide in mortem ibant, culpam omnibus & vitam condonauit. Præterea obtestatus est, vt eis amicis frui posset, & secum viuerent. Qui responderunt. Quomodo viuere & carere patria nostra possemus, qui pro ea caput nostrum morti obtulimus? Aristides iustitiæ & sanctitatis eximium specimen, à ciuibus improbis patria sua pulsus, cum rogaret, quid illi maxime in exilio molestum esset, Respondit: Quod iacta in patriam meam probra audire debeam. Plura de Philænis Carthaginiensibus, de Romanis Curtijs, Scæuolisque addere possemus, sed ea è libris peti possunt. Historia sacra hunc Amorem quoque testatur. Iussus est quidem Abraham exire de terra sua, non deposuit

Gen. 46. à natura ingenitum erga eam affectum: quare ad oeconomum suum: *Pone, ait, manum tuam subter femur meum, vt adiurem te per Dominum Deum cæli & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito; sed ad terram & cognationem meam proficiscaris & inde accipias vxorem filio meo Isaac* Idem iuramentum exegit Iacob à filio suo Ioseph, vt non relinqueret in Ægypto ossa sua, sed in patriam transportaret. Idem moriens posteris suis Ioseph præcepit. Porro super femur iurare, erat solenne tunc iusiurandum, signabatque circumcisionis Sacramentum; aut vt interpretatur Hieronymus, intelligebant Messiam, qui velut in radice & stirpe erat in Patriarchis illis & Prophetis. Atque ita iuratum est in femore Abrahæ & Iacob, in femore Ioseph non item: quia ex illis per lineam Iuda, non autem ex hoc Messias nasciturus erat. Vnde femur Iuda non Ioseph celebre est in Scriptura. *Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius*, Filij Israël apud Dauidem adeo læti redeunt in patriam, vt somniare se crederent. *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion facti sumus sicut consolati.* Hebræus textus habet, *sicut* somniantes. Ita Petrus cum ductore Angelo è
Act. 12. vinculis ergastuloque Herodis exiret li-

ber,

ber, *existimauit se visum videre.* Hæc caussa est, cur pauca loca deserta sint, pagi villæque à turba ita frequente inhabitentur; ne enim omnes in ciuitates amplas migrare cupiant, omnium animis Amorem hunc soli natalis infixit, vt delectetur viuere in illo aëre, quem recens natus hausit. Et lex in codice de seruis exportandis dicit, cuilibet suam patriam videri maiorem & meliorem. Propter hanc inter studiosos disputaturquotidie, inter milites quotidie pro eadem certatur. Auis caueæ inclusa, licet delicato semine nutriatur, omni tamen momento caput exponit, & euolare desiderat ad locum suum patrium, qui non est alius præter desertum aut horridum dumetum. Quot annis apud Homerum vagatur Vlysses, quot molestias sustinet, vt patriam suam Ithacam aliquando inueniat, quæ non erat nisi modica & pauper insula, in qua habitaculum illi angustum erat tristibus hinc illinc atq; obscuris chasmatib⁹ formidabile. Hinc inter legis ciuilis pœnas exiliũ grauissima est. Apud Hieremiam quoque dicit Dominus ad bellum Iosiæ regis optimi, pessimum filium, *Plangite eum qui egreditur, quia non reuertetur vltra, nec videbit terram natiuitatis suæ.* Et Ioacim Regi crudeli minatur Dominus, quia patriæ suæ infestus ciuium

sanguinem profuderat, & insepultos abiecerat: *Non plangent eum, Væ frater & væ soror: non concrepabunt ei, Væ domine, & væ inclyte. Sepultura asini sepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Hierusalem.* Denique patriam dulcem amatamque vocamus; & nemo est tam rigidus aut crudelis, qui post longam absentiam patriæ suæ turres iterum aspiciens non lætetur animo, non gaudeat spectans domum, in qua sub auras vitales primum egressus est; gradus, quos frequenter ascendit; gymnasium, vbi literarum elementa prima didicit; non salutet illo versu Antonij

Salue parua domus, pariter saluete penates.

Christus qui nobis omnibus, suæ quoque humanitati Amorem hunc inseuit: quare & patriam suam Nazareth dilexit, visitauit, moueri sibi animum sensit, quando matris suæ domicilium aspexit, intuitus est ædiculam, in qua cum parentibus suis multas horas orationi consecrauit: Vbi mysterium notatu dignissimum occurrit. Cum Deus intimis hominum visceribus occultum patriæ Amorem indiderit, vt quiuis studeat honori patriæ suæ, in quam resultat omnium qui in ea nati sunt, fama atque decus, siue profectum ac arte siue marte acquisitum, vt patet ex septem Græ-

ciæ

ciæ vrbibus, quæ Homerum ciuem ſuum ſingulæ vendicabant: Vt quid Chriſtus ita patriæ ſuæ negauit miracula, quæ in Capharnaum & alibi tam ſtupenda patrauerat? Cur non prædicauit ciuibus ſuis, qui per omnem Palæſtinam verbi ſui larga ſemina diffundebat? Creſcit difficultas, quia Nazaræi iure merito rogare videbantur miracula, quæ doctrinam eius nouam atque inauditam probarent. Præterea quendam Eſaiæ locum explanans dixerat ſe medio è cælo deſcendere vt Vnctum, vt Meſſiam, vt Chriſtum, & rationi conſentaneum videbatur miracula exigere, quę de Chriſto & Meſſia Prophetæ vaticinati fuerant. Auget difficultatem Marcus, qui non tantum dicit Chriſtum in Nazareth miracula non patraſſe, ſed neque poteſtatem ad miracula patranda habuiſſe, quaſi trunca illi manus aut eneruis fuiſſet: adeo vt ipſe Dominus obſtupuerit. Vt hic nodus aptè ſoluatur, Nota Chriſtum Virgini-Matri reddidiſſe duriuſculum & ſuo modo aſperum reſponſum. Quia licet præceptum ſit honorare patrem atque matrem: non violatur tamen, quando aliud exigit honor Dei, qui eſt omnium pater vniuerſalis. Quando igitur Amores hi duo & patres concurrunt, qui me genuit & qui creauit, patri cæleſti adhærendum eſt,

& naturalis negligendus. Eodem modo nunc de patria argumentor: & illa duplex est, vna est terra, Cælum altera. Illic corpus generatum est, hic anima: neque mirum si pro honore patriæ, quæ æterna erit cum Deo, negligamus patriam, quæ apud mortales nō diu seruari potest. Hoc Christus fecit & in patris patriæque suæ negotijs, parum memor fuit patriæ illius, in qua corpus induerat. Et hoc & illud expressit Dauid: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Ecclesiam animamque fidelem compellat. Audi me filia, quia duplicem patriam Christus habuit, Nazareth vnam, alteram sinum Patris. Quę Michæus attigit cap. 5. *Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Natus ergo est Christus in Bethleem, & natus in ęternitate. Cum ergo Seruator noster patriam supremam & diuinam, quæ æternitas est, respiceret, visus est spernere temporalem. Ita nobis quoque patria duplex est, corporis vna, altera animæ; vna terra, Cælum altera. Hinc animæ quamdiu corporeis vinculis clausæ in hac terra habitant, quia carent loco sibi à natura debito, peregrinari dicuntur. Quare

Iacob dixit: *Dies peregrinationis meæ centum & triginta anni pauci & mali*: & Apostolus ad Corinthios, *Dum sumus in corpore*, inquit, *peregrinamur à Domino*. Ad Hebræos scribens, dicit Abraham, Isaac, & Iacob vixisse in terra promissa quasi aliena, transigendo vitam in melotis & pellibus caprinis, expectantes alteram patriam, quia hic tantum hospites erant atque aduenæ. Ita corpus nostrum in Cælo peregrinum est, quia extra terram, quæ illi à natura patria data est. Hinc Gregorius ad illud Matthæi, *Homo quidam peregre proficiscens*, dicit Christum ascendisse in Cælum, & peregrinatum abijsse, quia corpori naturalis locus terra est. Cui illud Paulli consonat: *Ascendens in altum* Christus, *captiuam duxit captiuitatem*, q. d. sanctorum Patrum qui in limbo erant, corpora, nunc in Cælo peregrina & captiua sunt. Israëlitæ duo templa habuerunt: portatile vnũ, quod annis quadraginta, per omne desertum in humeris circumtulerunt; alterum, quod exstruxit Salomon in promissa terra, iactis tam alte firmiterque fundamentis, vt æternum videretur. Ita nos templa quoque duo habemus, vnum hac in terra magna cum molestia sudante vultu in humeris circumferimus, quod vectigal omnia vitæ huius bona soluere necesse est: alterum in Cælo ha-

Gen. 47.
2. Corint. 5
Heb. 11.
Eph.

bemus nō humanis manibus, ſed Dei omnipotente dextera fabrefactum, & ſicut Apoſtolus loquitur, *amplius & perfectiu id eſt non huius creationis*. Exſtruxit id veru Salomon in illa promiſſa terra gloriæ, iactis fundamentis æternum duraturis. Locum Iſaiæ: *Reſpice Sion ciuitatem ſolennitatis noſtræ: oculi tui videbunt Hieruſalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in ſempiternum*: ſeptuaginta interpretes in caſu vocante exprimunt. O Sion ciuitas opulenta; ô Hieruſalem vrbs ſolennitatis noſtræ: ô templum Salomonis: ô tabernaculum gloriæ: ô patria felix: ô viuentium terra: ô æternum habitaculum: cuius claui Dei manu fixi erunt æterni. Hic nihil firmum aut ſtabile eſt, tranſeunt omnia, peſſum eunt omnia: Turres, Amphitheatra, Templa. Inter mundi miracula ſummum habuit Memphis, Pyramidum celebre opus: cuius hodie ne veſtigium quidem videri poteſt. Nunc ſeges eſt, vbi Troia fuit. Illic vero currunt flumina voluptatis, gaudij, ſalutiſque æternæ: Nemo dicet ibi, dolet mihi, ægre mihi eſt. Ita Cyrillus hunc locum commentatur. Daniel apud Babylonios captiuus, *feneſtris apertis in cœnaculo ſuo, contra Ieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua*, & quam ocu-

Heb. 9.

Dan. 6.

lis præſentibus vſurpare non poterat, patriam ſuam deſideranti voce ſalutabat; & videbatur aurâ, quæ illinc ſpirabat, animus eius recreari. Ita Chriſtianus ex hoc mundo, carcere Babylonico, veram patriam ſuam ſalutat quotidie, animæ ſuæ feneſtras aperit vt auram aliquam, cæleſtemque influentiam hauriat, quæ exilij huius moleſtias ſubleuet, recreetque peregrinantem, donec approximet, quæ vocat eum atque expectat æterna gloria; quã nobis omnibus impertiat Dominus noſter IESVS Chriſtus, cuius regnum eſt in ſæcula ſæculorum.

INDEX.

EORVM QVÆ ERVRVDITE IN HOC LIBRO

tractata, recte vtiliterq; ad quarundam Dominicarum ac festorum dierum Euangelij iuxta vsum Romanum explicationem à verbi diuini præconibus adhiberi possent.

Dominica Septuagesimæ.

Fol. 133. &c. non respicit Deus manus laborantes, sed voluntatem qua laboratur.

Dominica Sexagesimæ.

Legatur fol. 181. &c. vbi datur ratio quare Christus in parabolis loquatur. Et fol. 574. &c. super hoc: *Aliud cecidit inter spinas.*

Feria 4. Cinerum.

Legendum fol. 200. &c. vbi docetur quomodo ieiunandum sit, & explicari potest caput Esaiæ 58. Idem fol. 355. docetur. Et caput totum XLII. agit de Gula. Percurrantur quoq; capita XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. quæ tangere possunt caussam signandi homines cinere; quasi immemores breuitatis vitæ.

Feria 5. post Cineres.

Repetatur quod Dominica 3. post Epiphaniam annotauimus. Et fol. 114. quomodo intelligatur illud Lucæ: *Iesus miratus est* fidem Centurionis.

Feria 6. post Cineres.

Percurratur totum caput XXIII. vbi examinantur difficultates quas in se habet Amor inimicorũ. Et caput XXIV. vbi adferuntur rationes quæ monere hominem possunt ad amandum inimicum. Et fol. 164 &c. vbi dicitur Deus melius facere, quo plus in eum peccatur.

tur

care cum peccatoribus, non tamen Amore illius.

Dominica 4. post Pentecosten.

Fol. 113. &c. ad illud: *Exi à me Domine quia peccator sum.*

Dominica 8. post Pentecosten.

Fol. 572. super illis verbis: *Cœpit eijcere ementes & vendentes.*

Dominica 12. post Pentecosten.

Fol. 136. dicitur non esse potentius medium ad extorquendum alterius Amorem, quam Amor. & capite XIX. vult à nobis Deus cor totum.

Dominica 14. post Pentecosten.

Legatur fol. 232. &c. ad illud: *Nemo potest duobus Dominis seruire.*

Dominica 16. post Pentecosten.

Videatur fol. 584. &c. vbi hydrops auaritia esse dicitur.

Dominica 17. post Pentecosten.

Repetatur quod Dominica 12. annotatum est. Addatur fol. 194. &c & fol. 208. &c. & fol. 216. &c. ad illud: *Hoc est maximum & primum mandatum.* Et caput XXI. & fol. 325. &c.

Dominica 19 post Pentecosten.

Fol. 222. ad illud: *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem.*

Dominica 20. post Pentecosten.

Fol. 497. ad istud: *Erat quidem Regulus*

Et fol.

INDEX RERVM.

A.

Ami-

mos

Dæmon

T.

V.

Vir-

FINIS.